P[illegible] xpi omnis xpiana celebret. Que mista [illegible]

[illegible] inclusos ueneranda petiuit. F[illegible]

[illegible] gentium. H[illegible] naufr[illegible]

[illegible] iudea. A[illegible] ille non cessat [illegible]

[illegible] precincta [illegible]

[illegible] s predicta. A[illegible]

[illegible] H[illegible]

[illegible] Bethleem paruulos [illegible]

[illegible] xpe [illegible] per euum. I[illegible]

Sum ex Libraria
Laurentij Adelgaieri.

Hunc legere cepi die 14
Augusti 165[illegible]

Sum
Abrahami Elsseri Mecomüh[illegible]
ensis Anno 1649.

David Koechlin
Tub. Ao 1617.

Laurentius est possessor huius libelli.
Vivit post funera virtus

Reformatio incepta in
Monte Belligardi an: 1525.
vide Graph: p. 142.

CDuvernoy
Montbéliard

CCdMV zenoy

MAGNI

DES. ERASMI

Roterodami

VITA;

partim ab ipſomet Eraſmo, partim ab amicis æqualibus fideliter deſcripta.

Accedunt

EPISTOLÆ ILLVSTRES

plus quam ſeptuaginta, quas ætate provectiore ſcripſit, nec inter vulgatas in magno volumine comparent.

P. SCRIVERII, & fautorum auſpicijs.

LVGDVNI BATAVORVM
Ex Officinâ Godefridi Baſſon
cIↃ IↃ CXV.

Liber ad Lectorem.

Missus eram nuper dias in luminis oras,
Nunc redeo cultu sub potiore novus.
Nota leges quædam, sed limâ rasa recenti,
Pars nova maior erit. Lector, utrique fave.

Lugduni Batavor. clɔ Iɔ cxv,
v. Kal. April. Iulian.

Amplissimis, prudentissimis, & præstantissimis Viris,

DOMINIS CONSVLIBVS ET SENATORIBVS

inclytæ Civit. Roterodamensis;

Eiusdemque Reipubl. Syndico consultiss.

HVGONI GROTIO, ICto

Scriptis & literarum studijs claro;

Dominis suis plurimùm colendis.

Octennium vix elapsum est, VIRI AMPLISSIMI ET PRVDENTISSIMI, *ex quo magni vestri civis & incomparabilis herois* DES. ERASMI VITA *ex officinâ nostrâ prodijt. Editum librum continuò omnes mirari, & diripere certatim cœperunt: vel ob viri præstantissimi nomen ac meritum, vel*

ob elegantiam ſcriptionis. Nunc denuò, exemplaribus ijs diſtractis, eam Vitam prælo ſubieci, & quidem, ſuaſu quorundam amicorum & fautorum Eraſmi, formâ Enchiridij: ſperans non defuturos mihi, qui non minus cupidè hanc editionem ſint præſtinaturi atque empturi, priori longè luculentiorem & auctiorem: comitantibus eam, quæ hactenus deſiderabantur, non paucis ſcitu digniſsimis. Et vt de EPISTOLIS, *quæ nondum lucem aſpexerant, nonnihil hîc dicamus. Eas illuſtres aliquot adiecimus, quas ætate provectiore vir ſummus ſcripſit, & ſub ipſum etiam vitæ finem. Quo nomine & gratiores futuras, non dubitamus: inſtar cycnearum cantionum. Nam cycnos moribundos ſuaviſsimè, ac maximè tum canere accepimus, lætantes quod ad Deum ituri ſunt eum, cuius ſunt miniſtri. Iuveniles porrò Epiſtolas, quas ferè in mo-*

naſterio

nisterio ad contubernales suos & præceptores, aliosque eius seculi homines scripsit, an effudit verius? consulto omisimus. Sufficit nimirum (doctorum sententiâ) eas semel exhibitas fuisse, minimè hîc iterandas. Quamquam eiusdem commatis & notæ quædam etiam in magno volumine Epistolarum extent. Quas, scio, pater ipse, vir Dis quàm hominibus similior, non agnosceret, aut tolleret. Multo castigatiores ac elegantiores sunt, quas hîc damus: maiusque profectò pondus ad rem literariam & historiam illorum temporum adferunt. Introspicite VV. AA. Hic cum magno vestro cive Deos ipsos ac Musas habitare comperietis. Relinquimus autem illas Erasmi literas, quibusdam eius pueritiæ ac penè infantiæ cupidis lectoribus, in editione alterâ legendas. Quod si quis ægrè feret, non ista crepundia etiam hîc conspici: ro-

gatum volumus, primùm ut candidè consilium ac factum nostrum interpretetur; deinde, si peccatum hîc putabit, clementer nobis ignoscat, ac culpam emendare permittat. Brevi, volente Deo, id omne damnum (siquidem damnum sit existimandum) diligentiâ nostrâ commodè sartietur. Nunc instantibus Nundinis Francofurtensibus hîc subsistere coâcti fuimus.

Aliis autem hæc quam vobis, VIRI AMPLISSIMI ET PRUDENTISSIMI, *non debebantur: Aliis inscribere aut offerre, nefas putavimus. Vos æqui bonique consulite, &* ERASMUM, *quem quidam eripere vobis immani scelere tentarunt, vestrum esse, vestroque in oppido celeberrimo natum, plenius planiusque ex ipsiusmet ore cognoscite. Sed quæ impudentia illa, negare Erasmum Roterodami natum? cùm Erasmus in omnibus ferè literis id ipsum*

testetur,

testetur, scribendo Erasmus Roterodamus S. P. D. *quod in diversis autographis vidimus, & constat esse verissimum. Valete VV. AA. & qui Erasmo vestro impensè favent, eos favore vicissim vestro dignos existimate. Quod si probari vobis hanc editionem intellexero, maiora in spem gratiæ vestræ elucubrabo,*

VV. DD. observantissimus,

GODEFR. BASSON,

Typograph. Leidensis.

Erasmus de se, in Epistola ad Ioan. Turzonem, Episcop. Vratislaviensem, anno cIↄ Iↄ xx.

Adnixi sumus mundum nimis ad scholasticas argutias prolapsum, ad Veterum fontes revocare, ac plus satis fidentem Iudaicis ceremoniijs, ad veræ Pietatis studium accendere. Atque vtinam hic meus conatus tantum fructus attulerit alijs, quantum nobis attulit invidiæ. Meum incommodum multo levius ferrem, si cum multorum commodo viderem coniunctum. Sed hoc viderit ipse Christus, qui (ni fallor) certè hunc animum probaturus est.

Extat Epistolar. lib. xv. epist. 11.

Ex

Ex Pavlli Iovii, *Episcopi Nucerini, Iconibus & Elogijs Doctorum Virorum.*



ERASMVS Roterodamvs ex Insula Batavorum, perpetuis eruditæ laudis honoribus extollendus videtur, postquã ætatis nostræ scriptorum propè omnium decus, ingenij fertilitate superavit. Is ab adolescentia, pio religiosi animi decreto, ad cucullatos sacerdotes se contulit, tanquam humana despiceret. Sed non

multo post pertæsus intempestivæ servitutis, votique temerè suscepti, ea sacrati ordinis septa transilijt, ut ad excolendum ingenium planè liber per omnia Europæ gymnasia vagaretur. Contendebat enim cura ingenti ad summæ gloriæ fastigium, ad quod literarum omnium cognitione perveniri posse intelligebat, quum iam ad arcana cuiusque doctrinæ, infinita lectione, inusitataque memoria penetrasset. Edidit Moriam, atque inde primam nominis famam longissimè protulit, imitatione Luciani satyræ pungentes aculeos passim relinquens, omnium scilicet sectarum actionibus ad insaniam revocatis. Opus quidem salsa aspergine perjucundum, vel gravibus, & occupatis: sed sacrato viro prorsus indecorum, quum divinis quoque rebus illusisse videretur. Sed maturè demum, quòd ejus intemperantiæ malè audiendo pœnas daret, sanctiores literas complexus est, tanta robustissimi ingenij contentione, ut vertendo Græca & commentarios excudẽdo, plura quàm quisquam alius volumina publicarit. Verùm se ipso haud dubiè cũctis admirabilior futurus, si Latinæ linguæ conditores gnaviter imitari, quàm fervido properantique ingenio indulgere maluisset. quærebat enim peculiarem laudem ex elocutionis atque

stru-

ſtructuræ novitate,quę nulla certe veterum æmulatione pararetur, ut in Ciceroniano non occulti livoris plenus oſtendit. Tanta enim erat naturæ fœcunditas,ut plena ſemper ac ideo ſuperfœtante alvo, varia & feſtinata luxuriantis ingenij prole delectatus, novum aliquid,quod ſtatim ederetur, Calcographis tanquam intentis obſtetricibus parturiret. Obijt apud Helvetios Baſileæ, ſeptuageſimum excedens ætatis annum, quum Carolus Cæſar in Provinciam irrumpens, ad Aquas Sextias, Franciſco Galliæ Regi grave bellum intuliſſet.

Ex Iconibus Theodori Bezæ,
De Præcipuis Chriſtianiſmi noſtra patrumq; memoria inter Germanos inſtaurati organis.

Deſiderium Eraſmum Roterodamum quum inexhauſta ingenij ubertas, pari dicendi facultate,ad ſummæ gloriæ faſtigium noſtra memoria evexerit, & illi tantum bonæ literæ renaſcentes, quantum alij ætatis illius nemini debeant; age, locus etiam illi in hujus ſacrarij veſtibulo, & quidem hoc addito elogio,tribuatur.

In Eraſmum cingulo tenus depictum.

Ingens ingentem quem perſonat orbis Eraſmum,
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? Mirari deſine, lector:
Integra nam totum terra nec ipſa capit.

In eundem, ejusd. argum.

Ἥμισυ τοῦ παντὸς πλέον εἶν᾽ Ἀχραῖος εἶπεν,
Ἥμισυ δ᾽ ὡς οἶμαι τοῦτο λογισάμενος.

Obijt Basileæ IIII. Idus Iulij, anno Domini CIↃ IↃ XXXVI, annum agens septuagesimum.

Ex Ian. Iac. Boisardi Vesuntini Iconibus.

Desiderius Erasmus natus Roterodami, vrbe Batavorum non ignobili, anno Christianæ salutis CIↃ CCCC LXV. Prima studiorum rudimenta posuit Daventriæ, præceptore Alexandro Hegio viro literatissimo, & iuventutis moderatore celeberrimo: Sub cuius disciplina quum satis profecisset, Lovanium Brabantiæ Academiam petivit: Ibique in omni bonarum disciplinarum exercitio animum instruens, magnam de se omnibus exspectationem concitavit. Vnde Cantabrigiam, & Bononiam se conferens, illic quoque in studijs diligentem navavit operam. Tandem ad S. Theologiam animum applicans, Doctoratus gradum Taurini suscepit. Quum autem adhuc esset juvenis, habitum Monachalem sumpserat, vt literis posset in cœnobij recessibus liberius vacare. In ea tamen professione non diu perseveravit, quæ ad institutum

tutum

tutum vitæ, quam ſibi proponebat, non admodum facere videretur, quum ſtatuiſſet omnes Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ Academias perluſtrare. Factum igitur brevi eſt, vt ob inæſtimabilem in omni liberalium artium eruditionem, & admirabilem vim ingenij, facundiæque vbertatem, & morum ſuavitatem, eius fama per omnes Chriſtiani orbis regiones celebris vagaretur: propoſitiſque vberibus & honorificis ſtipendijs vndique vocaretur ad docendum, à præcipuis Academijs Europæ, à Pontificibus, a Regibus & Principibus. Sed ſui iuris eſſe maluit, & privatis ſtudijs incumbere, vacans ſcriptioni, quæ poſſet poſteritati vtilis & fructuoſa haberi. Ferunt illi a Pontifice oblatam Cardinalitij ſtatus dignitatem, quam quum recuſaſſet, cum miraculo à cæteris Patribus Eccleſiaſticis exceptum fuiſſe hunc contemptum, vocatumque Eraſmum ſapientem beſtiam, qui tantam dignitatem, tamque ſpecioſos & fructuoſos titulos imprudenter reſpueret, quos alij ſummis votis & laboribus ambirent, & quovis pretio ſibi compararent. Quumque multis in locis maiorem vitæ partem charus omnibus exegiſſet, vrgente iam ſenio Baſileam Rauracorum in vrbem ſe recepit, ad Rhenum ſitam, loci amœnitate captus,

& ſo-

& sodalitio multorum doctissimorum hominum, quibus ea civitas semper ornata est. Academiæ illius Rector factus, quum scholasticorum inordinatam licentiam & petulantiam refrænare tentaret, ab ijs male exceptum ferunt: His irritatum contumelijs, fama est, discerpsisse & cremasse Privilegiorum partem illius Academiæ (quæ cum Moguntina totius Germaniæ creditur antiquissima) vt his deperditis, studiosæ iuventutis protervia retunderetur. Quod aliquando me audivisse recordor a piæ memoriæ præceptore meo Hugone Babelo, qui tunc temporis Basileæ Erasmo vivebat amicus & familiaris. Eius OPERA ferè infinita servantur multis in locis impressa, sed maxime in Frobeniana typographia Basileæ, quæ omnia NOVEM TOMIS complexus est. In primo continentur, &c. (*vide infra pag. 96. & seqq.*) Longum esset enumerare minora Opuscula & Emendationes castigationesque Autorum, tam Græcorum quam Latinorum, quos Erasmus à barbarie & mendis scriptorum repurgavit: De quibus omnibus exacte tractavit Gesnerus in suâ Bibliothecâ.

Lepida

Lepida de Erasmo & Rege Angliæ Henrico VIII. Narratio.

Libet hoc loco subijcere lepidam narrationem de ter maximo illo literarum præside Erasmo, quam retulerunt viri primarij eius regni. Rebus enim a D. Martino Luthero per Germaniam in causa Religionis passim motis, ob scripta quædam & conciones, quas communis patriæ & libertatis Germanæ asserendæ gratia contra Italicas Leonis x. bullas Indulgentiarum ille habuerat publice, quæ sane non vulgus subditorum modò, sed & Nobiles pariter & Principes, ipsosque adeo Reges & summos Monarchas totius Christianismi suspensos & conturbatos habebant, vt qui eventus tantorum moliminum prospicere satis non possent. Inter cæteros verò Henricus eius nominis VIII. Rex Angliæ, diligenter & accurate super eâ re inquirens, non tantum per suum regnum viros eruditione & pietate insignes audiebat, sed & exteros accersebat, quorum iudicia exploraret. Eodem tempore Des. Erasmi Rot. existimatio per totum terrarum orbem erat celebratissima, tam ob literarum humaniorum studia repurgata, quàm sacræ paginæ dexteriorem intelligentiam: Literis itaque ad Erasmum

scriptis

ſcriptis hortatur eum, vt ad ſe veniat, qui tametſi itineris difficultatem aliaſque incommoditates cauſaretur, Rex tamen non deſtitit, donec eum adſe pertraheret. Erat enim graviſſimum negotium, cuius nomine cum eo conferre deſiderabat. Poſteaquam Eraſmus in Angliam adveniſſet, Rex de præſentia eius certior, magnâ ſolemnitate eum excipit, deinde in privatum colloquium eum aſſumens, multa de Religionis controverſiâ vltro citroque ad aliquot dies cum eo confert. Quo colloquio finito, vbi iam Eraſmus reditum ad ſuos in Hollandiam vrgeret, veniâ quidem à Regiâ Maieſtate ſed ſatis difficulter impetratâ, digreditur, numeratis ipſi in honorarium L. aureis Anglicis. Sed is dimiſſus, vbi ad viculum Graveſintam veniſſet (viculus ille maritimus eſt, & naves conſcenſuris vel egreſſurus primus patens) ab ordinarijs regijs inſpectoribus in illum ex officio inquiſitum eſt: non tantum enim naves illi, ſed & perſonas ſingulas, cuiuſcunque vel ſexus vel ordinis fuerint, tanta cura perquirunt, vt membratim etiam omnia perſcrutentur, ſi quid pecuniæ latentis penes eos inveniant, vbi plus quàm quod viatico ſufficiat repertum eſt, ſuperfluum Fiſco regio adiudicant, tantum ſolummodo relinquentes, quantum

ad

ad iter cuivis inſtitutum commodè abſolvendum ſatis eſſe videtur. Quare bonus ille noſter Eraſmus eò vbi veniſſet, loci & moris ignarus, in eoſdem inquiſitores incidit, qui Anglicos L. aureos repertos Fiſco regio addicunt, monetâ reliquâ, quam pro viatico ſecum habebat, ipſi relictâ. Eraſmus rei inſperatæ eventu ſuſpenſus, totq; iam Angelottis minutus, à quibuſdam admonetur, vt retrò iter ad Regiam Maieſtatem inſtitueret, & apud eandem de damno paſſo conquereretur. Is igitur, niſi pecuniæ iacturam pati vellet, vt paréret neceſſe habuit, quantumvis antea abitum feſtinarit. Quem vbi reverſum Rex in aulâ ſuâ conſpexit, quaſi rerum omnium ignarus, & rei novitate motus, ſic facetè eum alloquitur: Ecquid rei novæ Eraſme hoc eſt, an in Hollandiam reverſus nondum abijſti? Ille omnia vt evenerant ordine Regi ſubtriſtior exponens, de pecuniæ ſuę iacturâ Regem edocet. Quibus Rex auditis in riſum ſolutus, & fideliter ab officiatis ſuis factum prędicans, bono animo eſſe Eraſmum iubet, addens ſimul, ſi ſecus à ſuis viſitatoribus actum foret, ſuam Maieſtatem in illos omnes laqueo animadverſuram fuiſſe. Ita ad triduum circiter denuò inter Aulicos verſatus Eraſmus, tandem quinquaginta Angelottis numera-

tis,

tis, optimâ veniâ & ſalvi-conductus literis datis honorificentiſſime dimittitur: datis etiam literis ad Viſitatores, in quibus iubebantur priores L confiſcatos Anglicos Eraſmo reſtituere. Quare iam ſummâ duplicatâ, id eſt centum Anglicorum aureorum (faciunt autem ſinguli aurei Anglici duos Rhenenſes aureos, ſive in argentea noſtra moneta tres Florentinos, vulgo ſic appellatos) Eraſmus auctior ad Hollandos ſuos revertitur, relinquens Aulicis Anglis non illepidam ſui recordationem.

Mortuus eſt Eraſmus Baſileæ annum agens ſeptuageſimum, anno D.N.I.Chriſti cIↃ IↃ XXXVI. Eidibus Iulij. Super tumba ſepulchri humi iacente inſcriptum eſt: DES. ERASMVM ROTERODAMVM AMICI SVB HOC SAXO CONDEBANT, IIII. EIDVS IVLIAS ANNO cIↃ IↃ XXXVI. Tholo Templi ingenti marmore hæc exſciſa ſunt, CHRISTO SERVATORI S. &c. *vide pag.* 47.

EPI-

EPITAPHIA QVÆDAM
Divis Manibus
DES. ERASMI ROTEROD.
ab amicis & viris doctis posita.

Iulij Cæsaris Scaligeri.

TVne etiam moreris? ah; quid me linquis Erasme,
Ante meus quam sit conciliatus amor?
Tune etiam? cui tam parvus fuit orbis, vt altæ
Expleres mentis flumina torva tuæ.
Ergo sidereis postquam est subvecta quadrigis,
Atque Dei læto lingua recepta sinu:
Ille ego, qui insanæ ridebam vulnera mortis,
Conditaque Aetnæa tela trisulca manu,
Ad quodvis stupeo momentum, ac territus asto:
Maxima cùm videam numina posse mori.

Ioannis Secundi Hagiensis.

Defunctus vita longique laboribus ævi,
Hac situs est tandem doctus Erasmus humo.
Quem licet in sera rapuerunt fata senecta,
Et vitæ saturum sopijt alta quies:
Nos tamen hunc velut immaturo funere raptum
Flemus, & effusis diffluimus lachrimis.
Ille igitur perijt: & quondam illa illa diserta,
Et dulci manans nectare lingua tacet:
Ingeniumque sagax, & amans virtutis & æqui,
Omnia sub parvo condita sunt tumulo?

Illum

Illum igitur canos Virtus lacerata capillos,
Et Charites lugent, luget & ipsa fides?
Collectasque rosas Permessi ad flumina Nymphæ
Inspergunt sacro Pierides tumulo?

Hadriani Marij Ioan. Secundi fratris.

Hic Desiderius requiescit Erasmus, amarum
Qui desiderium liquit in orbe sui.
Mens habitat cœlo, nomen vix clauditur orbe.
Scripta viri & mundum conteret una dies.

Ioannis Morelli Ebrudunensis.

Ingenio quisquam si vivit, vivis Erasme;
Scripta manent ulla non peritura die.
Nam tua vel primæ relegent qui sola iuventæ,
Dicere cogentur Magnus Erasmus er .t.
Gloria sit quamvis multorum tacta sagittis;
Non tamen a quoquam gloria læsa tua.
Promptius hanc fuerit linguis lacerare malignis,
Æquo virtutes quam superare pede.
Iam tua convellant dictis, laudent ve. quid inde?
Stant merita & virtus, gratia, lausq; tamen.

Nicolai Borbonij.

Lis oritur, Meus est, Germania dicit, Erasmus;
Gallia reclamans adserit esse suum.
Hanc interveniens litem mala Parca diremit:
Neutrius hic vestrum, sed meus, inquit, erit.

Gilbertus

Gilbertus Cognatus in Petrum Grappum, pro Erasmo.

Rides quod Magnus mihi sæpè feratur Erasmus,
Quodque is sit parvo corpore, Grappe, mones.
In quem penè ruens Ecclesia nutat Atlantem,
Hunc ego non Magnum dixero iure virum?

Theodorus Beza in Philænum.

Erasmus ille, quo fatentur plurimi
Nihil fuisse vel futurum doctius,
Tibi Philæni stupidus est & plumbeus:
Et quicquid uspiam ab omnibus fingi potest
Calumniarum, stulte in illum congeris.
Latra Philæne quamdiu & quantum voles,
Hunc scire constat plura quam tu nescias.

Desiderio Erasmo, Opt. Max. literarum vindici Sacrum.

Auris Batavæ quisquis Hollandis notam
Inuris, Hospes, Celtiberiæ memor
Dicacitatis; fige, nam sat est, modum,
Opprobrijque desine; ac lubens vide
Hoc æviternum sæculi miraculum:
Erasmon inquam, quem Dei benignitas
Desideratum nubilo indulsit diem;
Qui conditores barbaræ striblīginis
Abigeret hinc in maximam malam crucem;

Qui

Qui vindicaret quà profanas quà sacras
A sorde & omni squallitate literas.
Hinc ille felix (sed Vacerrarum choro
Spissum gemente) per Tryphonum limina
Tot aureorum luce Scriptorum micat,
Quà promicondus Sol dierum deficit,
Quàque ardi sœtam rursus instaurat facem.
Hic ille fortis, ille mire pervicax
Phreneticorum despicator hostium;
Qui Termini instar risit iratum Iovem,
Fretusque sancto conscientiæ bono
Hispanienses Italasque nænias
Fringultientum præterivit alitum;
Qui graculorum, qui cachinnonum iocos
Ciconiasque pectore invicto tulit.
Nempe ille noster, Hybridarum plurium
Sæpe impetitus mentis ægræ somnijs,
Illustris heros, maior omni iniuria,
Erinnyosque pipulis monasticæ,
Cælo receptus splendet Indiges novus,
Favente Christo. cui fatigatum lubens
Nec tergiversans tradidit corpusculum.
Beatus, ô cui sic abire contigit!
Beatus! inquam. namque nil moros moror.
Ille ille Semo, sæculi miraculum,
Hollandus audit, natus Hollando patre.
Quid huic Batavas livor aureis obijcis?
Aureis Batavas non habent eiusmodi
Hæ nationes quæ Batavis invident.

Petrus Scriverius.

EPITAPHIVM ERASMI

PER

F. Andream Hyperium.

QVi docuit verbis ad mortem quà ſit eundum,
Nunc re monſtravit flebile mortis iter.
Dum rogat exemplo vatis, Quis monte quieſcet
Sancto, vel quiſnam tecta beata colet?
Tum Deus, hunc cernens ſine crimine, dixit, Eraſmè
Tu montem ſanctum, tu mea tecta coles.
Et merito. quis enim ſcriptis vel moribus vſquam
Sanctior? hunc igitur præmia tanta decent.

Aliud ejuſdem.

TE tuus ecce trahit qui nulli cedit, Eraſme,
Terminus, vt cedas imperat ipſe tibi.
Tu tamen haud cedis, ſed contra audentior obſtas.
Non animæ, aut famæ terminus vllus erit.
Nam licet hoc tenerum credatur corpus habere
Terminus, haud vincet nomen, Eraſme, tuum.

Termini

Termini effigies ex annulo Erasmi signatorio expressa.



In Terminum Erasmi.

T*Ermine Divorum, quo non constantius alter*
In Capitolina restitit arce Iovi:
Quid facis, ut clypeo modo continearis Erasmi,
Quum tua iampridem templa fatiget humus?
Quæque locum summo non concesŝere Tonanti
Membra, ruinoso pondere terra premat?
Scilicet ut nulli Superûm tua cesŝit imago,
Ignea nec manibus qui iacit arma Iovi:
Sic decus, & clari laus immortalis Erasmi
Non aliquem, cui non cedere posŝit, habet.
Huius enim cunctas excedit gloria metas:
Fulget & indocto non superanda choro.
Hunc velut ætherium coluit Germania numen:
Quam Desiderij nomina iure tenet!

Ioannes Schofferus.

Com-

Compendium vitæ

DESID. ERASMI ROTERODAMI,

Æternum illud Naturæ miraculum, Desiderius Erasmus,

NATVS est Roterodami in vigilia Simonis & Iudæ Apostolorum. Mater eius dicta est Margareta, filia medici cuiusdam Petri. Ea erat e Septimontio, vulgo Zevenberge, Fratres illius duos vidit Dordraci pene nonagenarios. Pater dictus est Gerardus. Is clam habuit rem cum dicta Margareta, spe coniugij. Et sunt qui dicant intercesßisse verba. Eam rem indigne tulerunt & parentes Gerardi & fratres. Pater erat Helias, mater Catarina: uterq; pervenit ad extremam senectutē, Catarina pene ad nonagesimum quintum annum. Fratres erant decem, nulla soror; ex eodem patre & matre, omnes coniugati. Gerardus erat natu minimus, uno excepto. Visum est omnibus, ut ex tanto numero unus Deo consecraretur. Nosti affectus senum. Et fratres nolebant minui rem, sed esse apud quem ipsi convivarentur. Gerardus videns se modis omnibus excludi a matrimonio magno consensu omnium, fecit quod solent desperati, clam aufugit, & ex itinere misit parentibus & fra-

tribus epistolam cum manu manum complexa; addito elogio, Valete, nunquam vos videbo. Interim relicta est sperata coniunx gravida. Puer alitus est apud aviam Gerardus Romam se contulit. Illic scribendo (nam tum nondum erat ars Typographorum) rem affatim paravit. Erat autem manu felicissima. Et vixit iuveniliter. Mox applicuit animum ad honesta studia. Græce & Latine pulchre calluit. Quin & in Iuris peritia non vulgariter profecerat. Nam Roma tunc doctis viris mire floruit. Audivit Guarinum. Omnes auctores sua manu descripserat. Parentes ubi resciscunt eum esse Romæ, scripserunt illi, puellam, cuius matrimonium ambierat, esse vita defunctam. Id ille credens, præ mœrore factus est presbyter, totumque animum ad religionem applicuit. Reversus domum comperit fraudem. Nec illa tamen unquam post voluit nubere, nec ille unquam tetigit eam. Puerum autem curavit liberaliter educandum, & vix quatuor annos egressum misit in ludum litterarium. Ac primis annis minimum proficiebat in litteris illis inamœnis, quibus natus non erat. Ubi nonum ageret annum, misit Daventriam: mater sequuta est, custos & curatrix teneræ ætatis. Ea schola tunc adhuc erat barbara. Prælegebatur Pater meus: exigebantur tempora: prælegebatur Ebrardus, & Ioannes de Garlandia: nisi quod Alexander Hegius & Zinthius cœperant aliquid melioris litteraturæ invehere. Tandem ex pueris collusoribus, qui grandiores natu audiebant Zinthium, pri-

mum cepit odorem melioris doctrinæ: post aliquoties audivit Hegium, sed non nisi diebus festis, quibus legebat omnibus. Hîc pervenit ad classem tertiam: tum pestis vehementer ibi sæviens sustulit matrem, relicto filio, iam annum decimum tertium agente. Quum pestis indies magis ac magis incrudesceret, tota domo, in qua agebat, desolata, reversus est in patriam. Gerardus, accepto tristi nūcio, cœpit ægrotare, ac paulo post mortuus est. Vterque decessit non multo supra annum quadragesimum. Tres tutores instituit, quos habebat fidissimos. Horum præcipuus erat Petrus VVinckel, tum ludi litterarij magister Gaudæ. Legavit rem mediocrem; si tutores bona fide administrassent. Itaque ablegatus est in Buscum-ducis, quum iam satis maturus esset Academiæ. Verum illi Academiam metuebant, quod statuerant puerum religioni alere. Illic vixit, hoc est perdidit, annos ferme tres in ædibus Fratrum, ut vocant: in quibus tum docebat Romboldus. Quod genus hominum iam late se spargit per orbem, quum sit pernicies bonorum ingeniorum, & seminaria monachorum. Romboldus, qui mire adamabat ingenium pueri, cœpit eum sollicitare, ut suo gregi accederet. Puer excusabat inscitiam ætatis. Hic exorta peste, quum diu laborasset febri quartana, reversus est ad tutores, iam stylo quoque satis prompto, ex aliquot auctoribus bonis parato. Vnus tutor perierat peste: cæteri duo, re non admodum bene gesta, cœperunt agere de monasterio. Adolescens languens febri, quæ

supra annum illum tenuerat, non abhorrebat a pietate: cæterum a monasterio abhorrebat. Itaque sumunt diem ad cogitandum. Interim tutor subornat, qui pelliceant, qui minitentur, qui perpellant animum imbecillem. Atque interea repererat locum in monasterio canonicorum, qui vulgo vocantur Regulares, in collegio, quod est iuxta Delft dicto Sion: quæ domus est principalis eius capituli. Vbi dies venisset respondendi, respondit prudenter adolescens: se nondum scire, neque quid esset mundus, neque quid esset monasterium, neque quid esset ipse: proinde videri consultius, vt adhuc annos aliquot agat in scholis, donec sibi notior esset. Hæc quum videret constanter dici ab adolescente, statim infremuit Petrus. Ergo, inquit, frustra laboravi, qui talem locum tibi magnis precibus pararim: tu es nebulo: non habes spiritum bonum: abdico tutelam tuam. Vide, vnde alaris. Adolescens respondit, se accipere abdicationem, & ea esse ætate, vt non opus sit tutoribus. Vbi vidit se minis nihil proficere, subornat fratrem, qui & ipse tutor erat, negociatorem. Is blanditiis agit. Accedunt instigatores vndique. Habebat sodalem, qui prodidit amicum. Et vrgebat febris: nec tamen arridebat monasterium, donec forte fortuna viseret monasterium eiusdem ordinis in Emaus sive Steyne, iuxta Gaudam. Ibi reperit Cornelium, quem Daventriæ habuerat sodalem in eodem cubiculo. Is nondum acceperat sacrum illum cultum: viderat Italiam, sed

rediierat

redierat parum doctus. Hic suum agens negotium, cœpit mira loquentia depingere vitæ genus sanctissimum, copiam librorum, otium, tranquillitatem, sodalitatem angelicam. Quid non? Trahebat affectus ille puerilis ad veterem sodalem. Alij alliciebant, alij propellebant. Onerabat febris. Hunc locum delegit, altero fastidito; [a] lactabatur interim, donec haberet sacram vestem. Interea, tametsi adolescens, sensit quam non esset illic vera pietas. Et tamen totum illum gregem excitavit ad studium. Parantem abire ante professionem partim pudor humanus, partim minæ, partim necessitas coërcuit. [b] Tandem per occasionem innotuit episcopo Cameracensi, Henrico a Bergis. Is sperabat Cardinalicium galerum; & habuisset, nisi defuissent præsentes nummi. Ad hoc iter optabat hominem Latine doctum. Itaque per hunc evocatus est cum auctoritate Episcopi Traiectensis, quæ sola sufficiebat. Et tamen ille adiunxit auctoritatem Prioris & generalis. Concessit in familiam Episcopi, servato tamen habitu. Quum Episcopus esset destitutus spe galeri, sentiretque illum in amore parum constantem erga omnes, egit, vt iret Lutetiam studij gratia. Promissum est stipendium annuum: nihil missum est. Sic solent principes. Illic in collegio montis acuti ex putribus ovis & cubiculo infecto concepit morbum, hoc est, malam corporis,

[a] Sic habet Autographum: scribere voluit *lactabatur.* [b] Hic in margine adscriptum erat, *professus est*, eadem, vt videbatur manu.

antea purißimi, affectionem Itaque rediјt ad Episcopum. Acceptus est honorifice. Recreatus est a morbo Bergis. Revisit Hollandiam hoc animo, vt maneret apud suos. Sed ipsis vltro hortantibus rediјt Lutetiam. Ibi destitutus auxilio Mæcenatis vixit verius, quam studuit: & ob pestilentiam ibi multis annis perpetuam, singulos annos redeundum erat in patriam. A studio Theologiæ abhorrebat, quod sentiret animum non propensum, vt omnia illorum fundamenta subverteret; deinde futurum, vt Heretici nomen inureretur. Tandem, vbi totum annum sæviret pestis, coactus est Lovanium commigrare. Ante inuiserat Angliam in gratiam Montioii, tum discipuli, nunc Mæcenatis; sed amici verius quam benigni. Id temporis omnium bonorum apud Anglos benevolentiam sibi cõciliavit, ob id præsertim, quod spoliatus in littore Dovariensi, non solum non ultus sit iniuriam; sed mox emisit libellũ in laudem Regis, & totius Angliæ. Tandeme Gallia magnis promißis revocatus est ad Angliam: quo tẽpore nactus est amicitiam Archiepiscopi Cantuariensis. Vbi promissa non apparerent, petiјt Italiam: cuius adeundæ desiderio semper arserat. Egit paulo plus quam annum Bononiæ, iam vergente ætate, hoc est ferme quadragenarius. Inde cõtulit se Venetias, & edidit Adagia: inde Patavium, vbi hibernavit: mox Romam, quo iam fama celebris ac plausibilis præcesserat. Raphaëli, Cardinali S. Georgiј, præcipue charus fuit. Non defuisset ampla fortuna; nisi mortuo rege Hẽrico VII,

& suc-

& successore VIII, amicorū literis amplissima pollicentibus revocatus esset in Angliam. Illic decreverat reliquum ætatis peragere: verum ubi ne tum quidem præstarentur promissa, subduxit se in Brabantiam, invitatus in aulam Caroli * nunc Cæsaris; cui cōsiliarius factus est opera Ioannis Silvagij, Cancellarij magni. Cætera sunt tibi nota. Mutati cultus rationem reddidit in libello primo, quo respondet Leicis sycophantijs. Formā ipsi describetis. Valetudo semper fuit tenera; unde crebro tentabatur febribus, præsertim in quadragesima ob piscium esum, quorum solo odore solebat offendi. Ingenium erat simplex; adeo abhorrens a mēdacio, ut puellus etiam odisset pueros mentientes, & senex ad illorum aspectum etiam corpore commoveretur. Linguæ inter amicos liberioris, nonnunquam plus quam sat esset: & sæpe falsus, non poterat tamen amicis diffidere. Putidulus erat, neque quidquam unquam scripsit, quod ipsi placeret: ac ne facie quidem propria delectabatur: vixque extortum est amicorum precibus, ut se pingi pateretur. Dignitatum ac divitiarum perpetuus contemptor fuit: neque quidquam habuit prius otio, ac libertate. Candidus æstimator alienæ doctrinæ, & fautor ingeniorum unicus, si fortuna suppetisset. In provehendis bonis litteris nemo magis profecit, gravemque ob hanc rem invidiam sustinuit a barbaris & monachis. Usque ad annum quinquagesimum nec impetiverat quenquam, nec

*Vix paret, an *nunc*, an *tunc* scriptum.

impetitus est a quoquam stylo. Idque habebat sibi propositum omnino stylum incruentum servare. A Fabro primum est impetitus: nam Dorpiana orsa suppressa sunt. In respondendo semper erat civilitate. Lutherana tragœdia oneraverat illum intolerabili invidia, discerptus ab utraque parte, dum utrique studet consulere. Augebo catalogum operum meorum: ex hoc quoque multa colligentur. Scripsit ad me Gerardus Noviomagus quosdam meditari vitam Erasmi, partim carmine, partim oratione. Ipse cupiebat instrui secreto: sed non ausus sum mittere. Si contingat cum illo colloqui, poteris illi communicare. Nec tamen expedit aliquid tentare de vita, nisi res ipsa urgeat. Sed his de rebus fortassis alias, aut etiam coram.

Hæc ubi scripsissem, venit Berckman onustus mendaciis. Scio quam sit difficile, continere arcanum, tamen uni tibi credo omnia. Celebravi Viandulum nostrum: Livinus exhibebit libellum: hortare Ceratinum, ut, si quando relegat auctorem, annotet aliqua. Favendum est Frobenio: ego non possum illi semper adesse. Et eius causa gravor magna invidia. Nosti, quam sint figuli. Rursum vale.

Des.

Des. ERASMI vita,

Per

BEATVM RHENANVM.

Ex Epistola dedicatoria in fronte operum Origenis ab Erasmo recognitorum, Anno cIↃ IↃ XXXVI.

REdierat (Erasmus) Friburgo Brisigavorum Basileam anno superiori, quum ut Ecclesiastæ sive operi de ratione concionandi typis Frobenianis edundo præsens adesset, ac partem restantem illic absolveret, nam deerat ad finem aliquid, tum ut valetudinem adversam qua Friburgi laborare cœperat, cœli mutatione discuteret. Neque enim discessit quasi non rediturus, quum illic ut in ditione invictissimi Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque regis Ferdinandi, qui virum eius Reip. primoribus per literas accuratè commendaverat, quum primum illuc se conferret, lubentissimè vixerit, toto septennio non solum optimo cuique eius Academiæ charus, verum etiam Magistratibus, civibusque haud vulgariter amatus atque reverentissime cultus. Sed quum ab illustrissima Hungariæ Regina Maria ac aula Brabantica iterum ac iterum vocaretur misso pridem viatico, cogitans ille de fide sua liberanda qua reditum in inferiorem Germaniam certò foret non semel

pollicitus, supellectilem suam omnem Friburgo Basileam curavit avehendam, ut illinc in Brabantiam quum visum esset secundo Rheno navigaret. Hoc molientem & æstatis tempore satis commode habentem articularis morbus, quo Friburgi conflictatus ante fuerat, sic hominem lecto sub autumnum rursus affixit, ut hunc raro sit egressus, cubiculum semel tantum. Et tamen in tantis membrorum cruciatibus, si quando vel minimum conquievissent, nunquam scribere destitit. Testis est Commentariolus de puritate Ecclesiæ, & hæc Origenis recognitio. Tandem viribus paulatim deficientibus, mensem enim fermè integrum dysenteria laboravit, quum sentiret iam instare vitæ finem, extantibus ut semper, claris Christianæ patientiæ, & animi religiosi documentis, quibus in Christum se spem omnem figere testabatur, aßiduè clamans ô Iesu Misericordia, Domine libera me, Domine fac finem, Domine miserere mei, & Germanica lingua Lieber God/ hoc est, Chare Deus, quinto eidus Iulias sub mediam noctem vita functus est. Nec alias emisit voces, ratione usus integra usque ad supremum vitæ exitum. Impatientiam autem in solvendo naturæ debito ostendere, esse debet a Christiano prorsus alienum, quum mors piorum nihil sit nisi transitus ad vitam meliorem, & qui moriuntur non moriantur, sed præcedant nos eodem pervenire cupienteis, ut est apud Septimium Tertullianum. Paucis ante diebus quam vita defungeretur, quum Bonifacius Amerbachius,

bachius, Hieronymus Frobenius & Nicolaus Episcopius amici selectiores, illum officij gratia simul inviserent, cubiculum ingressos trium amicorum ad consolandum Iob venientium admonuit, vbinam scissæ vestes essent, ac cineres capitibus inspergendi quærens. Hoc autem anno se moriturum ante multos menses vaticinari solet, & triduo primum, deinde biduo mortem prædixit. Quam publicum sui desiderium reliquerit, testis fuit frequens ad supremo visendum defuncti corpus concursus. Elatus est humeris studiosorum ad ædem cathedralem, atque ibi iuxta gradus quibus ad chorum (vt vocant) ascenditur in sinistro templi latere, vbi sacellum fuit D. Virgini sacrum, honorifice sepultus. Nam in pompa funebri non Consul modo, sed etiam e Senatoribus plerique visebantur; Academiæ professorum ac studiosorum aberat nemo. Fuit in vita cum in studiosos inopia pressos, tum in cæteros subsidio dignos, quoties occurrissent, admodum liberalis. Nec dissentit a consueta benignitate suprema hominis voluntas. Testamentum enim condidit Romani Pontificis Clementis, Imp. Cæs. Caroli Aug. ac magistratus Basiliensis diplomatibus munitus, in quo clarißimum virum Bonifacium Amerbachium Iurecons. nominatum hæredem fidei commißo de bonis suis in pauperes ætate valetudine ve infirmos; in puellas nupturas, vt harum pudicitiæ succurratur; in bonæ spei studiosos adolescentes, ac in quosuis huiusmodi dignos auxilio distribuendis collocandisque oneravit, adiunctis

eidem duobus executoribus Hieronymo Frobenio, Nicolaoque Episcopio. Quid hoc testamento sanctius esse potest, aut magis Christianum? Alij construendis ornandisve Basilicis sua dicant, Erasmus maluit in viva Dei templa superāteis a morte facultates conferre. Legata porro aliquot amicis coniunctioribus reliquit, ad hæredem ipsum certis quibusdam rebus τὸ τοῦ πηγασιανείου δόγματος τέταρτον, quam Trebellianicam Iureconsulti hodie appellant, non æquantibus iußit esse contentum, cui sane voluntas tanti viri præceptoris & amici, omni iure est antiquior. Vixit ad septuagesimum annum, quem communem humanæ vitæ terminū regius propheta David statuit, aut certe non multum est supergressus: nam de anno quo natus est apud Batavos nobis non constat, de die constat qui fuit ad quintum calend. Novembreis Apostolis Simoni & Iudæ sacer. Apud Daventriam primū posuit in literis tyrocinium, utriusque linguæ rudimētis imbibitis sub Alexandro Hegio Vuestphalo, qui cum Rudolpho Agricola recens ex Italia reverso amicitiam contraxerat, & ab eodem græcè docebatur: nam huius literaturæ peritiam ille primus in Germaniam importavit. Terentij Comœdias puer non secus tenebat ac digitos suos, memoria namq; fuit tenacißima, ingenio perspicacißimo. Exceptis rudimētis plane dici potest in literis αὐτοδίδακτος, nam quod in Italiam iam natu grandior profectus est post regij apud Anglos medici filios, archiepiscopi quoq; S. Andreæ in Scotia qui tum Senis degebat,

gebat, aliquādiu præceptor, nobilißimæ regionis visendæ caussa fecit, non vt professoribus operam illic daret. Neq; enim Bononiæ quenquam publicè prælegentium audivit, sed Pauli Bombasii qui sub Leone postea Romæ perijt, amicitia contentus, domi studijs suis invigilabat, Adagiorum opus tū colligens, quod paulo post Aldo Manutio dedit excudēdum. quæ res fecit vt Venetias adiret, vbi Marco Musuro atque Scipione Carteromacho viris doctißimis familiariter usus est, quos ambos non semel consuluit si quis nodus incidisset, horum eruditionem ac candorē apud amicos cōmendare solitus. Hieronymo Aleandro Mottēsi triumlinguarū peritißimo, qui hodie Brundusinæ Ecclesiæ archiepiscopus præsidet, longe familiarius coniunctus fuit, vt puta contubernali in ædibus Aldinis, qui scit me vera prodere. Præter hos & Ambrosium Nolanum medicum, ac Baptistam Egnatium ibidem amicos habuit. Romæ postea Cardinalibus Raphaeli Reario atque Ioan Medicæ qui mox Iulio II. P. M. succeßit Leonis Decimi vocabulum nactus, gratißimus fuit. Docuit Lovanij, Cantabrigiæ in Anglia, Lutetiæ etiā privatim, vbi Theologiæ dedit iuvenis operā. Pileum deinde Doctoralem quum in Italiam iret in Taurinensi Academia accepit. Patronos ac Mœcenates habuit, Henricum a Bergis Episcopum Cameracensem, Guilielmum Montioium, atq; omnium liberalißimum Guilielmū VVaramū Archiepiscopum Cantuariensem, Angliæ primatem, cuius in libris suis sæpe mentionem facit, Amicos, in Britannia Ioan.

Coletum,

Coletum, Grocinum, Latumerum, Linacrum, Thomam Morum, Antuerpiæ Petrum AEgidium, Conradum Cochlenium Louanij. Corpusculo fuit satis compacto, sed quod esset tenerrimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione (puta vini, cibi, cæli ve) facile offenderetur. In literis aßidue versabatur infatigabili studio. Testantur hoc tot ab illo conscripti libri, quorum nomina recensere non est opus, quum ipse suarum lucubrationum catalogum ediderit annis superioribus ad Ioan. Botzheimium. Basileæ vixit apud Ioan. Frobenium aliquamdiu, deinde in alteris eiusdem ædibus seorsum habitavit; tandem Friburgo reversus apud Hieronymum Ioan. filium vita functus est, &c. Ex Selato, vulgo Sletstad, anno a partu Virginis matris cIↄ Iↄ xxxvi.

Idem de eodem prolixius
In Epistolâ præfixâ operibus ERASMI
Anno clↄ Iↄ XL.

Invictißimo Imp. Cæs.
CAROLO huius nominis V, Pio, Felici, Augusto, &c.

BEATVS RHENANVS S. D.

QVantæ semper laudi fuerit apud veteres, Invictißime Carole Auguste, cives habuisse viros insignes, ad posteros traditum inclytum illud septem Græciæ civitatum certamen satis indicat: quarum quælibet,

qualibet, natum apud se praeclarißimum vatum Homerum contendit. Nec iniuria. Quod enim maius ornamentum ulli vel urbi vel provinciae potest accidere, quam si talem progenuerit, per quem apud omnem posteritatem, illustrem sit laudem consequuta? quae ex nulla re solidior obveniat atque ex literis, quibus ad aeternitatem ipsam nihil magis durat. Hinc igitur moti Smyrnaei, Rhodienses, Colophonij, Salaminij, Iënses, Argivi, & Athenienses, certatim Homerum sibi vendicant; ut de AEgyptijs nihil dicam, qui illum suae gentis videri volebant. Quod si magni fecit Homeri natales ingeniosa Graecia, ceu omnis doctinae parentis & fontis perennis, cur tua Maiestas non meritò gloriari queat, Des. Erasmum *illum* Roterodamum *in sua ditione certo natum & educatum, cuius industria velut postliminio revixere plenius literae, non tantum in istis proximis Germaniarum Galliarumque regionibus, in quibus mira barbaries ante regnabat, verum etiam in ipsa nobilißima terrarum Italia, cum instructius, tum felicius huius ope florere coeperunt, ut si fortaßis ambitiosum sit eum alterum parentem literarum vocare, tamen instaurator ac primarius illustrator dici & poßit & debeat. Quis enim a mille annis extitit, qui plura scripserit cum in sacris, tum prophanis, tanta humanioris literaturae peritia perpolitus? cuius libri in longinquas provincias frequentius exportati sint, & avidius lecti? denique quem omnium nationum eruditi magis coluerint ob-*

serva-

servarintque? Nihil hic fingo, sed rem omnibus notam narro. Valebat nanque stilo arguto, extemporali, amœno, terso, feliciterq; fluente, quē assidua iuvenis adhuc exercitatione sibi paraverat: nec minus iudicio valebat, quod habebat longe acerrimū. Hoc docti in eo præcipue sunt admirati veneratiq;. Miraculo antē simile videatur, exactum adeo iudicium seculo tam rudi. Felicitati raræ perspicacissimi ingenij ferendum acceptum magis quam ullis præceptoribus, si mutos illos magistros excipias. Natus enim est abavi tui Friderichi III. Aug. primis imperij annis ad quintum calend. Novembris, Roterodami in Hollandia tua inferioris Germaniæ provincia, quam olim Batavi possederunt: nunc magis notam studiosis omnibus, ob unius indigenæ Erasmi incunabula, quam veterum incolarum memoria quamlibet bellico robore præstantium. Hoc alumno Roterodamum oppidum se semper iactabit, & doctis erit commendatum. Proximam sibi laudem vendicat Daventria, quæ puellum adhuc ex æde sacra Traiectensi cantorculum deductum, ubi præcentiunculas obire solitus phonascis etiam tenuissimæ vocis gratia pro more templorum cathedralium inservierat, instituendum suscepit. Præerat illic ludo literario tum Alexander Hegius Vestphalus, homo bonarum literarum minime expers, & Græcarum nonnihil peritus, Rudolpho Agricola communicante, cuius amicitia familiariter utebatur nuper ex Italia reversi, ubi Guarinum Veronensem Ferrariæ profitentem, & alios aliquot eru-

ditione

ditione celebres audiverat. Ingenium Erasmi mox eluxit, quum statim quæ docebatur, perciperet, & fideliter retineret, æquales suos omnes superans. Erat tum inter eos, quos illic fratres vocant, non quidem monachos, sed contubernij ratione & vestitus simplicioris & uniformis convenientia monachis similes, Ioannes Sintheimius vir probè literatus, ut illa ferebant tempora, testantur id Commentarij Grammatici quos edidit, magnum ea tempestate nomen in scholis Germaniarum cōsequutus. Is delectatus Erasmi profectu, nam cœnobitæ isti palliati quibusdā scholasticorum classibus præsunt & publicè docent, cōpleplexus aliquando puerum, Macte ingenio Erasme, inquit, tu ad summum eruditionis fastigium olim pervenies, simulque osculū dedit, & dimisit. Non fefellit hoc augurium, quod omnibus constat. Orbatus autem utroque parente paulo post, ut tutor omne procurationis onus discuteret, eius improbitate in cœnobium Canonicorum, quos addita Latina interpretatione Regulares appellant, ex Daventriensi schola monachorum omne genus fertilissimo seminario, detrusus est. In eo loco Guilielmum Hermannum Goudensem literis deditissimum iuvenem aliquot annis studiorum sodalem habuit, cuius extat Odarum Sylva. Hoc socio adiutus & accēsus nullū Latinorū autorum volumen non excussit. Diu noctuq; erāt in literis. Tempus quod æquales alij iocis, somno, comessationibus ignaviter absumebāt, hi duo libris evoluēdis & exercendo stilo impēdebant. Audita Erasmi fama

Camera-

Cameracensis antistes Henricus ex Bergensium regulorum familia prognatus, iuvenem iam sacris initiatum ad se vocat, adornans iter in Italiam Romamque petiturus. Videbat enim Erasmum valere literis, valere eloquentia, moribus ingenuis praeditum, epistolis eleganter scriptis id docentibus: unde cum usui tum ornamento Comitatui suo esse posset, si cum Pontifice Romano, si cum Cardinalibus agendum foret. Verum quid intervenerit, quo minus ea profectio sit ab Episcopo suscepta, mihi non liquet. Certè Gulielmus ipse valde doluit ereptum sibi Erasmum: sic enim in Oda quadam canit,

At nunc sors nos divellit, tibi quod bene vertat,
Sors per acerba mihi,
Me sine solus abis, tu Rheni frigora & Alpeis
Me sine solus abis.
Italiam Italiam lætus penetrabis amœnam. &c.

Quanquam vero de Roma adeunda consilium mutavit Cameracensis præsul, tamen Erasmum in aula sua retinuit ingenij suavitate & præstantia ac candore iuvenis delectatus. Hicque ille in multorum amicitiam sese insinuavit verè ἐράσμιος, in primis Antonij abbatis apud divum Bertinum, qui ex eadem Bergensium gente ducebat originem, & Iacobi Batti, qui senatus oppidi Bergensis fuit à secretis, ad quem tot eius extant epistolæ, qui postea apud

Annam

Annam Borſolam Adolphi principis Verienſis matrem diu vixit in ſummo honore. At Cameracenſis feliciſsimum Eraſmi alumni ſui ingenium contemplatus, haud gravatim eum ſumptibus inſtruxit, ut Lutetiam proficiſceretur, & illic Theologiæ, quam ſcholaſticam vocant, daret operam. Ergo Scotiſta factus eſt, in collegio Montis agens; nam inter Theologos diſputatores Ioannes ille Dunſius Scotus, ab acumine ingenij maxime prædicatur. Quumque vitam collegiaticam duriorem experiretur, non invitus emigravit ad Anglum quendam generoſum, adoleſcentes duos generoſos ſecum habentem: Montioium alterum ex illis fuiſſe conijcio. Videbant enim Angli inter profeſſores bonarum literarum in tota Academia Pariſienſi nullum exiſtere, qui vel eruditius poſſet, vel fidelius docere conſueſſet. Nam Fauſtus Andrelinus, alioqui carminibus magna cura pangendis intentus, defunctorie profitebatur, iocis quibuſdam magis feſtivis quam doctis plauſum rudium auditorum captans. Gaguinus obeundis legationibus ad exteros Principes occupatus erat, in iſtis ſtudijs non ita prorſum abſolutus: nec docebat publicè. Atque hinc cœpit Eraſmus in Anglia innoteſcere. In quam inſulam paulo poſt ipſe conceſsit a diſcipulis illis ſuis domum regreſsis invitatus. Vbi quum aliquandiu manſiſſet, in reditu apud Dovarienſe littus a telone fortunis propemodum omnibus exutus eſt, ac nondum navem ingreſſus naufragium fecit, quod compluſculos aureolos ultra præſcriptum numerum

& ſine

& sine regio diplomate (nihil periculi, nisi in Britānica moneta a Montioio & Moro persuasus, imprudens legum Anglicarum) efferre tentasset. Quæ iniuria utcunque mussitāda fuit: nec enim erat ullum remedium obstante lege. Nec tamen hoc damnū vel alienavit animum Erasmi, vel deterruit, quo minus in Angliam sæpius postea redierit. Abūdare tum cœperat ea provincia viris doctißimis, Guilielmo Grocino, Thoma Linacro, Gulielmo Latimero, qui in Italia literis operam dederant, utriusque linguæ peritia celebres: item Ioanne Coleto, Thoma Moro, Richardo Pacæo, & Gutberto Tonstallo, a quibus omnibus certatim amabatur: ut de episcopis nihil dicā, quorum ut quisquis erat literarum callentior, ita pluris Erasmum faciebat, & benignius tractabat. In Academia Cantabrigiensi docuit aliquandiu: idem & Lovanij fecit, quum apud Ioannem Paludanum eius scholæ rhetorem diversaretur. Demum persuasus ab amicis, quo tandem Italiam videret, cuius miro desiderio semper tenebatur (nec immerito quando totus hic orbis ea regione nihil modis omnibus cultius habet) cuius filijs Baptistæ Boerij Genuensis, regij in Britannia medici, Ioanne & Bernardo Bononiam profectus est: non ut pædagogus, nam morum curam exceperat, nec ut præceptor, sed ut inspector futurus ac studiorum viam commonstraturus, teste epistola ad Botzhemium, ubi inter professores Paulum Bombasium amicum habuit hominem, nivei pectoris, & eruditū, qui vicißim ingenio ac doctrina

Erasmi

Erasmi mirifice delectatus est. Iam enim obierat Beroaldus professorum sui temporis Achilles, & Baptista Pius antiquitatem infeliciter æmulatus Oscos & Volscos somniabat. In itinere cum socio Anglo Taurini in Alpibus Cottijs Theologiæ doctor factus est. Itaque dignitatem & eruditionem in Italiam importavit, quam cæteri inde reportare consueverunt. Dum Bononiæ volumen Adagiorum pridē cœptum absolvit, nā breve & rude specimen operis futuri Lutetiæ ante multos annos ediderat, cultum Canonicorum cœnobiticum, quo hactenus usus fuerat, huiusmodi de causa mutare coactus est. Mos est eius urbis haud quaquam reprehendendus, ut si suspicio sit de quoquam infecto peste, chirurgus ad hoc constitutus statim accersatur. Is ut commodius ab obviantibus & prætereuntibus devitari possit propter contagium exitiabile, solet albam mappulam ab altero humero transversim, pendentem gestare, & virgam in manu. Forte fortuna die quodam nescio quid acturus Erasmus per plateam oppidi infrequētiorem solus incedebat in cultu suo canonicali quemadmodum consueverat. Ibi duo tresve iuvenes imperiti obviā veniunt, & omophorio cādido conspecto, pestis exploratorem illū rati, quum in via pergeret Erasmus nihil huiusmodi suspicās, correptis saxis vim minati sunt, & cōvitijs impetiverunt, intra verba tamē grassati. Causam indignationis demirans inquirit. Aiunt de ædibus prospicientes, qui rixantes audierāt, scapularem illā vestē eos provocasse modo substrictā ad latus, deceptos ob cultus similitudinem, qui putarint eum

ab infecto aliquo redire, nec de via decedere velle. Proinde ne simile periculum deinceps incurreret Erasmus, ad Iulium secundum Pontificem Max. misit supplicem libellum, quo sibi religiosi cultus utendi aut non utendi gratiam faceret. Id promerentibus suis singularibus virtutibus haud gravatim concessum, modo veste sacerdotali uteretur: quod Leo decimus dein accedentibus aliis etiam iustis causis, non tam ad vitæ institutum, quam ad illustrandam Erasmi existimationem pertinentibus, in plenissima (quod aiunt) forma corroboravit: omnibus & singulis specialiter & expresse derogans, quæ (ut verbo dicam) quomodocunque obstarent, tenores obstantium quorumcunque pro sufficienter expressis enumeratisque habens. Ecquis autem dubitat Pontifices Max. in huiusmodi humanis constitutionibus plurimum posse, quum Iuris interpretes iisdem in ea, quæ vel Iuris Divini sunt, vel Gentium, interpretanda moderandaque non parum concedant: imo in omnibus, exceptis fidei articulis, liberam ex causa disponendi dispensandique, ut ipsorum verbo utar, potestatem esse tradant. Ad umbilicum perducto opere Proverbiorum, scripsit Aldo Manutio, an librum excudendum formis suscipere vellet. is respondit, id se lubenter facturum. Venetias delatus quum in officinam venisset, diu coactus est exspectare donec ad colloquium admitteretur, cum quia Aldus recognoscendis archetypis operarum laboribus formulas stanneas tumultuarie concinnantium occupatus erat,

tum quia putabat eum esse ex vulgaribus salutatoribus unum, qui magis curiositatis studio, quam auxilij vel consilij præbendi caussa, aßidue ventitando homini alijs rebus intento nunquam non molesti erāt. Vbi cognovit Erasmum esse, veniam precatus suavißime eum complexus est, & in ædibus Andreæ Asulani famigerati illius mancipis, soceri sui, secum tenuit, vbi contubernalem habuit Hieronymum Aleandrum Mottensem eruditione trilingui nobilem, nunc Cardinalem: inter alios etiam amicitia Pauli Canalis Patritij, Ambrosij Nolani medici præstantis, Baptistæque Egnatij familiariter usus: nec adeo brevi tempore: nam & Euripidis Tragœdias duas, Hecubam & Iphigeniam in Aulide, recognitas hîc denuo ædidit, & Terentij Plautique Comœdias habita carminis ratione castigavit. Sub id tempus Alexander, Iacobi Scotorum regis filius, Patavij literis operam dabat, Raphaelis Regij auditor, & iam Ecclesiæ divi Andreæ in Scotia Archiepiscopus: is Erasmum sibi in rhetoricis præceptorem adsciscit. cum quo postea Senas commigravit. Boerios enim discipulos post unicum cohabitationis annum, dudum dimiserat, ob patris morositatem Patavij doctißimorum virorum Marci Musuri Cretensis, & Scipionis Cateromachi Pistoriensis usus est commercio, quorum humanitatem sæpe me audiente deprædicare solet, expertus candorem non semel, dum in corruptis Græcorum autorum exemplaribus manu descriptis, quorum magnam partem Aldina biblio-

theca

theca suppeditabat, videlicet Pausania, Eustathio, Lycophronis interprete, Euripidis, Pindari, Sophoclis, Theocriti, similiumque commentarijs, horum exquirit iudicium. Nihil erat tam reconditum, quod non aperiret, nec tam involutum quod non expediret Musurus vere Musarum custos & antistes. Omnia legerat, excusserat omnia. Schemata loquutionum, fabulas, historias, ritus veteres ad unguem callebat. Hanc tam consummatam eruditionem etiam insignis pietas commendabat, dum patrem Graeculum iam grandaevum amanter seduloque fovet. Scipionem multiplicis doctrinae & ingenuitatis dotes exornabant. Vterque Romae perijt, sed Musurus a Leone Pontifice Monovasiensem archiepiscopen iam nactus. Dum agit Senis Erasmus in aedibus praesulis divi Andreae quem instituebat, cuius indolem saepe laudavit, & illum vera dixisse magis appareret, nisi cum patre rege latus eius claudens in praelio, quo exercitus Henrici Britanniae regis, cuius soror huic coniunx erat, tum in Belgica agentis & Tornacum instigante Iulio secundo Pontifice Max. obsidentis, cum Scotis irruentibus qui Galliarum partes fovebant, concurrit, clarissimis iuvenis paulopost caesus esset: dum illic, inquam, in Etruria agit Erasmus, commeatum impetravit vicinam Romam invisendi. Ibi dici non potest quanto plausu quantoque gaudio literatorum hominum sit exceptus, non mediocrium tantum, sed & eorum qui Cardinalitia dignitate praefulgebant: in quibus praecipuus Ioannes

Medices,

Medices, qui in Iulij II, demortui locum suffectus Leonis decimi, nomen obtinuit, & Dominicus Grimanus Venetus, atque AEgidius Viterbiensis trium linguarum peritißimus, tres quidem egregij Heroes fovendis studijs nati ac deditit, in quibus adeo non vulgariter excellebant. Vidit, vt audire memini, & Thomam illum Phædram facundia extemporali incomparabiliter eloquentem, qui Ludis & Comœdijs recensendis priscam antiquitatem repræsentabat. Vidit & alios professores. Oblata est Pœnitentiarij dignitas, si Romæ manere vellet, via futura ad altiora conscendendi: nam emolumentum non contemnendum inde esse poterat. Sed redeundum fuit ad Archiepiscopum, cum quo postea denuo Romam adijt, quam nobilißimus adolescens videre cupiebat, prius quam in Scotiam suam rediret: nec Roma sola, quanquam dißimulatio archiepiscopi fastigio, ne cuiquam molestus esset: sed ulterior illa pars Italiæ Cumas usque perlustrata, ac antrum Sibyllæ subintratum, quod illic ab accolis etiamnum ostenditur. Post discessum antistitis ecclesiæ divi Andreæ, veterũ amicorum memoria, quos in Britannia reliquerat, in causa fuit Erasmo cur reditũ in patriam & ipse maturandum duceret. Itaq; per Alpes Rheticas Curiam primum, deinde Constantiam ad lacũ Brigantinũ profectus, transito Lentiensium tractu qui sunt ad Martianæ sylvæ initium, quod priscis Orcynium fuit, per Brisigavos Argentoratum venit, unde sequundo Rheno in Hollandiam vectus est. Mox amicis suis

Antverpiæ & Lovanij salutatis, Angliam adit. Tenebatur desiderio Ioannis Coleti Theologi, qui Londini decanus erat apud divum Paulum, Grocini, Latimeri, Linacri, quorum ante meminimus, & præcipue Thomæ Mori. Vetus Mæcenas erat Guilielmus VVaramus Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & eius regni Cancellarius, hoc est, iudex summus, qui omnes episcopos eius insulæ sua liberalitate vicit. Hic & pecuniam dedit, & præterea sacerdotium Ecclesiæ Aldingtonensis in agro Cantuariensi: quod quum religione Erasmus obstringeretur quo minus statim acciperet, emolumentis integris potius ad pastorem pertinentibus, qui præsens diu noctuque subiectam plebem institueret, id quod nullus inficiari potest, ad cunctabundum Cantuariensis, Quis, inquit, te æquius ex Ecclesiastico proventu vivat, qui scriptis tuis utilißimis ipsos Ecclesiarum præfectos presbyteros instruis, doces, adiuvas, unus omnes: nec illos tantum, sed & cunctas ubique terrarum Ecclesias, quibus illi singulis singuli duntaxat præsint & prosint. Sane plus semel Erasmum dicere memini, Principum esse debere officium, ut propria liberalitate studiosos iuvent: sed illos suis impensis parsuros ad sacerdotiorum collationem confugere, ad quæ accipienda sectatores disciplinarum cogi, ut ocium literarium tueri queant. Cæterùm ut Montioium inscriptione Proverbiorum honestavit, & Iohannem Coletum, novæ scholæ Londini institutorem, libris Copiæ duplicis, verborum & rerum,

verum, ad quem ludens aliquando dixit, se pauperem plane factum emissa utraque Copia; ita præstantissimum Mæcenatem suum Gulielmum VVaramum recognitione Hieronymianarum præcipue lucubrationum immortalitati consecrare statuit. Opus Adagiorum Aldum æmulatus flagitantibus studiosis Ioannes Frobenius typis suis non infeliciter excuderat: qua arridente editione, simul officinæ diligentioris celebritate motus Erasmus, quum alterum Proverbiorum exemplar cum accessione pridem Badio promissum & destinatum, adiunctis aliquot Plutarchi libellis recenter versis, Francisci Pircmanni consilio Basileam aberrasse cognovisset, & illic omnes divi Hieronymi lucubrationes sub Frobenianis prælis esse, ipse quoque eodem se contulit, simulans iter ad Vrbem voti solvendi gratia. Nec fuerat vanus rumor. Pridem enim Ioannes Amerbachius absolutis Ambrosii Augustinique libris totum se comparaverat ad castigationem voluminum Hieronymi, undique conquisitis vetustis exemplaribus, & doctis viris conductis, qui Græcas dictiones passim restituerent: de quorum numero fuit Ioannes Reuchlinus Iureconsultus, qui e Lexicis vacuas lacunas replere conabatur; cui successit felicior castigator Ioannes Cono Norimbergensis, instituti Dominicani, qui meliorem viam sequutus, e vestigijs antiquorum codicum ea, quæ vel deerant, vel depravata erant, diligenter reponebat. Idque poterat homo propemodum Græce quam Latine doctior, versatus nimirum

in optimis autoribus, aliquot annis excellentissimorum in Italia professorum Musuri & Scipionis, quorum ante meminimus, atque Ioannis Cretensis minime pœnitendus auditor. Et iam defuncto patre, Bruno & Basilius filij una cum Ioanne Frobenio Hieronymi informationem aggressi erant, & in Prophetis aliquo usq; progressi. Erasmo novo hospiti statim in ædes Frobenianas recepto placuit editionis nitor, sed in primis incredibilis fratrū Amerbachiorum in castigando sedulaque diligentia. Ipse ergo si quando consulebatur, ubi iudicio opus erat propter exemplarium variationem, nusquam deerat. Verum Epistolarum volumina sibi peculiariter vendicabat, partim absolvendis scholijs, quæ iam pridem cœperat, partim novis addendis & argumentis adscribendis occupatus. Hic labor non erat exiguus. Accessit longe maior. Desiderabant studiosi Galliarum & Germaniarum seorsim edi Novum Testamentum Græce, quod cum Veteri Venetijs coniunxerant. In id olim scripserat Annotationes, Laurentium Vallam imitatus. Eas quum reperisset inter schedas suas, tumultuarie recognovit, & auxit inter prælorum strepitus. Nec deerant qui ipsum N. Testamentum elimandum putaret, vulgo Christianorum, ut videtur, scriptum vel potius versum. Et hæc monentibus pro sua facilitate paruit. Hunc vero laborē Leoni x. Pont. Max. inscripsit, & quidem merito, primarium nostræ religionis instrumentū summo eiusdē præsidi. At Hieronymianorum operum recognitionem Cantuariensi archie-

archiepiscopo VVarano consecravit, æternum observantiæ singularis monumentum. Rediјt tum in inferiorem Germaniam propter negocia, ac non ita diu post ad nos reversus, commodū illuc recurrerat, quum Maiestas tua Romani Imperij fascibus, cuius nobis ab ipsis Gothis Theodoricho illo Veronēsi & cæteris antiquitas, apud Aquas Grani inauguraretur. Mox Coloniæ Vbiorum adfuit sub conventum VVormaciensem, in ordine eorum, qui tibi sunt a consilijs spectabilis: nam in horum cœtum iampridem a te prudentißime erat adscitus, adhuc vivente Ioanne Sylvagio summique Cancellarij munus obeunte. Solutis comitijs Vangionum & vrbe Tornacensi recepta, quum in Hispanias ex Brabantia Maiestas tua esset regressa, Basileam repetijt Erasmus, iterum editurus Adagiorum Chiliadas & Paraphrases Paulinas atque Euangelicas absoluturus, quas dubium est, maiore ne studiosorum applausu orbis exceperat, an maiori alacritate ipse scripserit. Hic sum, inquit, in meo campo. Et sic erat. Inspiciebat veteres maxime interpretes, ex nostris Ambrosium, Hieronymū, Augustinum, Hilarium, ex Græcis Chrysostomum & huius imitatorē Theophylactū, ipse stilum accommodabat tantum. Ex his unam maiestati tuæ inscripsit, nempe primam, quæ est in Euangelium Matthæi, & postremam germano tuo Cæsari Ferdinando: nam qui te iuvenem summopere veneratus est tot regnorum heredem, qui minus suspiceret ad fastigium Romani Imperij concordibus principum suffragijs evectum,

aulæ tuæ dicatus honestissimoque officio obstrictus? Inveni adhuc Institutionem Principis Christiani paravit sanctis cæterùm brevibus aphorismis comprehensam, libellum ita me Deus amet, in quo velut in speculo destinatus summarum rerum administrationi, vel ipse functiones Christiano dignas addiscat, vel huic additus præceptor intueatur qualibus doctrinæ elementis puerilis regum animus, dum etiamnum tener est, imbui debeat. Siquidem hoc Erasmus semper studio habuit, nobilissimam Austriacam familiam tot Cæsarum parentem, cuius imperium vix Alpibus Iulijs Rheticisque & Oceano Septentrionali terminatur, omni obsequiorum genere, quæ literarum sectatori convenirent, colere. Docet hoc Panegyricus patri tuo Philippo ex Hispanijs reduci exhibitus, & ab eodem perquam amanter susceptus: quod ille officium singulari munificentia censuit prosequendum, tanquam omine quodam felici primus ostendens quantam olim æstimationem essent habitura huius viri scripta, ac tantum-non exemplum statuens quod cæteri magnates æmularentur. Nec aliter accidit. Etenim similem multorum Regum & Pontificum Max. benignitatem expertus est Erasmus, ut tuam in primis, Imperator Auguste, ut Ferdinandi nunc Cæsaris germani tui, ut Henrici Britanniæ regis eius non ita octavi, a quo vivente etiamnum parente Henrico Septimo literis ipsius manu scriptis salutatus est, ut Clementis VII. Pontificis Max. Nec alia mente Hadrianus Pontifex fuit, si sacerdotium oblatum,

oblatum, vel munus honorarium Erasmus accipere voluisset. Quid porro Erasmo a Francisco Valesio Galliarum rege non expectandum fuit, si animum spectemus, & quid in eum conferre voluerit? Vnis certe literis, longe gratissimum eius adventum fore, sua ipsius manu subscribere non est dedignatus. Paulum vero Pontificem Max. eius nominis tertium, quam virtuti & eruditioni Erasmicæ iudicio & animo, tam etiam effectu ad quamlibet opportunitatem favere fuisse paratum, inde apparet, quod præterquam de Erasmo in collegium Cardinalium cooptando actum fuerat, ipse eidem præposituram Daventriensem Traiectensis diœcesis, quæ sexcentorum aureorum reditum tribuere dicitur, ultro obtulerit. obtulerit autem? imo contulerit, literas non solum Apostolicas super ea ne expeditionis tædio atque impensa beneficium comminueretur promittens, sed illustrissimam Vngariæ reginam Mariam sororem tuam, Flandriæ tuo assensu præsidentem, ut pro sua erga Romanam sedem filiali observantia, & regia in viros benemeritos benignitate, dictæ præposituræ (ut appellant) possessionem vacuam ab intrusis pro Erasmo conservari curaret, literis bene amantibus interpellans: quas tamen Erasmus αὐταρκής, quod sacerdotium recusare instituisset, penes se reservavit, satis viatici sibi paulo post morituro superesse dicens. Principum sane & Episcoporum in Erasmum munificorum catalogum texere perlongum sit. Nec solum a Principibus honoratus est

Erasmus, sed etiam a civitatibus Germaniæ: si qua transiret, & magistratus rescissent, vino donatus, qui honor magnatibus & civitatū legatis more gentis impenditur. Id me præsente contigit Basileæ, Constantiæ ad lacum Brigantinum Barptolomæo Plaurezo Iureconsulto & consule ad convivium sua sponte venire dignato, Schefhusiæ ab Abbate & magistratu, Friburgi Brisigavorum, in Monte Brisiaco Selestadij, Argentorati, & alijs item locis Nam notum erat non paucis eum tuæ Maiestati esse a consilijs. Equidem ob excellentiam doctrinæ, quam editis indies libris testatiorem cunctis faciebat: dignus alioqui censebatur, quem omnes mißis muneribus nihil tale ambientem certatim ornare, & quovis honoris genere reverenter cuperent afficere. Quòd si vulgò videmus eos nullis non militaris gloriæ titulis insigniri, qui, si quando opus fuerit, & incidat neceßitas, defendere patriam vitæ suæ periculo sunt parati: quando iustius honoratur, qui non breve aliquod tempus, sed omnem ætatem in literis pro publica utilitate ultro absumpsit exercens ingenium, genium suum defraudans. Potuisset esse magnus & indies fieri maior apud tuam maiestatem. An non ad summum autoritatis Ecclesiasticæ fastigium præceptor olim ille tuus Adrianus Traiectensis evectus est? Potuisset in splendore vivere apud quosvis Reges quis enim summorum principum eum non amicis potuisset in otio in voluptatibus versari: sed prætulit communem studiorum utilitatem universis honoribus &

huius

huius vitæ crassis delitijs. Verisimile est præter alias causas felicem quoque succrescentium studiorum successum hominem haud parum inflammasse ad quidvis perferendum. In Germania Galliaque mire frigebant literæ: vix & unus & alter Latinè sciebat, Græcè nullus. Et ecce statim, ut editæ sunt Adagiorum Chiliades, & libri de utraque copia, velut in nebulis coorto sole, emergere linguarum peritia cœpit. Prodibant alij atque alij libelli ad hanc rem conducibiles, Theodori Grammaticæ Institutiones Latine versæ, multorumque autorum in utraque lingua monumenta Græcè citra præceptoris operam discere volentibus admodum accommoda. Nam hac ratione etiam Harmolaus Barbarus immortale decus Venetiarum olim profecisse fertur privato studio collatis doctissimi Gazæ versionibus. Iamque quasi signo dato, literarum causam in his provincijs optimus quisque promovebat. Sed omnium maximum subsidium attulit Trilingue collegium illud in Academia Lovaniensi institutum suadente Erasmo. Magnas opes moriens reliquerat Ariensis præpositus Hieronymus Buslidius, Francisci Vesontini quondam archiepiscopi in Hispania peregrè extincti frater, quas quum ille studiosorum usibus destinasset, Erasmus testamentarijs autor fuit, ut Athenæum Lovanij constituerent, in quo stipendijs ordinatis tres linguæ publice docerentur, e quo tanquam ex equo Troiano innumeri cognitione linguarum instructi prodiere hactenus, & faventibus superis deinceps sunt

prodituri: quo universa ditio tua, Cæsar invictissime, nihil habet præclarius. Ea res Franciscum quoque Galliarum regem movit, ut ad similis collegij Lutetiæ Parisiorum institutionem animum adijceret, Erasmum per literas evocando, cuius consilio omnia disponerentur. Et iam regium diploma acceperat ad itineris securitatem, sed intervenere causæ quæ profectionem impedirent. Instituti tamen & illic professores. Itaque in confesso est, literarum in his provincijs incrementa potissimum Erasmo deberi. Quem enim ille lapidem non movit (quod aiunt) ut studia procederent: Quanto candore tradidit omnia, ab omnibus intelligi volens: quum multi res obscuras multo obscurius explicent. Editurus Proverbiorum opus à quibusdam doctis audire coactus est, Erasme tu evulgas mysteria nostra Sed cupiebat is omnibus ea aperta esse quo perfectam eruditionem consequerentur. Hoc candore destituebatur ille, qui Venetijs olim Aldo Manutio commentarios Græcos in Euripidem & Sophoclem edere paranti, dixit, Cave cave hoc facias, ne Barbari istis adiuti, domi maneant, & pauciores in Italiam ventitent. Iam nihil tam humile fuit, quo tantus vir studiosorum gratia se non demitteret. Etiam ipsum Catonis carmen iuxta titulum, emendare & interpretari dignatus est, ut nec in magnis, nec in minutis eius opera desideraretur. Adeo vix proferri queat, qui unus studijs communibus plus profuerit. Habet quidem Gallia Budæum principem literarum, quem libenter

benter opponat, qui cùm abstrusissimam rei nummariæ, quæ apud veteres fuit, materiam primus doctissimè copiosissimeque explicuit, tum priscas loquendi formulas Iureconsultorum elegantissime edisserit, maxima (quod negari non potest) nationis suæ gloria editis in Pandectas Annotationibus: denique Commentarios lingua Græca conscripsit, quibus nihil utilius Græcitatis studioso contingere potest. Sed noster in Theologicis plus operæ posuit. Quam studiorum partem paulo liberius tractavit, quod videret (ut ipsius utar verbis, ad amicum quendam scribentis) plus satis tribui Theologiæ argutatrici, veterem prorsus aboleri: sicque Theologos argutijs Scoticis incumbere, ut non attingant fontes divinæ sapientiæ. Ad hæc disciplinam ecclesiasticam longè prolapsam esse a synceritate Euangelica: populum Christianum multis modis gravatum esse: conscientias hominum varijs tricis illaqueatas. Atque hanc ob rem alicubi quorundam arrogantiam, ambitionem, avaritiam, superstitionemque liberiori stilo subtaxat, nemini hic adulatus quamlibet potenti, quod tamen hodie nimium multi faciunt. Nec alia res plus officit principibus maxime ecclesiasticis, dum laudamus quod faciunt, non quid facere debeant commonstrantes. In hac ille parte nusquam cessat. Quamquam eum sæpe dictitare memini dum adviveret, si præscisset tale seculum exoriturum quale hoc nostrum est, se multa non fuisse scripturum, aut isto modo non scripturum. Sed Deo gratia, videmus

istarum admonitionum aliquem fructum. Theologorum manus pro Halesio, pro Holcoto, Cyprianum, Augustinum, Ambrosium & Hieronymum suis horis versant. Studium theologicum diffusum Petrus Langobardus in methodum redigere conatus est, collectis Sententiarum libris: sic enim appellant. Sed in commentariis recentiorum modus desideratur. Similem rem apud Græcos tentavit Damascenus. Ex veteribus licet cognoscere nascentis ecclesiæ exordia simplicissima, quæ paulatim ad hanc maiestatem increverunt. Absque quorum lectione citra iudicium de rebus disserit, qui in neotericis tantum versatus est, amussis iuxta proverbium alba ad sacrorum expensionem. Quare veterum cognitio scriptorum futuro Theologo perquam necessaria: ad quam tantopere studiosos cohortatus est Erasmus, emendatis illorum lucubrationibus, & ad exemplaria vetusta collatis. Extant libri, nec est opus nominatim recensere. Addidit plerisque locis censuras, quas ceu singularem dotem ac evidens argumentum præsentissimi perspicacissimique ingenii magis admiror, quàm quidvis aliud. Nullum enim arbitror fuisse multis iam seculis, qui in hoc plus valuerit, id quod consummatæ eruditioni postremo omnium contingere solet. Quibusdam visum est non satis esse Ciceronianus, ad structuram & verba Tullianæ dictionis omnia severè exigentibus. Sed ipse stilum apertum, extemporalem, [illegible] argumentum [illegible] vit vocabula [illegible] coactus est Christianæ Religionis,

materiæ

materiæ quam tractabat servientibus. Neque enim probabat eorum superstitionē, qui verius inanes modulos quosdam antiquitatis referunt, quàm sententias densas & præstantes. Sane fatemur seculum Ciceronis fuisse purißimum & imitatione dignum, ac proinde magnam felicitatē si quis sincerā illius temporis, quo lingua Latina maximè floruit, phrasim assequatur. Et quibusdam rem bellè procedere cernimus, nec invidemus. At proferant nobis in medium tot tamque utilia scripta, tam sancta, tam cordata, quot ab Erasmo Christianus orbis accepit, & cum illis sentiemus, ac Ciceronianos etiam à pietate sanctimoniaque prædicabimus. Horum librorum magnā partem Basileæ in ædibus Frobenianis in mōte divi Petri sitis, partem etiam Friburgi Brisigavorum elucubravit. ad hoc enim oppidum in ditione fratris tui regis Ferdinandi positum, monitu Bernardi à Gles Cardinalis Tridentini cum sarcinulis suis migrare coactus est, verentis ne quid illi accideret Basileæ mutato sacrorum cultu; quæ tamen res longè placidius transacta est, magistratuum prudentia, quà multi divinabant, nemine ex universo numero sacerdotum per contumeliam attacto. Friburgi primum in ædibus illis magnificis habitavit, quas avus tuus divus Maximilianus pro senectutis suæ nido per Iacobum Villingerum suæ Maiestatis à thesauris parari quondam sibi iusserat. Deinde propriam domum emit. At quum ab illustrißima sorore tua Maria Hungariæ regina, quam tu

ab obitu

ab obitu amitæ tuæ Margaretæ provinciis inferioris Germaniæ gubernandis præfecisti, in Brabantiam revocaretur, & Ecclesiasten suum prius esset editurus, ut præsens adesset dum exculitur in officina, ac operi colophonem (quod aiunt) adderet: nam nescio quid ad calcem restabat adtexendum, simul ut cœli mutatione reliquias morbi pertinaciores discuteret, vendita domo Basileam cum universa supellectile sua, quæ libris maximam partem constabat, post septimum annum reversus est, ad Hieronymum Frobenium amicum veterem hospes gratissimus divertens, hoc consilio, ut recuperata bona valetudine, & absolutis iis quæ habebat in manibus, navigio per Rhenum, in inferiorem Germaniam descenderet. Interim articularis morbus, qui aliquandiu conquieverat, rursus hominem corripit & miseris modis vexat, ut se loco movere nequiret, frustra cœlo mutato. Hic remittentibus cruciatibus ex bipede primum quadrupes, deinde tripes factus est, scipionum auxilio se sustentans & sensim prorepens. Qumque schedas epistolarum, quas annis superioribus a diversis amicis acceperat, sigillatim evolveret, novæ nescio cuius editionis gratia, ac plurima eorum qui a rebus humanis excesserant, in manus venirent, subinde aiebat: Et hic mortuus est: ac tandem, Nec ego diutius vivere cupio, si Christo Domino placeat. Sic languentem & viribus destitutum, dysenteria, malum exitiale, ferme mensem integrum vexavit, ac paulatim exhaustum in summa æquani-

æquanimitate & tolerantia tandem extinxit, Christi misericordiam extremis sæpe repetitis vocibus implorantem. Qui Christi doctrinam vivens tam syncere tractavit, mortuus indubiè mercedem ab illo summo Agonotheta amplam accepit. Testamentum Maiestatis etiam tuæ fretus autoritate condiderat, quo pauperum inopiæ relictis a morte facultatibus suis trifariam consultum voluit, invalidis senioque confectis, virginibus elocandis, quibus dos deesset mariti conciliatrix, & studiosis fovendis. Id Bonifacius Amerbachius Iuris professor, hæres nuncupatus, redemptis annuis stipendijs reditibus-ve bona fide cum socijs iuxta testatoris mentem exequutus est, & quæ fieri ille voluit cuncta adamußim accuravit. Is ipse memoriam in æde sacra cathedrali Basileensi patrono optimo in columnari structura, cui saxum tumulum operiens Termino sculptili insigne adiacet, affigendam locavit in marmore Rhetico. Statura novit Maiestas tua fuisse eum, ut ipse de Moro quadam epistola scribit, infra proceritatem, supra tamen prorsus notabilem humilitatem. Corpusculo satis compacto & eleganti, sed quod esset tenerrimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione, puta vini, cibi, cœlive facile offenderetur, in senio crebris quoque calculi doloribus obnoxius: ut de pituita nihil dicam, alioqui perpetuo communique studiosorum omnium malo. Cute corporis & faciei candida, capillitio in iuventa subflavo, oculis cæsiis, vultu festivo, voce exili, lingua pulchrè ex-

plicita,

plicita, cultu honesto & gravi, qui Cæsareum consiliarium, Theologum & sacerdotem deceret. Fuit in retinenda amicitia constantissimus, nullis unquam inscriptionibus quacunque de causa mutatis. Memoria felicissima: nam puer totum Terentium & Horatium memoriter complexus est. In egenos liberalis, quos, ut alibi, sic à sacro domum rediens per famulum nunquam non munerari solet: maxime vero in bonæ spei & indolis adolescentes studiosos, si qui ad se viatico destituti venissent, largus, benignus, & munificus. In convictu comis & suavis citra omne supercilium: ubique certè ἐράσμιος, hoc est, amabilis: quod ille nomē à se dolebat non usurpatum, quum primum scribere cœpisset, & editis libellis innotescere. Quis enim, inquit, quenquam mortalium Amorem audivit appellari, id quod Græcis significat ἐρασμός. De libris porrò suis, quos in omni vita conscripsit innumeros, quâ, sacros quâ prophanos, coniunctim & universim edundis, vir modestissimus, nihil moriens statuit, opinatus futurum ut cultioribus quotidie emergentibus ista sua scripta facile negligerentur. Cæterum quum Hieronymus Frobenius & Nicolaus Episcopius typographi sensissent ea à studiosis in eo ordine simul collecta desiderari, quem ipse quum viveret ad Ioannem Botzhemium & postremo ad Hectorem Boëtium suarum lucubrationum catalogum recensens, indicavit, videlicet ijs primum coniunctis, quæ vel ad institutionem literarum vel ad pietatem pertineat, tum Moralibus,
deinde

deinde Apologijs, & ultimo loco recognitis autoribus suas partes implentibus, obsequendum studiosis rati, rem ausi sunt quum magnificam, tum omnium favore dignam, nulla nec sumptuum nec laborum magnitudine deterriti, quicunque tandem sequeretur eventus, modo ut voluminum Erasmi tomos conficerent, autoris Catalogum ad Hectorem Boeotium, tanquam recentiorem, potißimum sequuti: adiectis etiam ab Amerbachio, suo quibusque loco ijs, quæ postea idem ille Erasmus elucubravit: omisso tamen Decimo Tomo, non nisi alios autores ab ipso recognitos complectente: in quibus seorsum successu temporum excudendis, etiam suam operam studiosis ijdem chalcographi pollicentur, si modò æquum experti fuerint lectorem. Quæ editio quum ob alia magni facienda est, tum ob hoc quòd tanti literarum antistitis existimationi consulit, ne quis aut animo nocendi, aut quæstus studio, gratiam videlicet Erasmici genij captans, deinceps aliquid illi tribuat quod ipse non scripsit: id quod vivente eo, factum scimus: aut tanquam suum non agnovit, aut etiam agnitum, minime editione dignum existimavit. Quare Clementißime Cæsar, veterum Imperatorum ac Regum exemplum imitatus, qui rem literariam & honestas disciplinas tueri magnificum censebant, istum Erasmicorum librorum Thesaurum, quo nihil universa res literaria vel ornatius habet, vel utilius, vel etiam magis, inter monumenta recentiorum, sartum tectum conservandum suscipe, hominis

hominis tot modis tui, sive patriam Hollandiam respicias, quæ te Dominum agnoscit; sive Consiliarij dignitatem, quam tibi fideliter obivit; sive probi pectoris devotionem, quo nobilissimæ isti familiæ Austriacæ sive Burgundiacæ semper deditus fuit. Verè enim regia res est tueri literas, quibus extinctis miserabili caligine cuncta confundentur, nec homines a brutis animalibus different. M. Vitruvium haud puduit de Architectura scribere ad Octavium Augustum, qui in ordine vestro Romanorum Imperatorum secundus fuit, Iulij vt heres, ita successor: Dictionarium suum Pollux Græcus autor Commodo Cæsari dedicat: Oppianus τὰ ἁλιευτικά Antonino L. Sept. Severi F. inscribit: non quod architectus esset Octavius, a quo struendarum ædium consilia peterentur: aut Commodus, grammaticus: aut physiologus, Antoninus: sed vt liberalium artium patronos agere meminissent tanti monarchæ. Et disciplinis quidem illi delectabantur vt docti, & à teneris rectè instituti, non favebant tantum. Quin florebat ipsum Romanum Imperium ab hominibus virtute & eruditione excultis per diversa officia administratum. Sume ergo tibi lucubrationes Erasmicas defendendas, verè τὸ τῆς ἀμαλθείας κέρας: partim quod in his quædam tuæ Maiestati privatim dicata sunt, velut Institutio Principis Christiani, & in Matthæi Euangelium Paraphrasis: partim quod vt tu summus es orbis Monarcha, sic etiam omnium commodis prospicere debes. Proderit autem orbi talem

Thesaurum

Thesaurum esse conservatum, nec sycophantis quibusdam & studiorum osoribus vel huius intercipiendi vel concerpendi fieri potestatem, non quod Erasmo magnopere timendum sit, quem amare extinctum incipiunt, qui vivum oderant: Pascitur enim, vt Ovidius ait, in vivis livor, post fata quiescit: sed vt malevolis omnis vel calumniandi vel sinistrè conatus ausa penitus amputetur. Id fiet, si tua Maiestatis quasi Aiacis clypeum opponas, & reipsa ostendas, non solum imminutæ Maiestatis reos esse, qui in te Principem Romanum, sed & qui in Consiliarios suos conspirant: id quod Honorius & Arcadius AA. censuerunt. Quis enim rabularum non obmutescet, si protegentem Carolum viderit? quis illorum aspectu tui territus non terga dabit? quem Afri congredientem expaverunt, quum depulsum ditione sua Tunetensem regem ultramarina expeditione suscepta rem maximam atque difficillimam ausus, feliciter & celeriter restitueres. Qui Italiæ pacem dedisti, inque ea iam diu nobilissimam regionem conservas. Qui proximis diebus Gandavensem tumultum in gravem totius Flandriæ perniciem erupturum, dicto citius compescuisti. Quem spes est Germaniæ nostræ pristinam concordiam resarturum lite partium utrinque audita, ac per tuam prudentiam qua vales autoritatemque æqualiter dirempta. Atque utinam immortalitate dignus Erasmus tantisper superfuisset, dum ista a te fortiter & præclare gesta suavissimo stilo suo memoriæ æternæ consecrasset! In

nulla

nulla re ille, certo scio, libentius fuisset occupatus. Denique addam hoc unum, prius quam finem faciam: Glorientur cæteri Imperatores, huius vel illius quamlibet magnæ, persæpe etiam atrocis rei, casu suum principatum factum insignem, Caroli Cæsaris tempora candidissimi scriptoris Erasmi monumentis illustrata nunquam ignorabuntur. nam solet eruditissimi cuiusque laus etiam in principem redundare, sub quo vixerit, ut non dicam in cuius clientela fuerit numeratus. Bene valeat Maiestas tua, Cæsar Invictissime, & Erasmi sui lucubrationes sibi commendatas perpetuo tueatur. Selestadij, calendis Iunijs, Anno a Christo nato M. D. XL.

TESTAMENTVM EXTREMVM

ERASMI ROTERODAMI.

In nomine sanctæ Trinitatis.

DEsiderius Erasmus Rotterodamus fretus diplomatibus Cæsaris, Summi Pontificis, ac Magnifici Magistratus inclytæ civitatis Basileensis, hoc meo chirographo renovo supremam voluntatem meam, quam quocumque titulo firmam ac ratam haberi volo. irritum verò si quid aliud testatus sum. Principio certus me nullum habere legitimum hæredem, præstantissimum virum D. Bonifacium Amerbachium omnium facultatum mearum hæredem instituo:

stituo: exequutores verò Hieronymum Frobenium & Nicolaum Episcopium. Bibliothecam meam iam quidem vendidi D. Ioanni a Lasco Polono iuxta syngrapham super hoc contractu inter nos confectam: non tradentur tamen libri, nisi heredi numeraverit ducentos florenos. Quod si ille pactum remiserit, aut me prior e vita excesserit, liberum esto hæredi de libris statuere quod velit. D. Ludovico Bero lego horologium aureum. Beato Rhenano cochleare aureum cum furcinulâ aureâ. M. Petro Vetero centum quinquaginta coronatos aureos: tantumdem Philippo Montano. Lamberto Famulo, si mihi morienti adfuerit, ducentos florenos aureos, nisi ego vivus hanc summam ei numeravero. D. Ioanni Brischio Lagenam argenteam. D. Paulo Volsio florenos aureos centum. Sigismundo Telenio ducatos centum & quinquaginta. Ioanni Erasmio Frobenio duos annulos, quorum alter non habet gemmam, alter habet gemmam subviridem, Gallis dictam Turquoys. Hieronymo Frobenio lego omnes vestes meas, omnemque supellectilem meam, laneam, lineam, & ligneam: præterea poculum quod habet insignia Cardinalis Moguntini. Vxori eius annulum, qui habet imaginem mulieris in tergum respicientis. Nicolao Episcopio poculum cum operculo, quod in pede habet versiculos insculptos. Iustinæ uxori eius duos annulos, quorum alter habet adamantem, alter Turquoys minorem. M. Everardo Go-

do Goclenio poculum argenteum, quod in summo habet imaginem Fortunæ. Si quis legatariorum interciderit, quod legatum erat, in hæredis arbitrio esto. Heres præter ea quæ per syngrapham designávi, sibi accipiet quidquid superfuerit poculorum, aut annulorum, aut rerum similium: adhæc numismata, insignia, & Lusitanos cruciatos, Regis Poloniæ & Severini Boneri faciem exprimentia, aliaque his similia. Præterea ducatos omnes duplices & quadruplices. Pecuniam apud Everardum Goclenium depositam, illi in Brabantiâ dispensandam relinquet, quemadmodum ei mandavi. Si quid apud Erasmum Schetium erit reliquum, ab eo repetet, eamque pecuniam ac reliquam omnem quæ superfuerit, suo arbitrio & ex consilio exequutorum distribuet in usus pauperum ætate ac valetudine infirmorum: item in puellas nupturas: in adolescentes bonæ spei: breviter, quoscunque subsidio dignos iudicaverit. Hanc extremam voluntatem meam, quo plenior sit fides, propria manu descripsi, ac peculiare annuli mei sigillum, Terminum, adfixi Basileæ in ædibus Hieronymi Frobenij, duodecimâ die Februarij, Anno a Natali Domini M. D. XXXVI.

EPITA-

EPITAPHIUM.

CHRISTO SERVATORI S.

DES. Erasmo Roterodamo, viro omnibus modis maximo, cuius incomparabilem in omni disciplinarum genere eruditionem pari coniunctam prudentia posteri & admirabuntur & prædicabunt. Bonifacius Amerbachius Hæres; Hier. Frobenius & Nic. Episcopius nuncupati supremæ suæ voluntatis vindices, patrono optimo, non memoriæ, quam immortalem sibi editis lucubrationibus comparavit, ijs tantisper dum orbis terrarum stabit superfuturo, ac eruditis ubique gentium colloquuturo, sed corporis mortalis quo reconditum sit ergo, hoc saxum posuere.

Mortuus

Mortuus eſt IV. Eidus Iul. iam ſeptuagenarius ann. a Chriſto nato M. D. XXXVI.

Cum ſupra in Compendio vitæ annotatum ſit obiter, Eraſmum a Monachiſmo, monaſteriove abhorruiſſe. Subijciam his opportunè ipſius Eraſmi Epiſtolam ſatis prolixam, ad Lambertum Grunnium, ſcribam Apoſtolicum; ubi ſub nomine Florentij (omne hoc falſo) ita deſcribit, ita ſuam pandit fortunam, talibus averſum ab vitâ monaſticâ animum coloribus depingit, vt clarioribus non poſſet. Verè dicit, ſe cauſam agere eius, qui a puero ipſi ſit cognitus, vt vix ipſe ſibi: ſe etiam pleraque, quæ ad cauſam pertinent, non vidiſſe tantùm, ſed oculis etiam perſpexiſſe. Antonius Florentij frater, qui hîc triennio fere maior commemoratur, verè eſt Petrus Eraſmi germanus; ad quem cùm alibi iſti ipſi noſter Deſiderius literas ſcribit, tum Guilielmus Hermannus Gaudanus Carmen de laude Amicitiæ mittit.

ERASMVS ROTERODAMVS LAMBERTO GRVNNIO, Scribæ Apoſtolico, S.

HActenus eruditiſsime Lamberte ab hoc genere cauſarum lubens abſtinui, licet a multis interpellatus, neque cuiquam amicorum moleſtus eſſe ſuſtinui: verum hic ſingularis quædam pietas me depulit a vetere inſtituto, fecitque vt & ipſe novum patrocinium ſuſciperem, & tibi viro amiciſsimo in amici negocio negocium faceſſerem. Quapropter hoc operæ primum abs te peto, vt totam rei ſeriem digneris cognoſcere. Siquidem confido futurum, vt ſi hoc impetro, & meum comprobes officium, & tuum non illibenter impartias, non iam amicitiæ noſtræ, cuius gratia ſcio te nihil non facturum, ſed ipſi cauſæ. Agitur enim non de lana, quod aiunt, caprina, ſed de ſalute indolis multo omnium feliciſsimæ, quæ plane viva ſpiranſque defoſſa peribit, niſi nos fuerimus opitulati. Vtinam tibi perinde nota eſſet atque mihi eſt totius negocij ratio, tribus verbis, ſat ſcio, cauſam hanc apud te peroravero. Sed tamen rem omnem optima fide ſic tibi depingam, vt nihil aut certe quod minimum te fugiat, quod ſcire ſit operæpreciũ. Nam & is cuius cauſam ago, a puero mihi ſic cognitus eſt, vt vix ipſe mihi ſim notior, & pleraque quæ ad cauſam pertinent, non audivi tantum, ſed perſpexi oculis. Tanta autem eſt rei indignitas, vt ipſe vix hæc abſque lacrymis commemo-

tare queam, nec tu fortaßis, quæ naturæ tuæ bonitas est, siccis oculis lecturus sis. Sed est hoc Christianæ pietatis mi Grunni, non tantum gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus Scio tibi vir optime & probe notam, & insigniter invisam esse quorundam pharisaicorum improbitatem, qui iuxta testimonium Euangelicum, non solum per maria, perque terras, sed per omnes principum aulas, per omnes divitum ædes, per omnes scholas, per omnes compotationes obambulant, vt proselytum aliquem in nassam illiciant, vixque credendis artibus insidiantur puerorum ac puellarum simplicitati, norunt ætatem, & iniuriæ & fraudi idoneam, vt eos in vitæ genus pertrahant, vnde se non possint extricare, semel irretiti, qua non alia servitutis species miserior. Nam mancipium de lapide emptum ita potest demerere dominum suum, vt ex servo fiat libertus. Itaque non te remorabor nimium nota commemorando, postea quam istorum stratagematis mundus undique plenus est. Quis enim fuit unquam eximiæ indolis, aut honesto loco natus, aut opulentus puer, quem isti non tentarint insidijs, cui non tetenderint retia, quem non captarint dolis? frequenter inscijs nonnunquam & invitis parentibus. Id quum sit quovis plagio sceleratius, tamen histriones, pietatis etiam titulum audent sceleri prætexere. Ad Christum inquiunt, etiam calcatis parentibus fugiendum est, & adversus afflatum divini spiritus nihil valet parentum autoritas: quasi vero sa-

tanas

tanas non sit & inter monachos, aut quasi quicunque cucullam accipiunt afflati sint Christi spiritu, quum multo maxima turba, vel stulticia, vel inscitia vel desperatione, vel ocij ventrisque studio ducatur. Quod Deus iussit liberos parentibus obtemperare, extra controversiam est: quis spiritus instiget hominem ad monachismum, nec ipsi certum est qui trahitur. Hic vides quantum captum nobis aperiat locus communis, sed non libet in eo commorari, quum quotidianis illaqueatorum querimonijs omnium aures calleant. Equidem nolim improbare cuiusquam institutum, nec istis patrocinabor, qui ut incogitanter se præcipitarunt in foveam, ita quod male cœperant, peius relinquunt, non ad libertatem sed ad peccandi licentiam fugientes. Cæterum in tanta corporum & ingeniorum varietate, non omnibus omnia congruunt, neque quicquam accidere potest præclaris ingenijs infelicius, quod ut in aliquod vitæ genus, vel arte inducantur, vel vi propellantur, unde se non possint explicare. In hoc enim potissimum sita est hominum felicitas, si quisque ad hoc applicetur, ad quod natura compositus est. Quosdam enim ad cœlibatum aut ad monachismum adigere, nihilo felicius cedat, quod si asinum ducas ad certamen olympicum, aut bovem ad ceroma, ut aiunt. *Hoc præfatum* esse sat est. Nunc accipe simul & optimi iuvenis calamitatem, & istorum plagiariorum detestandam improbitatem. *Atque hic rursus oro, ut mihi te præbeas attentum. Vehementer enim cupio*

tuo indicio comprobari quod ago. Nam obsequij nonnunquam pœnituit. Quod indicio fit, nunquam non placet. Duo fratres sunt, Florentius, & hoc natu maior Antonius. Admodum pueri matre orbati sunt, pater aliquando post decedens, exile quidem patrimonium reliquit, sed quod absolvendis studijs abunde sufficeret, nisi cognatorum rapacitas qui morienti aderant, rem minuisset. Nam præsentis pecuniæ, ne pilus quidem repertus est. Attamen quod supererat in rebus soli, aut in syngraphis, nec perinde promptum harpyarum unguibus, utcunque satis erat perdiscendis artibus liberalibus, ni rursus tutorum indiligentia, bona pars intercidisset. Scis quam pauci mortales sint, qui in alieno negocio bona fide vigilent. Tutores autem huc animum adiecerant, ut eos educarent monasterio, miram existimantes pietatem, si illis de victu prospectum esset. Hac suapte sponte propensos, Guardianus quidam homo superciliosus, magnaque pietatis opinione, perpulerat, præsertim unū, sub quo ludi literarij magistro in prima pueritia grammatices prima rudimenta didicerant. Erat autem is iuxta vulgarem existimationem, vir pius & innocens, hoc est nec alea, nec scortis, nec luxu, nec temulētia, nec alijs criminibus infamis, sed homo sibi vivēs, ac mire parcus, nec indicio quicquā vulgo præstantior, nec literas approbans, nisi quas ipse perturbatas ac paucas didicerat. Nā Florentio decimūquartum annum agenti, quum illi scripsisset aliquanto

politius,

politius, respondit severiter, ut si posthac mitteret tales epistolas, adiungeret commentarium: ipsi semper hunc fuisse morem, ut plane scriberet & punctuatim, nam hoc verbo est usus. Is videtur hoc affectu fuisse, quo plurimos esse novi, ut existimaret se victimam Deo *gratißimam immolare, si quem discipulorum addixisset vitæ monasticæ.* Soletque *gloriabundus commemorare, quot adolescentulos quoque anno, vel* Francisco, *vel* Dominico, *vel* Bene *dicto, vel* Augustino, *vel* Brigidæ *lucrifecisset.* Proinde *quum iam essent maturi scholis quas universitates appellant: nam & satis erant grammatici, & Petri Hispani dialecticam magna ex parte didicerant: tamen metuens ne illic haurirent, aliquid mundani spiritus, ac iugum detrectarent, curavit illos ablegandos in contubernium quorundam, qui vulgo fratres* Collationarij *vocantur, qui nusquam gentium non nidulantes, instituendis pueris quæstum factitant. Horum illud præcipuum est studium, ut si quem puerũ videant indole generosiore & alacriore, cuiusmodi fere sunt ingenia felicißima, eam plagis, minis, obiurgationibus, aliisque variis artib. frangant ac deiiciant, id appellant cicurare, vitæque monasticæ fingant.* Quo *quidem nomine satis amantur a* Dominicanis *ac* Franciscanis, *quod dicant ipsorum ordines brevi interituros, nisi penes illos aleretur seminarium.* Ex *illorum enim cortibus legunt suos tyrones.* Equidem *arbitror & inter illos esse viros quosdam minime malos, sed quum optimorum*

autorum inopia laborent, quum in suis tenebris, suis quibusdam moribus ac ritibus degant, seque non alijs, sed sibi ipsis comparent, quum bonam diei partem cogantur precum & operarum pensis impendere, non video quo pacto valeant liberaliter instituere puericiam: certe res ipsa loquitur non aliunde prodire adolescentes inelegantius doctos, aut moribus deterioribus. Apud hos igitur biennium & eo amplius perdiderunt. Certe iunior ille perdidit, ipsis praeceptoribus aliquanto doctior, in his duntaxat literis quas illi profitebantur. Vnus praeceptorum talis erat, ut Florentius neget se usquam vidisse monstrum vel indoctius vel gloriosius. Et tales non raro praeficiuntur pueris. Non enim eliguntur eruditorum iudicio, sed arbitrio patriarchae, qui plerumque literas nescit. Alter vero qui semper visus est unice delectari indole Florentiana, quum sentiret agi de reditu in patriam, coepit privatis colloquijs sollicitare animum adolescentis, ut ipsorum accederet instituto, multa commemorans quibus pueri solent illectari. Quod utinam esset factum. Nam aut volentem pietatis amor apud illos detinuisset, aut si res ita tulisset, licuisset in pristinam redire libertatem. Neque enim hoc hominum genus, quod habent praecipuum bonum, ac priscae religionis vestigium, votis insolubilibus astringitur: & si vere piorum ac spiritualium sententia plus valeret, quam crassorum iudicia, nullum posthac esset votum insolubile, praeter vota baptismi, praesertim ut nunc habet mortalium vel malicia

malicia vel imbecillitas. Quum igitur instaret ille crebris hortatibus interim addens & blandicias, & munuscula & oscula deniq;, puer haud pueriliter respondit, nec vitæ genus, nec ipsum sibi satis adhuc notum esse, simul ac maturuisset ætas tum hac de re deliberaturum. Cessit quidem ille vir non omnino stultus ac malus, verum ex hac hominum sodalitate novi, qui non modo terriculamentis ac blandicijs, verumetiam horrendis obtestationibus ac prope dixerim, exorcismis & incantamentis, pueros nondum egressos annum decimum quartum, divites ac bene natos conati sunt obtundere, vt inscijs parentibus, ipsorum instituto semet addicerent. Quid est plagium, si hoc non est? Ergo quum in patriam redissent Antonius ac Florentius, tutores qui rem quamvis exilem, non optima fide tractarant, agunt de instituto monastico, partim quo citius expedirentur a cura, partim quia ille ludimagister, qui solus rem administrabat (nam unus pestilentia correptus subito decessit, nec ratione reddita, tertius homo negociator leviter hac sollicitudine tangebatur) gratissima, vt dixi, victima se Deo litaturum arbitrabatur, si duas oves illi mactasset. Florentius vt sensit illos sic agere, quasi pupillorum voluntatem haberent obligatam, contulit cum germano, quem habebat ferè triennio maiorem, ipse vixdum egressus annum decimumquintum, num vere esset eius animi, vt se vellet illigari nodis, quos in posterum non posset explicare. Is ingenue fatebatur, se non duci amore reli-

gionis, sed trahi metu tutorum. Quid, inquit Florentius, te dementius, si stulto pudore metuque hominum, a quibus tibi certe, non sunt metuenda verbera, temetipsum conijcias in vitæ genus, quod nec cuiusmodi sit nosti, nec si semel ingressus sis queas referre pedem. Ibi Antonius allegare cœpit facultatulas, quum per se exiguas, tum tutorum etiam attritas negligentia. Nihil est, inquit Florentius, quod metuas: corrademus quicquid superest, & conflata summula petemus Academiam, non deerunt amici, & multi quibus omnino nihil est, sua aluntur industria. Postremo Deus aderit ad honesta tendentibus. Hoc responsum adeo probavit Antonius, vt multas etiam spes ostenderit quæ minori non venerant in mentem. Itaque communi consilio decretum est, vt monasticum negocium in aliud tempus reijceretur, donec treis etiam aut quatuor annos in scholis versati, per ætatem ac rerum usum rectius possent dispicere, quid expediret. Constanter ambobus placuit hæc sententia. Sed maior angebatur etiamnum scrupulo, quomodo respondendum esset tutoribus, qui non explorata pupillorum voluntate negocium hoc sedulo serioque agebant. Hic concepta est responsionis formula. quam Antonius approbavit quidem, tantum orabat, vt minor esse vellet dux verbi, & amborum nomine respondere. Nam erat is ad dicendum timidior, quemadmodum & indoctior. At Florentius accepit quidem conditionem, sed diligenter a fratre stipulatus propositi constantiam: ne si me, inquit, post datum responsum destitueris, tota tragœdia devol-

vatur in caput meum. Nunc potius muta sentētiam, si vel blandi mentis vel sevis dictis putas te posse depelli gradu. Neque enim mihi crede, res agitur ludicra. Sancte deieravit Antonius, deditque fidem se dictis mansurū. Venit post aliquot dies tutor ille, multaq; præfatus de sua erga pupillos pietate, deq; miro studio ac vigilantia, cœpit illis gratulari, quod ambobus reperisset locum, apud eos qui bis Canonici gaudent appellari. Hic Florentius puer ex pacto pro utrisque respondens, egit quidem gratias pro benevolentia proque sedulitate. Cæterum negavit sibi fratriq; suo videri consultum, ut id ætatis, adhæc rerum humanarum imperiti semet addicerent alicui vitæ instituto, nec ipsi adhuc satis noti sibi, ac prorsus ignari quale foret illud quod aggrederētur. Nōdū enim ullū monasterium fuerant ingressi. Nec suspicari poterāt. quod nā animātis genus esset monachus. Multo videri satius, ut post aliquot annos in studijs honestissimis actos, tēpestivius hoc negocium ageretur. Ita rem felicius successurā. Hanc pueri tā non puerilē responsionē, quum tutor debuerit exosculari, si vir fuisset vere pius & Euāgelica prudentia præditus: imo quum adolescentes, si forte conspexisset eo puerili calore propensiores, remorari debuerit, nec statim affectui temporario fidere. tamē haud aliter incanduit, quam si pugno cæsus esset: & homo alioqui lenis, ut videbatur, ingenij, hic impotēs iræ, vix manus pudore cōtinuit, sed miro supercilio Florētiū appellavit nebulonē, negavit habere spiritum: agnoscis monachorū vocē: abdicavit

 intelam

tutelam recusavit esse fideiussor apud eos, apud quos illis victum emerat, testatus est nihil superesse: ipsi dispicerent, ubi caperent cibum. His alijsque multis sævis ac plagosis convicijs verberabat minorem, quæ tum puero quidem excutiebant lacrymas, propositum tamen iudicio susceptum non excutiebant. Accipimus, inquit, tutelæ abdicationem, teque nostri cura liberamus. Ita tum discessum est. Tutor ubi perspicit se minis & iurgijs nihil proficere, adhibet fratrem suum negociatorem, de quo dictum est, virum mire comem & blandiloquentem. Convenitur in viridarium, iubentur considere pueri, proferuntur pocula, post amicas fabulas, cœptum est accuratius etiam agi negocium, sed alia ratione. Blanda omnia multa mentiebantur de mirifica felicitate illius instituti, ostendebant magnarum rerum præclaras spes, addebant preces. Quid non? His delinitus maior cœpit labascere, videlicet oblitus non semel deierata constantiæ. Minor nihilo secius perstat in sententia. Breviter, perfidus ille prodito fratre, accepit iugum, sed clam suffuratus si quid erat rei paratæ, quod tamen illi novum non erat. Atque illi quidem pulchre cessit res. Erat enim ut ingenio tardus, ita corpore robustus, attentus ad rem, ibi vafer & callidus, pecuniarum furax, strenuus compotor, nec scortator ignavus, in summa, adeo minori dissimilis, ut suppostitius videri posset. Nec enim unquam aliud fuit germano quã malus genius. Non ita multo post, hoc munus gessit inter suos sodales, quod Iscariotes

inter

inter Apostolos. Is tamen vbi vidit fratrem misere illaqueatum, tactus conscientiæ stimulis deplorabat, quod eum in nassam protractum perdidisset. Audis Iudæ confeßionem, & utinam ad illius exemplum sese suspendisset, ante quam facinus hoc tam impium admitteret. Erat Florentius, vt ferè solent nati literis, rerum communium & imperitus & negligens, atque in his mira simplicitas. Reperias enim quosdam ante pilos, astutia puberes. Nec alibi quid in studijs valebat ingenium. Nam huc totum intenderat, & huc vi naturæ rapiebatur, ab infantiæ crepundijs versatus in scholis. Corpore delicato, sed tamen ingenij rebus satis accommodo, vix dum ætatis annum ingressus decimum sextum. Postremo febri quartana languidus, quæ puerum iam supra annum tenebat, ex illa sordida & illiberali educatione collecta. Quo se verteret talis adolescentulus undiquaque proditus ac destitutus, rerum omnium rudis, nec a morbo liber? An non hic satis adhibitum est violentiæ ad propellendum quovis puerilem animum? Perstitit ille tamen in non temere concepta sententia. Interea tutor ille stolidus, ne non perficeret quid instituerat, ad peragendam fabulam subornat varias personas, diversi status, atq; etiam sexus, monachos, semimonachos, cognatos & cognatas, iuvenes ac senes, notos & ignotos. Inter quos erant quidam adeo natura fatui, vt nisi eos commendasset sacra vestis, pro morionibus cum auriculis & tintinabulis publicitus obambulassent.

Erāt & alij quos arbitror superstitione peccasse magis quam maliciosa voluntate, sed quid refert pereuntis, stultitia iuguletur, an perverso studio? Ibi quot arietibus quatitur puerilis animus? Alius depingebat amabile simulacrum monasticæ trāquillitatis, optima quæq; decerpens, sic laudari potest & quartana febris, non pauca largiter admentiens, sed diversa supprimens. Alius μάλα τραγικῶς exaggerabat huius mundi pericula, quasi monachi sint extra mundū, quēadmodum seipsos pingit in bene munita navi, cæteros omnes undis iactari, perituros nisi ab illis contus porrigatur, aut funis. Alius ponebat ob oculos, terrificos inferorum cruciatus, quasi ex monasterijs non pateat iter in tartara. Alius fabulosis exemplis territabat, sunt enim his instructißimi. Quidā viator labore fessus insedit tergo draconis, putans truncū arboris esse. Excitatus Draco, reflexo collo devoravit hominē. Sic mundus devorat suos. Quidam forte inviserat monachorum sodalitatem, quum vehemēter invitatus vt illic maneret, persisteret in sententia, discesßit, sed in via obvius Leo dilaceravit miserum. Narrabantur vt visa prodigiosa, non minus inepta quam quæ aniculæ de spectris ac lemuribus solent cōmemorare. Quidam diverso fabularū genere sollicitabant, de monacho qui cum horis aliquot quotidie confabulabatur Christus, de Catarina Senensi, cui puellæ tanta fuit cum Christo sponso vel amasio potius familiaritas, vt vltro citroque deambularent in cubiculo, nonnunquam & preces hora-

rias

rias simul absolverent. Cum primis exaggerabant communionem illam bonorum operum, quasi ipsis hæc supersint, ac non potius interdum magis egeant misericordia domini quam laïci, aut quasi non sit in toto corpore Christi benefactorum communio. Ne longior sim, nullum machinarum genus non admotum est ingenio pueri simplicis, destituti perfidia fratris, denique valetudine fracti: nec minore cura, studio, vigilantiaque advigilatum est, quam si civitas opulenta fuisset capienda. Tāti visum est illis plus quam pharisæis, unum adolescentem spirantem ac vivum defodere. Inter hos erant qui sui ordinis negocium agebant, cui tantopere favent, ut hac gratia miris odijs inter se dißideant, & Christianam profeßionem tantum non pro nihilo ducant. Puer erat & ingenio & literis, & facundia præstantior, quam pro ætate Vnde sperabant eximium aliquot ornamentum suo sodalitio accessurum. Hæc erat ea pietas, hic erat ille zelus. Multa sciens prætereo doctißime Grunni, ne singulis commemorandis tibi sim tædio, & tuæ prudentiæ est, ex cōmemoratis conijcere cætera Florētius interim hæret inter sacrū & saxū, ut est in Proverbijs. Dū ita pendet circūspectans sicunde Deus aliquis apparens spem salutis ostendere, forte fortuna invisit quoddā collegium, urbi in qua tum agebat vinū. Ibi reperit Cātelium quendā, qui cum ab infantia fuerat enutritus. Is erat annis aliquot natu grādior, ingenio vafro, & nunquā nō spectāte ad suum cōmodū, animi tamē excelsi. Hunc non tam pietas quā vētris studiū

& amor

& amor ocij pellexerant in monasterium. Erat enim natura γλισχρὸς, & eximie piger, in literis parum feliciter progressus, tantum canendi peritus, quam ad rem fuerat a teneris exercitatus. In Italia frustra venatus fortunam, quum parentes rei familiaris angustiam, ac liberorum turbam occinerent, ad cuculla confugit aram, quæ vel hoc nomine laudanda est, quod sat commode multa nutrit θρέμματα, alioqui fame peritura. Ibi Cantelius ex colloquio deprehendens quam feliciter Florentius processisset in literis, ilico de suo negocio cogitans, incredibili affectu cœpit ad eius vitæ consortium exhortari (erat autem natura Mercurialis) admirandam quandam eius instituti imaginem verbis repræsentans, exaggerans beatam illam tranquillitatem, libertatem, concordiam, quid multis? angelorum contubernium. Illud præcipue repetens & inculcans, quanta esset librorum copia, quantum ocium studijs. Noverat escam qua capi poterat adolescentis animus. In summa, si audisses hominem, dixisses illic esse non monasterium, sed vireta musarum. Amabat Florentius pro natura suæ candore, Cantelium puerili vehementique affectu, præsertim ex tanto intervallo præter spem repertum, ut ferè solet ea ætas fervidos amores in sodales quosdam concipere. Nondum enim noverat mortalium ingenia, sed ex suo animo æstimabat omnes. Cantelius quidem nullum non movebat lapidem in omnia se vertens, ut incantamentis subigeret animum pueri, nec flexit tamen. Ab eo colloquio

quio digressus Florentius, ab alteris maiore iam impetu exceptus est. Adornant enim validiores arietes. Ingerebatur summa rerum desperatio, amicorum omnium simultas, denique quo genere mortis non aliud cruciabilius, βουλιμία, ni mundo renunciaret: sic enim illi loquuntur, contumelioso vocabulo mundum appellantes quos Christus suo sanguine redemit a mundo, ac monachis ceu proprium asserentes, quod est Christianorum omnium commune. Ab his diu vexatus magis quam labefactatus, redit ad Cantelium tantum fabulandi gratia. Ille summis iam viribus hoc agebat, vt sibi secretum & gratuitum præceptorem adiungeret. Erat autem Florentius mire propensus ad amicitias, ac facilis ad obsequendum amiculis. Itaque quum nullus esset obtundendi finis, nec ulla spes affulgeret, ad collegium se contulit, non illud quod paraverat tutor, sed in quo forte reperit veterem collectaneum. Erat autem locus ille tam putris & insalubris, vt vix bubus alendis esset idoneus, ne dum tam delicato corpusculo. Verum ætas illa nec ciborum, nec cœli, nec loci rationem ullam habere didicerat. Nec tamen huc eo se contulit animo, vt institutum amplecteretur, sed vt interim obtendentium voces effugeret, donec ipsa dies adferret melius consilium. Cantelius interrim sedulo suam rem agebat, abutens sodalis & facilitate & simplicitate. Nam Florentius illi clam una nonnunquam nocte comœdiam Terentianam totam prælegebat, vt intra paucos menses præcipuos autores absolve-

solverint furtivis ac nocturnis congreßibus, magno discrimine tenelli corpusculi: verũ hoc nihil ad Cantelium, qui nactus occasionem sibi intus canebat, nec enim quenquã amabat ex animo præter seipsum. Interea ne Florentius resiliret a cœptis, nihil illi nõ permittebatur: arridebat puero æqualium grata sodalitas, canebatur, ludebatur, certabatur versiculis: non adigebatur ad ieiunium, non excitabatur ad cãtiones nocturnas: nemo monebat, nemo obiurgabat, favebant & arridebant omnes. Atq; ita per incogitãtiam menses aliquot effluxerunt. Vbi iam immineret dies, deponendæ vestis prophanæ, & induendæ sacræ, Florentius ad se rediens, cœpit canere veterem cantilenam, & accersitis tutoribus agere de libertate. Ibi rursus minæ crudeles, & ostensa rerum extrema desperatio, nisi pergeret in bene cœptis. Nec hic instrenue parteis suas egit. Cantelius, cui non expediebat amittere, nocturnum & gratuitum præceptorẽ. Obsecro te, an non hæc mera vis est, in puerum natura simplicem, imperitum & incogitantem? Quid moror? Reclamanti iniecta est vestis, quum scirent animum nihil immutatum. Eo facto, rursus blandicijs & indulgentia lactabatur puerilis animus. Itaque rursus per lusum & incogitantiam annus fere totus effluxit. At iam propemodum cõpererat, illud vitæ genus nec animo, nec corpusculo suo cõgruere. Nam animo præter studia nihil erat suave. Ibi vero nullus studijs, vel usus. Alioqui non abhorrebat a pietate, sed cantionibus ac ceremonijs non perinde capiebatur, quibus ferè tota

tota illorum vita constat. Ad hæc in talia sodalitia plerunq; protruduntur, ingenio tardi, natura semifatui, ἄμουσοι, ventrisq; quam literarum amantiores. Inter hos si quod exoriatur ingenium excellens, ac disciplinis natum, per illos opprimitur, ne emergat. Et tamen tales sibi vindicant tyrannidē, ac fere fit, vt qui stolidißimus est, maximeq; improbus, modo robusto corpore, is in eo grege valeat plurimū. Iam mihi cogita quanta sit crux ingenio musis nato, inter tales ætatem omnem degere. Nec ulla illic manumißionis spes, nisi si forte contingat præfici collegio virginum, qua servitute nihil est infelicius. Nam præter fœminei gregis aßiduam curam quotidie desidendum est in prolixis compotationibus non sine pudicitiæ periculo, neq; raro fit, vt Patriarcham suum iam ætate fractum, & inutilem ad pristina relegent præsepia, hoc etiam miseriorem, quod aliquandiu voluptariam vitam egerit. Corpusculum autem adolescentis erat natura tam impatiens inediæ, vt cibo ultra solitam horam prolato, frequenter sit periclitatus, quum ipse tamen sui ignarus nihil tale cogitaret, tantum stomachi cruciatu, & cordis defectu admonebatur. Hæc fortasse rident crassæ pecudes, quas etiam si fœno pascas, lascivirent. At periti medici non ignorant hanc esse proprietatem corporis admodum rari, subtiliumque spirituum, cuiusmodi præscribunt cibos concoctu faciles, frequenter ac parce sumptos, quum alios reperias qui semel expleto ventre

sine

sine ulla molestia diutius durent quam vultures. Eadem corpora medici docent impatientissima frigoris, ventorum, ac nebularum esse, ac citius offendi circumfuso aëre, quam infusis cibis. Habebat adolescens aliud peculiare incommodum, quod illi a teneris in hanc usque ætatem hæret, invincibile. Non nisi profunda vespera potest obdormiscere & a semel interrupto somno non redormiscit, nisi post horas aliquot. Quoties hoc deplorare solet in familiaribus colloquiis, sibi negatum, aureis illis horis frui, suavissimamque diei partem somno perire: quoties conatus est vi naturam expellere, sed frustra? Porro incœnem pervigilium excipit, non absque valetudinis incommodo. A piscibus sic abhorrebat adolescens, ut ad odorem modo, protinus sentiret gravem capitis dolorem non sine febri. Quid talis animus, quid tale corpus faciat in monasterio, præsertim ita sito? nimirum quod piscis faceret in arvo, aut bos in mari. Hæc quum illi patres non ignorarent, si fuisset in illis mica syncera charitatis, nonne debuerant ultro subvenire puerili, vel inscitiæ, vel incogitantiæ, & bis admonere verbis? Fili stultum est frustra niti, nec tu congruis huic instituto, nec hoc institutum tibi. Dum integrum est, aliud vitæ genus delige. Ubique Christus habitat, non hic tantum: sub quavis veste bene colitur pietas, si non desit animus. Dabimus operam, ut propitiis tutoribus & amicis redeas in libertatem. Ita nec tu nobis futurus es oneri, nec nos tibi exitio. Hæc erat digna vere piis oratio. At nullus

verbo

verbo monuit, quin potius omnes machinas admovebant, ne miser ille thynnus elaberetur è nassa. Alius dicebat hunc esse Satanæ morem, vt in tali articulo omnes technas, omnes dolos admoveat, quo supplantet novum Christi tyronem. Hunc conflictum si fortiter sustineret, cætera fore prona atque etiam iucunda. Affirmabat idem ipsi usu venisse quondam, nunc sibi videri in paradiso vivere. Alius inijciebat scrupulum, ostendens ingens periculum, ne divus Augustinus irritatus, magnum aliquod malum immitteret, ob cõtumeliam desertæ vestis: atq; huius rei cõmemorabat horrenda aliquot exempla: alius inciderat in morbum immedicabilem, alius perierat ictus fulmine, alius a vipera morsus interierat. Addebat, vestem sumptam habere tacitam professionem. Nec apud Deum esse multo levius crimen, nec apud homines minus infamiæ, quam si professus descivisset. Nullo non genere telorum urgebant adolescentem, sed nullo graviore, quam infamiæ metu. Nunc inquiunt, serum est resilire, missa est manus ad aratrum, non est fas in tergum respicere: si vestem multis testibus acceptam deposueris, semper eris hominum fabula. Hic Apostatæ vocabulum miris tragædijs exaggerabant. Quo tandem ibis inquiunt? Non poteris unquam in bonorum virorum venire conspectum. Et monachis eris execrabilis, & prophanis invisus. Erat autem adolescentis ingenium virgineo quodam pudore, vt mortem levius horreret quam probrum. Ex altera parte urgebant & tu-

tores

tores & amici, quorum aliqui rem furto minuerãt. In summa, vicerunt improbitate. Adolescẽs & animo abhorrens, & verbis reluctans, coactus est capistrum accipere, non aliter quam bello capti vinciendas manus victori præbent, vt diutinis victi tormentis faciunt. non quod volunt, sed quod collubuit potentiori. Animum Florentius vtcunq; vicisset, cæterũ corpus nemo sibi fingere potest. Interim facit adolescens, quod solent ij qui carcere sunt conclusi solabatur se studijs quatenus ibi licuit. Nã hoc ipsum furtim erat agendum, quum palàm inebriari liceat. Literis igitur fallebat captivitatis tedium, donec casus insperatus, veluti Deus quispiam ἀπὸ μηχανῆς spem salutis ostenderet. Id evenit. nam ab Episcopo quodam præpotente evocatus in ipsius familiam, inde gradu facto profectus est ad celebrem Academiam. Quod ni accidisset, tam insignis indoles in ocio, in delicijs, in compotationibus computruisset: non quod criminetur suum sodalitium, sed quod ipsius naturæ non congruebat: frequenter enim quod alijs vita est, alijs mors est. Ea autem est iuvenis verecundia, modestiaq;, vt nihil inimice de suo sodalitio veteri prædicet, sed quidam silentio & pudore plus loquuntur, quã si multa verba facerent. Nec tamẽ horum quicquam factum est, nisi permissu atq; adeo iussu episcopi ordinarij, permissu præpositi, tum domestici, tum generalis denique cum pace totius sodalitatis. Quanquam autem esset libera conscientia, sciretq; se voto adacto non teneri: illud tamen interim dedit partim

verecun-

verecundiæ naturali, prorsus immodicæ, quæ illi sæpenumero magno fuit malo, partim hominum imperitorum ac superstitiosorum invincibili offendiculo, ne vestem mutaret, quamvis ad hoc à suo præsule invitatus. Aliquanto post evenit per occasionem, vt in longinquam regionem amore studiorum proficisceretur. Ibi iuxta morem Gallicæ gentis togulam lineam supra vestem gestabat, putans hoc illic non insolitum esse. Verum hinc bis in præsens capitis periculum incidit, quid illic chirurgi qui pestilentia laborantes curant, candidum linteum gestant humero lævo, à fronte & a tergo pensile, quo facile conspici possint & ab obviis & a sequentibus vitari: qui tamen ipsi nisi per disertas vias obambularent, saxis impeterentur a concurrentibus, usque adeo gens ea mortem horret, vt ad thuris etiam odorem efferentur quod in funeribus soleat accendi. Quodam tempore quum Florentius viseret amicum eruditum, duo forte obvij lenones aut certe satellites, vocibus mire paricidialibus, ac strictis gladiis erant ipsum occisuri, nisi matrona commodum præteriens illos admonuisset non chirurgi, sed ecclesiastici cultum esse. Nec illi tamen desinebant fremere, nec gladios recondebant, donec pulsatis foribus, nam domus erat in proximo intro receptus esset. Alio quodam die visebat quosdam sodales conterraneos. Ibi repente fit undique concursus cum saxis ac fustibus, furioso clamore

invicem se cohortantium, occidite canem, occidite canem. Interim occurrit sacrificus, qui tantum arridens illi dixit, sed voce tacita & Latina, Asini asini. Illis adhuc tumultuantibus, mox iuvenis quidam perquam elegans & purpurata chlamyde prodijt ex ædibus. Ad hunc velut ad aram confugit Florentius. Nam vulgi linguam prorsus ignorabat: Miratur quid sibi vellent. Hoc inquit certum habe, nisi ponis istud linteum, aliquo die lapidaberis, moneo te, tu monitus cave. Itaque linteolum non deposuit, sed texit summa veste. Bone Deus, quantum tragœdiarum ex re nihili. Hic exhorrescent stolidi, qui summam religionis in veste collocant, quam nec ego dixerim temere abijciendam, sed hanc Cartusiani sæpe negociatoria commutant, quo tutius perveniant ad synodum. Canonici vero vel studij gratia, vel longinquæ profectionis causa mutant aut celant, nullius autoritate, citra omnem reprehensionem. Non enim est eadem religio lineæ vestis quæ cæterarum. Nam olim Canonici non erant monachi, & nunc medium genus est, & in favorabilibus monachi, in odiosis non monachi. Sed horrendum facinus est, si quis Dominicanus aut Franciscanus sacram vestem abijciat. Nam Dominicanum pallium totam divitum domum sospitat prosperatque, & pueris aliquot annis ex voto matris gestatum, tuetur a morbis & horrendis casibus: Franciscana tunica, etiam mortuo inducta liberat ab inferis. Quin & Summus Pontifex, monachos quosdam qui diversis

vestium

vestium formis convenerant admonet, ut offendiculi vitandi gratia simili cultu uterentur omnes. Nec pontificia decretalis fulminat in eos qui honestis de causis vestem sacram ponerent, sed qui id facerent, ut licentius cum prophanis ea facerent, quæ solet vulgus. Nam linea vestis non est monachorum, sed Episcoporum, & fortaßis olim clericorum. Nec Augustinus in sua regula, formam ullam vestis præscribit, imo damnat potius insignem cultum, admonens ne sit notabilis clericorum habitus, nec affectent vestibus placere sed moribus: licet satis constet eam regulam mulieribus scriptam non viris, sed cum illis nunc ago, qui viris scriptam existimant. Postremo cultus hic est Romani Pontificis, quum maxime pontificaliter ornari solet. Hæc quum non ignoraret Florentius, tamen ut omnem impleret iusticiam, ex amicorum consilio facillime impetravit a summo Pontifice, ut pro suo arbitrio, quodcunque signum instituti, quacunque corporis parte gestaret. Quum illinc revocatus esset, ad suos Mæcenates, quos habebat nec indoctos, nec infimæ sortis, recepit cultum gallicum, qui præter linteolum pensile, nihil differt a veste presbyteri secularis: sic enim ignominioso verbo nunc vocantur legitimi ecclesiæ ministri, & ab Apostolis Christoque instituti. Nec id fecit absque gravium virorum consilio. Quum ita cultus prodisset in publicum, admonitus est ab amicißimis, eum ornatum in ea regione prorsus intolerabilem esse. Celaret linteum. Dices poterat totum eius gentis

cultum

cultum sumere. Verum eo nihil est operosius. opus est qui sustineat fluentem caudam, læva retinenda est sinnosissima cuculla. Nam hoc illic in primis habetur magnificum, nimirum ad exemplum Cardinalium. Tum negocia cogebant eum, subinde mutare regionem ac veste polypum fieri. Nam cultus qui alicubi reverendus est, alibi prodigiosi habetur. Postremo erat hospes, & quotidie illi versandum erat cum magnatibus: qui non quavis veste delectantur. Tandem visum est syncerissimis amicis, vt quemadmodum habebat liberam conscientiam, ita Pontificis autoritate in totum omni scrupulo sublato, suæ libertati restitueretur, ne toties ponenda sumendaque veste gravius etiam scandalum pariat male loquacibus. Addam & illud vitæ genus, in quod protrusus est adolescens, adeo liberum est, vt minimum absit à libertate secularium. Nec iam loquor de libertate arrepta, sed de concessa ab ijs qui fuerunt autores. Hoc admoneo quod Pontifices solent in talibus esse faciliores ad relaxandum, quam quum disceditur ab ordine Seraphico, Cartusiano, aut Brigidensi. Nam hi nec recipiunt hic Pontificis autoritatem, quum eandem largientem immensa privilegia, ac prærogativas, habeant sacrosanctam, ac tantum non Christo præponant. Non hic disputabo de votis monasticis, quæ quidam supra modum exaggerant, quum hoc genus obligationis, pene dixeram servitutis, nec in Novo nec in Vetere Testamento reperiatur. Deinde quum Sabbatum autore Christo sit constitu-

constitutum propter hominem, non homo propter Sabbatum, multo magis huiusmodi constitutiones cedere debent, quoties officiunt hominis saluti, praesertim animae, quum Dominus loquatur de salute corporis: agitur enim de fame, & homine sanato die sabbati. Sed isti vere sunt illi Pharisaici, qui bovem & asinum delapsos in puteum extrahunt violato Dei sabbato, hominem totum perire sinunt ob suum sabbatum. Non huc adducam, quanta sit turba monasteriorum, in quibus adeo nulla viget disciplina pietatis, ut prae his lupanaria sint & magis sobria, & magis pudica; tum quam multa, in quibus praeter ceremonias & speciem externam nihil est religionis. Hi sunt illis propemodum deteriores, quod quum spiritu Christi careant, tamē ex illis Pharisaicis ceremonijs, incredibile dictu, quam attollant supercilium, universam pietatem in extrarijs constituentes, & ob has pueros ad necem quotidie cadentes. Quanquam ipsi eas miro taedio peragunt, nec omnino peracturi, nisi crederent hoc spectaculum populo videri mirificum. Postremò quam mira paucitas collegiorum, in quibus ex animo vivitur iuxta regulam pietatis, & in his ipsis, si Silenum aperias, si propius inspicias, si ad vera pietatis coticulam explores, immane quam pauculos reperias synceros! Quàm callidae sunt artes Satanae, quam sinuosum est cor hominum, quanta simulandi vafricies, quibus rebus, etiam senibus rerum penitissimus frequenter imponitur, & haec postulant, ut paucis mensibus per-

 spicias

ſpiciat puer? Atque hanc vocant profeſsionem. Iam donemus repertum collegium, in quo conſtent omnia, quid fiet, quum mutatur corpus eius qui profeſſus eſt: quum in locum boni patriarchæ, ſuccedit, ſtupidus, temulentus & tyrannus, quum probi ſodales mutantur improbis? Mutet, inquiunt, vel domum, vel inſtitutum. Verum hic quam ægre dimittunt ſuos, ſed multo ægrius alij recipiunt, ſuſpicantes aliquid latere monſtri, quod a vetere ſodalitio receſſerit, & ſi quem ibi nutu offenderit, protinus audit, quin redis ad tuos? Ad hæc quam anxia diſputatio, qui ſit ordo ſtrictior, qui laxior. Nam ſuum quiſque vult videri ſtrictiſsimum. Et hæc eſt illa præclara facultas mutandæ domus aut inſtituti, vt denuo ſubeat aleam, ne miſer in duriorem incidat ſervitutem. Porro quoniam pleroſque fraudibus illectant, illectos non ad ſpiritualem pietatem, ſed ad phariſaiſmum inſtituunt, & ad ſervitutem hominum adigunt, plurimos ſequitur inſtituti pœnitudo. Itaque veriti ne ipſorum orgia proferantur in publicum, virgis, devotionibus, brachio ſeculari, muris, cancellis, carceribus, atque etiam mortibus ſuos retinent. Mentior niſi Matthæus Card. Sedunenſis, in convivio multis audientibus, nominatim commemoravit, vicum, perſonas & monaſterium, in quo vivum adoleſcentem defoderant Dominicani, quod pater eques filium furtim eò pertractum minis repoſceret. Tum in Polonia nobilis quidam, qui bene potus forte in templo obdormierat, vidit duos Franciſcanos, poſt

cantiones

cantiones nocturnas, vivos defodi. Hic pondus habet illis Pontificum autoritas, qui forte concessit hoc illis citra discrimen irregulatitatis. Idem ubi liberat aliquem veste illa sacra, scinditur diploma, & qui procuravit conijcitur in carcerem. Et post hæc iactant autores ordinum suorum, Benedictum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Dominicum, Franciscum, Brunonem: excutiant vitam illorum, & videant nunquid unquam tale fuerit ab illis institutum aut factum, longe aliam reperient politiam. Exemplis, salubri doctrina, amicis monitis, fraterna correptione tota res agebatur. Qui his modis non emendabatur, eijciebatur è contubernio, etiam si sua sponte non discessisset: tantum aberat, ut abire volentem retinerent. Omitto tot constitutiones humanas, tot formas vestium, tot preces ac ceremonias, in quibus quod est levissimi momenti, nempe vestis, fit apud istos plurimi. Qui in sacra veste indulget quotidianâ temulentiæ, qui gulæ servit & ventri, qui scortatur clam & palam, nihil enim addam obscœnius, qui luxu profundit Ecclesiæ pecuniam, qui sortilegijs, alijsque maleficis artibus dat operam, probus & monachus, & vocatur ad Abbatiam: quē quacunque de causa posuit vestem, ut apostatam execrantur, quod nomen olim merito ducebatur abominandum, quum eo notarentur, qui defecissent à Christi professione, ad Iudaismum seu Paganismum. Quod si latius porrigas, quicunque deditus est mundi delicijs, pompis, opibus, cæterisque cupiditatibus quas

abiuravit in baptismo, apostata est, isto nihilo melior, sed nocentior, utcunque turba levatur criminis invidia. Itidem monachi qui impie vivunt, quod passim faciunt, apostatæ sunt duplices, primum quia desciverunt ab illa sanctissima professione, qua Christo dedere nomen, deinde ab instituto quod professi sunt. In hos, inquam, oportebat execrandum apostatæ nomen torquere, etiam si decem cucullis essent obvoluti. Hæc quum ita habeant, mi Lamberte, quantum flagitium est simplicem ætatē vi, seu technis in nassam impellere? Si palàm mali sunt, ut sunt plerique, quid aliud quam pueros in perniciem pertrahunt? Sin neque calidi, neque frigidi, in quam miseram servitutem implicant illos? Sin probitatis specie commendabiles, quum sit tanta corporum & animorum varietas, quum tam ingeniosa simulatio, quum tanta puericiæ simplicitas, quum nodus sit insolubilis, ut ipsi volunt, in quod periculum tum animi tum corporis mittunt adolescentes? At pubertas, inquiunt, adfert boni malique discrimen. At non eodem anno pubescunt omnibus corpora, sed multo minus animi. Vt nihil intersit; pubertas fortasse reddit idoneum matrimonio, non item professioni monasticæ, quam quidam aggressi, annos nati plus minus triginta, & alioqui rerum humanarum peritissimi, resiluerunt ante professionem, dicentes non putaram. Olim vix ad presbyterij gradum admittebantur triginta annos nati, & ad monasticam vitam statim idonei sunt pubescentes? Et interim perperam usurpa-

usurpatis vocabulis imponunt imperitis: mundi, quasi ipsi sint extramundani: obedientiæ, quum scriptura magis commendet obedientiam Dei quam hominum: voti insolubilis, quum nondum invenire potuerint differentiam inter votum solubile & insolubile, nisi quod Scotus commentus est, ideo monachorum votum solvi non posse, quod per hominem fiat Deo. Nam quod soli Deo fit, facile solvitur. Atqui quum istorum status omnis Romanorum Pontificum autoritate nitatur, quur illi quoties libuit strennue oppedunt? Is quum multos liberet à monachismo, licet non sine causa, si potest quod facit, quur illius autoritatem hic pro nihilo ducunt? Si negant illum posse quod facit, an non illi crimen atrox impingunt? Ita quoties ipsis commodum est, Pontifex Christi vicarius non potest errare: quoties secus visum est, nihil agit. Sed non est nunc animus adversus ordines depugnare. sit hoc aut illud vitæ genus huic aut illi commodum, aut etiam necessarium, probetur nodus insolubilis, quo sanctior, quo magis ardua professio est, hoc circumspectius, lentius ac serius esset suscipienda, satis mature, si ante annum quadragesimum, mea quidem sententia. Cætera vota non sunt rata, nisi constet sanam fuisse mentem, sobrium animum, à terroribus, aliisque violentis curis liberum. Et hic valebit quum puer illecebris, minis, fucis, terriculamentis, reclamans in laqueum impulsus est? Hic scilicet profertur metus cadens in constantem virum. potius citetur fucus & terror, cadens in simplicem ac

 rerum

rerum imperitum adolescentem. Adde quod in multis genuina simplicitas est, ætatis, & peculiaris naturæ. Nullum hic discrimen, si pubes habet lanuginem, valet votum, & adeo valet, ut huius gratia deseratur sponsa nondum cognita. O leges. Proinde Florentium, quando tot machinis, perpetuo reluctans ac reclamans huc protrusus est, nec unquam quicquam gestavit præter vestem, sed conscientiam habuit liberam, mihi videtur nullo teneri voto, non magis quam si quid turpe iurasset piratis mortem intentantibus. Nec dubito quin Romani Pontificis pietas nihilo minus sit indignatura plagiarijs istis quam hominis causæ fautura. Dices, Pontifex poterit illum suæ libertati restituere, quod ad forum humanum attinet, quando conscientiam habet ex se liberam, at hominum linguas non potest compescere. Atqui quum vere summus ille Pontifex Ecclesiæ Christus, & huius aut degener discipulus Paulus, doceant neminem esse iudicandum, præsertim in his rebus, quæ per se nec pium faciunt, nec impium: certe tantum momenti deberet habere summi Pontificis autoritas, ut hominum suspiciones in bonam partem ibi deflecteret, ubi male suspicari vicium est. Sed quid tandem futurum est de rebus humanis, si talium hominum insulsis iudicijs, & scurrilibus obtrectationibus perpetuo obsequemur? Infirmitati, seu persuasioni invincibili nos vult obsecundare Paulus, sed ad tempus: stultis autem ac maliciosis iudicijs obsequi, quid aliud est quam Christianæ pietatis vigorem obruere?

Christus hactenus obsequutus est Cæsari, quod solvit didrachmum: hactenus Iudæis, quod abstinuit à cibis lege vetitis: at in sananda contracta, in illuminando cæco, in restituendo manco, in vellendis spicis palam neglexit, imò studio provocavit scandalum Scribarum & Pharisæorum: quod ni idem fecisset beatus Paulus, vbi nunc esset Christianismus? Quid autem obijciunt homines stolidißimi? Deposuit vestem lineam? qui sciunt an intus gerat? Et si deposuit, unde sciunt, quas ob causas deposuerit? Vnde sciunt, quorum autoritate id factum sit? Si nesciunt, quur indicant? & si norunt hoc summi Pontificis autoritate factum, quur non verentur damnare illius iudicium, quod alibi volunt haberi inviolatum? Vbi est hic illa mirabilis totiesque iactata obedientia, quum nec auscultant Christo, & Ecclesiæ principem Christique vicarium lacerant? Vbi est illa simplicitas, quam incurvata cervice præ se ferunt? Vbi est ille spiritus mundo mortuus? Mittamus hæc, ubi est humanitas, ubi sensus communis? Quum tot sint scelera non hic referenda, quæ ipsis possunt obijci, vt in quibus quotidie penè palam deprehenduntur, ne moveam τὰ ἀπόρρητα καὶ ἀκίνητα, tamen sine fine mutatam vestem velut inexpiabile crimen obijciunt. Quid autem inhumanius quàm obijcere cuiquam suam calamitatem, in quam aliena malicia præcipitatus est? Quis tam incivilis est, vt claudicationem opprobret homini, cui mula calce fregit tibiam? Quis monophtholmiam ei, quem in bello

 elusca-

eluscavit hostiu? Quis morbum comitialem, aut lepram ei, quem natura sic genuit? Quis paupertatem ei, qui naufragio rem amisit? Qui vere sunt homines talium miserentur potius ac favent, & si quâ possunt opitulãtur. Et quo malum est atrocius, hoc impensius illis favent. Quod autem infortunium maius possit adolescenti felicis ingenij accidere, quàm si in tale vitæ genus protrudatur? Ergo si vehementer inhumanus est, qui calamitatem pro crimine obijcit, quid de illo dicendum est, qui malum opprobrat, quod ipse suo vicio dedit? Veluti si chirurgus imperitus per convicium luscum appellet eum, cui ipse perdidisset oculum; aut si pirata servitutem obijciat illi, quem ex libero traxisset in servitutem? Nónne id optimo iure dicant omnes insignitæ cuiusdam impudentiæ esse, suum scelus in altero criminari? Quid porrò aliud isti faciunt, qui pessimis artibus imposuerunt ætati simplici, & postea suum crimen alijs exprobrant? An non hic vides summam inhumanitatem cum summa stulticia parique impudentia coniunctam? In istos recidit ignominia, & tamen alium volunt pudescere. Neque enim ignominia est eius, qui delapsus est in foveam, sed eorum qui præcipitarunt. Posuit vestem; sed vos coëgestis accipere. Quis unquam vicio vertit homini capto, quod profugit à piratis? Ne piratæ quidem ipsi opinor. Cæteri gratulantur omnes. Quisque pirata est ei, qui per vim adimit homini suam libertatem. Et si placet minus odiosis exemplis uti, si sutor stomache-

machetur in quempiam quod calceum elegantem quidem, sed pedi non congruentem, abiecit, nónne meritò respondeat, teipsum accusas, qui talem calceum induxeris pedi? Pulchrum esse non nego, sed mihi misere torquet pedem. Nihil enim vetat, quo minus aliquod institutum sit per se præclarum, quod tamen huic aut illi sit perniciosum. Vt finem faciam vir amicißime, si tibi probavi causam mei Florentij, maiorem in modum te rogo, vt negocium hoc & quam celerrime, & quam maxime ex animi nostri sententia cures expediendum. De impendio ne fueris sollicitus, me fideiussorem accipe. In spacio quod in huius epistolæ calce vacare videtur, signavi quædam, quæ fortaßis ad conficiendum diploma requirentur, signavi autem notulis, quas proximis literis ad te misi, nec has tamen leges nisi chartam prunis admoveris. Per hunc veredarium exspecto responsum, hærebit enim Romæ diebus quindecim, aut certe per proximum. Bene vale.

Lambertus Grunnius Erasmo Roterod. S.

NVllum unquam negocium Erasme chariſsime ſuſcepi libentius, quam quod mihi delegaſti, & vix aliud confeci magis ex animi ſententia. Nam me non perinde movit tua amicitia, cui ſanè tribuo plurimum, atque Florentij indigna calamitas. Epiſtolam tuam à capite uſque ad calcem perlegi ſummo Pontifici, Cardinalibus aliquot, ac ſummatibus viris præſentibus. Beatiſsimus Pater, ut ſtilo tuo viſus eſt unice delectari, ita vix credas quàm incanduerit adverſus iſtos vere plagiarios. Nam quo magis favet veræ pietati, tanto magis habet inviſos iſtos qui mundum implent aut miſeris aut malis monachis, non ſine gravi iactura Chriſtianæ Religionis. Spontaneam, inquit, pietatem amat Chriſtus, non ergaſtula mancipiorum. Iuſſit diploma protinus expediri, idque gratis: ego tamen Scribis ac Notarijs dedi ducatos treis, quo celerius auferrem: noſti hoc famelicum genus, velis nolis aliquot offis placandi ſunt. Veredarius per quem ſcripſeras, Neapolim hinc profectus affirmabat ſe hac rediturum. Quid acciderit neſcio, non rediit. Hic tamen commodum ſeſe obtulit, altero, ni fallor, aliquanto certior, qui tibi diploma cum exemplari & ſubſcriptione Pontificis reddet. Pactus ſum cum illo, dimidiato ducato, nec dabis amplius. Bene vale, & Florentium nihil iam mihi tecum communem, meo nomine ſalutabis amanter. Datum Romæ.

Argu-

Argumentum Epistolæ sequentis:

Notat inter alia, quam ob caussam monasterio, cui se invitus satis manciparat, fuerit egressus, imò cuius auctoritate evocatus. Quum autem lapsu temporis eo nomine multorum calumnijs vir pius obijceretur, & Servatius etiam, qui Patris dignitate cœnobio huic præerat, litteris eum revocaret, neruosam ad eum scripsit Epistolam, qua se vitæ monasticæ calamitates ferre non posse testabatur; rationibus additis, quibus motus vestibus se exuerat Monasticis.

Reverendo Patri Servatio Erasmus S. P. D.

HVmanissime Pater, Literæ tuæ per plurimorum iactatæ manus, tandem ad me quoque pervenerunt iam Angliam ingressum, quæ mihi sanè voluptatem incredibilem attulerunt, quæ veterem illum tuum in me animum adhuc spirant. Paucis autem respondeo, utpote ex itinere iam scribens, & ad ea potissimum quæ tu scribis & ad rem maximè pertinent. Tam varia est hominum sententia, & suus cuique est animus tantus ut omnibus satisfieri non possit. Ego certè hoc sum animo, ut quod sit factu optimum sequi velim, testis est mihi Deus, nam si quid olim iuveniliter sensi, id partim ætas, partim

verum correxit usus. Nunquam fuit consilium vel vitæ genus, vel cultum mutare, non quod probarem, sed ne cui scandalo essem. Scis enim me ad id vitæ genus tutorum pertinacia, & aliorum improbis hortatibus adactum magis quàm inductum. Tunc Cornelij VVerdeni convicijs, & pudore quodam fuisse retentum, quum intelligerem, mihi hoc vitæ genus haudquaquam aptum esse. Nam non omnibus congruunt omnia. Ieiuniorum impatiens semper fui, idq; peculari quadam corporis ratione. Semel excitatus à somnio, nunquam potui redormiscere, nisi post horas aliquot. Ad literas tantum rapiebatur animus, quarum isthic nullus usus. Adeo ut non dubitem, quin si in liberum aliquod vitæ genus incidissem, non solum inter fœlices, verum etiam inter bonos potuissem numerari. Itaque cùm intelligerem me nequaquam esse idoneum isti generi vitæ, & coactum non sponte suscepisse, tamen quia receptum est (publicâ nostri seculi opinione) piaculum esse, à semel suscepto vitæ genere discedere, decreveram & hanc infœlicitatis meæ partem perpeti. Scis enim me multis in rebus infortunatum esse, at unum hoc cæteris omnibus gravius esse duxi, quòd in huiusmodi vitæ genus detrusus essem, à quo tum animo tum corpore essem alienissimus: Animo, quòd à ceremonijs abhorrerem, & libertatis amans essem: Corpore, quòd etiam si maximè placuisset vitæ institutum, corporis natura non ferebat istiusmodi labores. At objiciet mihi aliquis annum probationis

bationis (vt vocant) & ætatem maturam: Ridiculum, quasi quis postulet, vt puer anno decimo septimo, maximè in literis educatus, norit seipsum, quod magnum est, etiam in sene: an anno uno id discere potuerit, quod multi cani nondum intelligunt? Quanquam ipse nunquam probavi, & gustatum iam multò minus, sed ijs quas dixi rationibus sum irretitus. Tametsi fateor eum qui verè sit bonus, in quovis vitæ genere bene victurum. Nec diffiteor me ad magna vitia fuisse propensum, non tamen usque adeo corruptâ naturâ, quin si commodus accessisset gubernator, & verè Christianus, non Iudaicè superstitiosus, potueram ad bonam duci frugem. Hoc igitur interim spectavi, in quo vitæ genere minimè malus essem, atque id sanè me assecutum puto. Vixi interim inter sobrios, vixi in studijs literarum, quæ me à multis vitijs avocaverunt. Licuit consuetudinem habere cum viris verè Christum sapientibus, quorum colloquijs factus sum melior. Nihil iam iacto de libris meis, quos fortaßis vos contemnitis: at multi fatentur redditos eorum lectione non solùm eruditiores, verum etiam meliores. Pecuniæ studium nunquam me attigit. Famæ gloria nec tantillum tangor. Voluptatibus, etsi quondam fui inquinatus, nunquam servivi. Crapulam, ebrietatem semper horrui fugiq́ue. Quoties cogitabam de repetendo concontubernio vestro, succurrebat invidia multorum, contemptus omnium, colloquia quàm frigida,

quàm

quàm inepta, quam non sapientia Christum? convivia quàm laica, denique tota vitæ ratio, cui ἦν ἀφαιρῇς τὰς, ὡς καλοῦσι, καιρεμονίας, οὐκ οἶδα τί ἂν ἀπολείποις ἐξαίρετον. Postremò succurrebat corporis imbecillitas, quæ iam ætate & morbis, ac laboribus aucta est, quæ facit, ut nec vobis satisfacturus essem. & meipsum occiderem. Iam annis aliquot obnoxius sum calculo, gravi sane morbo & capitali. Iam annis aliquot nihil bibo, nisi vinum, neq; quodvis vinum, idq; cogente morbo Non fero quemvis cibum, nec cœlum quidem quodlibet. Nam morbus hic facile recurrens, maximam postulat vitæ moderationem: & novi cœlum Hollandicum, novi victus vestri rationem, ut de moribus nihil dicam. Itaque si redissem, nihil aliud fuissem assecutus, nisi quod vobis molestiam attulissem, mihi mortem. Sed tu fortaßis bonam fælicitatis partem existimas inter confratres emori. At fallit & imponit ista persuasio, non solùm tibi, verùm etiam propemodum universis. In loco, in cultu, in victu, in ceremoniolis quibusdam Christum & pietatem collocamus. Actum putamus de illo, qui vestem albam commutavit in nigram, aut qui cucullam pileo, qui locum subinde mutet. Ausim illud dicere μέγιστον τῆς χριστιανῆς εὐσεβείας ὄλεθρον, ἐκ τούτων, ὡς καλοῦσι ῥελιγιώνων ἐκπεπωρεῦθαι: tametsi pio fortaßis studio primum inducta sint. Deinde paulatim creverunt, & in sex millia sese discriminum sparserunt. Acceßit summorum Pontificum autoritas nimiùm ad multa

facilis

facilis & indulgens. Quid enim laxis istis religionibus, ἢ μιαρώτερον ἢ ἀσεβέστερον. Iam ad laudatas si te conferas, imò laudatissimas, εἰ μὴ ψυχρὰς τινας καὶ Ἰουδαϊκὰς θρησκείας, haud scio quàm Christi reperias imaginem. Ex his sibi placent, ex his alios iudicant & contemnunt. Quanto maius est è Christi sententia totum orbem Christianum unam domum & velut unum habere monasterium; omnes concanonicos & confratres putare. Baptismi sacramentum summam religionem ducere, nec spectare ubi vivas, sed quàm benè vivas. Vis me sedem stabilem figere, quod etiam ipsa suadet senectus. At laudatur Solonis, Pythagoræ, Platonisque peregrinatio. Vagabantur & Apostoli, præcipuè Paulus. D. Hieronymus etiam monachus, nunc Romæ est, nunc in Syria, nunc in Africa, nunc alibi atque alibi: & canus etiam sacras prosequitur literas. At non sum cum hoc conferendus, fateor; sed tamen nunquam mutavi locum, nisi vel peste cogente, vel studij causa, vel valetudinis, & ubicunque vixi (dicam enim de me fortassis arrogantius, sed tamen verè) probatus sum a probatissimis, laudatus sum a laudatissimis. Nec ulla est regio, nec Hispania, nec Italia, nec Anglia, nec Scotia, quæ me ad suum non invitet hospitium. Etsi non probor ab omnibus, (quod nec studeo) certè primis placeo. Romæ nullus erat Cardinalis, qui me non tanquam fratrem acciperet, cùm ipse nihil tale ambirem: præcipuè verò Cardinalis S. Georgij, Cardinalis Bononiensis, Cardinalis Grymanus,

manus, Cardinalis Navetensis, & hic ipse qui nunc Pontifex Maximus est, ut ne dicam de Episcopis, Archidiaconis, & viris eruditis. Atque hic honos non tribuebatur opibus, quas etiam nunc non habeo, nec desidero; non ambitioni, à qua semper fui alienissimus; sed literis duntaxat, quas nostrates rident, Itali adorant. In Anglia nullus est Episcopus, qui non gaudeat à me salutari, qui non cupiat me convivam, qui nolit domesticum. Rex ipse paulò ante patris obitum, cùm essem in Italia, scripsit ad me suapte manu literas amantissimas, nunc quoque sapè sic de me loquitur, ut nemo honorificentius, nemo amantius, & quoties eum saluto blandissimè amplectitur, & oculis amantissimè obtuetur, ut intelligas eum, non minus benè de me sentire, quam loqui. Regina conata est me sibi praeceptorem asciscere. Nemo est qui nesciat quin si vel paucos menses velim in aula regis vivere, quantum libeat sacerdotiorum mihi accumulaturum, sed ego huic otio meo, & studio, & laboribus omnia posthabeo. Cantuariensis Archiepiscopus totius Angliae primas, & regni huius Cancellarius, vir doctus & probus, me sic amplectitur, ut si pater essent, aut frater, non posset amantius. Et ut intelligas hoc eum ex animo facere, dedit mihi sacerdotium centum ferè nobilium quod postea volente me in pensionem centum coronatorum mutavit, ex mea resignatione; ad hæc dedit dono supra CCCC nobiles. His pauculis annis, idq; nihil unquam petenti, dedit uno de nobiles CL. Ab

aliis

aliis Episcopis supra C nobiles accepi gratuita liberalitate oblatos. D. Montioius huius regni Baro, quondam meus discipulus, dat annuè mihi pensionem C coronatorum. Rex & Episcopus Linconiensis, qui nunc per regem omnia potest, magnificè multa promittit. Sunt hic duæ universitates Oxonia & Cantelbergia, quarum utraque ambit habere me: nam Cantelbergiæ menses complures docui Græcas & sacras literas, sed gratis, & ita facere semper decretum est. Sunt hic collegia, in quibus tantum est religionis, tanta vitæ modestia, ut nullam religionem non sis contempturus, si videas. Est Londini D. Ioannes Coletus D. Pauli Decanus, vir qui summam doctrinam cum admirabili pietate copulavit, magnæ apud omnes autoritatis. Is me sic amat, id quod sciunt omnes, ut cum nemine vivat libentiùs quàm mecum: ut omittam alios innumeros, ne sim vobis molestus, & iactantiâ & loquacitate. Iam ut de operibus dicam aliqua: Enchiridion opinor te legisse, quo non pauci fatentur se ad pietatis studium inflammatos, nihil mihi arrogo, sed gratulor Christo, si quid per me boni cōtigit illius dono. Adagiorum opus ab Aldo impressum an videris nescio: Est quidem profanum, sed ad omnem doctrinam utilissimum, mihi certè inæstimabilibus constitit vigilijs. Edidi opus de rerum verborumq; copia, quod inscripsi Coleto meo, opus utilissimum concionaturis, at ista contemnunt ij, qui omnes bonas contemnunt literas. His duobus annis præter alia multa castigavi Hieronymi

epistolas,

epistolas, adulterina, & subdititia obelis iugulavi: obscura scholijs illustravi. Ex Græcorum & antiquorum codicum collatione castigavi novum totum Testamentum, & supra mille loca annotavi non sine fructu Theologorum. Commentarios in Epistolas Pauli cœpi, quos absolvam, vbi hæc edidero. Nam mihi decretum est, in sacris immori literis. In hisce rebus colloco otium & negotium meum. In ijs magni viri dicunt me valere, quod alij non valent. In vestro vitæ genere nihil valiturus sum. Cum tam multis doctis & gravibus viris habui consuetudinem & hîc, & in Italia, & in Gallia neminem adhuc reperi, qui mihi consuleret, vt ad vos me reciperem, aut qui hoc iudicaverit melius. Quin & ipse felicis memoriæ D. Nicolaus VVercerus, qui te præcessit, semper mihi hoc solitus erat dissuadere, suadens vt alicui episcopo potius me adiungerem, addens se nosse & animum meum, & fraterculorum suorum mores: nam ijs utebatur verbis lingua vernacula. Et in hoc vitæ genere in quo sum video quæ fugiam, sed quid potius sequar, non video. Nunc restat, vt de ornatu quoque tibi satisfaciam. Semper antehac usus sum cultu Canonicorum, & ab Episcopo Traiectino cùm essem Lovanij, impetravi vt sine scrupulo uterer scapulari lineo, pro veste lineâ integrâ & capitio nigro, pro pallio nigro iuxta morem Lutetiorum. Cùm autem adirem Italiam, viderem'q; toto itinere Canonicos magnâ veste cum scapulari, ne quid offenderem novitate cultus, veste nigrâ

nigrâ illic uti cœpi cum scapulari. Postea pestis orta est Bononiæ, & illic qui curant peste laborantes, linteum album ex humeris pendens, ex more gestant, hi congressus hominum fugitant. Itaque cum die quodam doctum amicum viserem, quidam nebulones eductis gladiis parabant me invadere: fecissentque, ni matrona quadam admonuisset ecclesiasticum me esse. Altero item die cùm Thesaurarii filios adirem, utrinque cum frustibus in me concurrerunt, & pessimis clamoribus. Itaque à bonis viris admonitus, occultavi scapulare, & impetravi veniam à Iulio II. ut ornatu religionis uterer, aut non uterer, ut mihi visum esset, modò vestem haberem sacerdotalem. Et si quid antè peccatum esset ea in re, literis id totum condonavit. In Italia ergo perseveravi veste sacerdotali, ne mutatio esset alicui scandalo. Postquam autem in Angliam redii, decrevi meo solito uti ornatu, & domum accersito amico quodam primæ laudis, & in vitâ, & in doctrinâ ostendi cultum, quo uti statuissem. Rogavi an in Anglia conveniret? probavit, atque ita in publicum prodii. Statim admonitus sum ab aliis amicis, eum cultum in Anglia ferri non posse, ut celarem, celavi: & quoniam non potest celari, quin aliquando deprehensus scandalum pariat, reposui scrinio, & veteri Pontificis autoritate sum usus usque adhuc. Excommunicant Pontificiæ leges eum, qui religionis habitum abiecerit, quò liberius inter seculares versetur. Ego coactus deposui in Italia, ne occiderer:

quidem, deinde coactus deposui in Anglia, quia tolerari non poterat, cùm ipso multò maluerim uti. At nunc denuo recipere plus gigneret scandali, quàm mutatio ipsa gignebat. Habes universam vitæ meæ rationem, habes meum consilium. Cupio & hoc vitæ genus mutare, si quod videro melius. Sed in Hollandia quid agam, non video. Scio non conventurum cum cœlo, neque cum victu, omnium oculos in me excitabo. Redibo senex & canus, qui iuvenis exivi. Redibo valetudinarius. Exponar contemptui etiam infimorum, solitus & à maximis honorari. Studia mea compotationibus permutabo. Nam quod polliceris officium tuum in quærendâ sede, ubi cum maximo, ut scribis, vivam emolumento: quid sit, non possum cogitare, [illegible] vobis me apud monachas aliqu[illegible], & servi[illegible] mulieribus qui Archiepiscopis, nec Regibus servire volui. Emolumentum nihil moror, neque enim studeo ditescere, modò tantum sit fortunæ, ut valetudini, & otio literarum suppetat, & vivam nulli gravis. Atque utinam liceat hisce de rebus coram commentari: nam literis nec satis commodè nec tutò licet. Tua enim quanquam per certißimos missa tunc sic aberrarant, ut nisi ipse casu in arcem hanc me contulissem, nunquam fuerim visurus, & accepi iam à pluribus inspectas. Quare ne quid scripseris arcani, ni certò cognoveris ubi sim, & nuncium nactus sis fidelißimum. Peto nunc Germaniam, id est, Basileam, editurus lucubrationes meas. Hac hyeme fortaßis

futurus

futurus Romæ. In reditu dabo operam, vt pariter colloquamur alicubi. Sed nunc æstas fermè præteriijt, & longum est iter. De morte Guilhelmi, Francisci, & Andreæ, sciebam ex Rasbondo, & eius vxore. Dominum Henricum resaluta diligenter, reliquosq; qui tecum viuunt omnes, in quos habeo eum animum quem debeo. Nam pristinas tragœdias imputo erratis, aut (si ita vis) meis fatis. Literas tuas tertio à Pascha die scriptas accepi Nonis Iulijs. Rogo vt salutem meam tuis pijs votis Christo commendare non negligas. Cui si certò scirem rectius fore consultum, si ad vestrum rediero contubernium, hac die ad iter accingerer. Benè vale quondam sodalis suauissime, nunc pater obseruande. Ex arce Hamniensi iuxta Calecium, postridie Nonas Iulias.

Quum autem decens & accurata Scriptorum suorum partitio supra modum cordi fuerit Erasmo, maioremq; eius rei curã post mortem haberi supremis verbis voluerit ab amicis, quàm, vt ipse loquitur in Epistolâ quadam ad Conradũ Goclenium, paulò post subijciendâ, *psalteriorum & anniuersariorũ*, quæ defunctis superstitione quadã præstari consueverunt: non abs re fore cẽsui, si Epistolam ad Hectorem Boœtium missam apposuero; quâ ipse paucis ante obitũ annis stupẽdum è lucubrationibus suis instruit & æternitati consecrat hortũ, singulis in suos pulvillos & areolas aptissimè destributis. Ea sic habet:

Des. Erasmus Roterodamus eruditiss Hectori Boetio Deidonano. S. D.

Literas tuas, Boeti ornatissime, datas Aberdonæ septimo Calendas Iunias, anno salutis M IↃ XXVIII, accepi Friburgi, quæ civitas est Brisgoiæ sub ditione regis Ferdinandi, non incelebrem habens Academiam. accepi autem circiter idus Februarias, anno à natali Christi M D XXX: ne fortè mecum expostules, quòd serius respondeam. Ea res fuit in causa, vt has literas tibi per typographos excusas mittere maluerim, quàm per amanuensem descriptas. Sic enim arbitror celeriùs ad te perventuras. Ergo ad tuas paucis accipe. Quàm mihi tua consuetudo iucunda fuit, Hector eruditissime, quum antè annos triginta duo Lutetiæ in literarum stadio pariter curreremus, licet te pro ingenij tui singulari fœlicitate multis passibus præcurrente: tam mihi gratum fuit eam voluptatem ex tanto intervallo mihi tuis literis refricari. Ad laudes autem quas tuus candor mihi tribuit affatim, plenâq; (quod aiunt) manu, nihil aliud audies, quàm te de Erasmo non minùs disertè quàm amanter, non dicam mentiri, quod à tuis moribus semper fuit alienissimum, sed multùm a vero aberrare. Faveo tamen interim tuis de me præconijs, vehementer optans ex meis lucubrationibus aliquid utilitatis, ad disciplinarum ac veræ pietatis candidatos pervenire. Earum Catalogum, uti

petis,

petis, huic subtexam Epistolæ. Nec mihi mediocrem attulit voluptatem, quod intelligo Scotiæ regnum ut alijs pluribus ornamentis, ita liberalium artium studijs indies magis ac magis expoliri. Hoc nomine semper amavi Iacobum regem, quod ditionem suam non tam proferre studuerit quàm exornare, inter felicissimos monarchas numerandus si præclaris virtutibus hominis fortuna respondisset. Nec dubito, quin filius illius ut in paternum regnum successit, ita paternis vestigijs ingrediatur. Quum Iacobi regis filium Alexandrum Archiepiscopum divi Andreæ Senæ instituerem, aderat illi frater vix decimum agens annum, incredibili puer indole, ac iam tum nescio quid eximium de se pollicens. Aveo scire quid illi acciderit, utrum paterni fraternique fati comes fuerit, an adhuc supersit. Pro istius Academiæ non ignobilis in me favore studioque gratiam habeo plurimam, cuius commodis & ornamentis utinam meâ operâ possit aliquid accedere. Certè, quod unum possum, precor ut Dominus per te tuique similes viros, eam omni genere disciplinarum, veræque pietatis dotibus benè fortunet ac locupletet. Datum ex inclyta Academia Friburgensi, Idibus Martijs.

INDEX

INDEX OMNIVM LVCVBRATIONVM DES. ERASMI ROTER.

Primo tomo hæc habentur,

De

De ratione conſcribendi epiſtolas.
De pueris ſtatim ac liberaliter inſtituendis.
De ratione ſtudij.
De laude medicinæ.
Libanij aliquot Declamationes verſæ.
Similium liber unus.
Colloquiorum liber.
De rectâ Latini Græciq́ue ſermonis pronuntiatione.
Ciceronianus, ſive de optimo dicendi genere.
De civilitate morum puerilium.
Galeni exhortatio ad bonas artes, verſa.
Epitome in elegantias Laurentij Vallæ.
Euripidis Hecuba & Iphigenia, Eraſmo interprete.
In Nucem Ovidij Commentarius.

Secundo Tomo,

Adagiorum opus.

Tertio Tomo,

Epiſtolarum opus.

Quarto Tomo,

De deſcrimine Adulatoris & Amici.
Quomodo utilitas capiatur ab inimicis.

E Plutarcho versa:

De tuendâ bonâ valetudine.
Principi maximè philosophandum.
Animi an corporis graviores morbi.
Num rectè dictum sit, Λάθε βιώσας.
De cupiditate divitiarum.
De cohibendâ iracundiâ.
De curiositate.
De vitiosâ verecundiâ.

Apophthegmatum libri VIII.
Moriæ Encomium, hoc est, Stultitiæ laus.
Panegyricus ad Philippum Burgundiorum principem.
Ad eundem Carmen gratulatorium.
Institutio principis Christiani.
Isocrates de regno administrando, Erasmo interprete
De morte Declamatio.
Declamatiuncula gratulatoria.
Pacis querimonia.
Lingua.
Xenophontis tyrannus, ex interpretatione Erasmi.
De senectute carmen.

Quinto Tomo,

Enchiridion militis Christiani.

Oratio

Oratio de virtute amplectendâ.
Ratio veræ Theologiæ.
Paraclesis.
Modus confitendi.
Enarratio Psalmi, *Beatus vir.*
Enarratio Psalmi, *Quare fremuerunt Gentes.*
Paraphrasis in Psalmum, *Domine quid multiplicati.*
Concio in Psalmum, *Quum invocarem.*
De puritate Ecclesiæ Christi.
Enarratio in Psalmum, *Dominus regit me.*
De bello Turcis inferendo Consultatio.
Enarratio in Psalmum, *Benedicam Domino in omni tempore.*
Enarratio in Psalmum, *Dixi custodias vias meas.*
De amabili Ecclesiæ concordiâ.
Concio in Psalmum LXXXV.
De misericordiâ Domini Concio.
Virginis & Martyris Comparatio.
Concio de puero Iesu.
Epistola consolatoria ad virgines sacras.
Christiani matrimonij Institutio.
Vidua Christiana.
Ecclesiastes, sive de ratione concionandi.
Modus orandi Deum.
Symbolum, sive Catechismus.
Precationes.
Pæan Virgini matri dicendus.

Oratio ad Mariam in rebus adversis.
De contemptu mundi.
De tædio & pavore Christi disputatio.
De præparatione ad mortem.
Ode de casâ nataliciâ Iesu.
Expostulatio Iesu cum homine pereunte.
Hymni varij.
Liturgia Virginis Lauretanæ.
Carmen votivum Genovefæ.
Commentarius in duos Hymnos Prudentij, de natali & epiphania pueri Iesu.
Christiani hominis institutum, carmine.
Epitaphia in Odiliam.

Sexto Tomo,

Novum Testamentum, cum Annotationibus.

Septimo Tomo,

Paraphrases,
In Matthæum.
In Marcum.
In Lucam.
In Ioannem.
In Acta.
In Epi- { Ad Romanos.
Ad Corinthios I.
Ad Corinthios II.
Ad Galatas.
Ad Ephesios.

ſtolas Pauli. Ad Philippenſes.
Ad Coloſſenſes.
Ad Theſſalonicenſes I.
Ad Theſſalonicenſes II.
Ad Timotheum I.
Ad Timotheum II.
Ad Philemonem.

In Epiſtolam Petri I.
In Epiſtolam Petri II.
In Epiſtolam Iudæ.
In Epiſtolam Iacobi.
In Epiſtolam Ioannis I.
In Epiſtolam Ioannis II.
In Epiſtolam Ioannis III.
In Epiſtolam ad Hebræos.

Octavo Tomo,

Ex Chryſoſtomo verſa:

Adverſus Iudæos, Homiliæ V.
De Lazaro & divite, Homiliæ IV.
De viſione, Homiliæ V.
De Philogonio martyre, Homilia I.
De orando Deum, Libri II.
De David & Saule, Libri III.
Quum preſbyter eſſet deſignatus, Homilia I.
In Pſalmum, *Cantate Domino.*
Quum Sarioninus & Aurelianus

 acti

Ex Chrysosthomo versa.

acti essent in exilium, Homilia I.
De fide Annæ, Homiliæ II.
Commentariorum in Acta Apostolorum, Homiliæ IV.
Commentariorum in secundam ad Corinthios, Homiliæ VII.
In Epistolam ad Galatas.
In Epistolas ad Philippenses, Homiliæ II.

Ex Athanasio.

De sancto Spiritu, Epistolæ II.
Contra Eusebium de Nicænâ synodo, Epistolæ II.
Apologetici duo adversus eos, qui calumniabantur, quod in persecutione fugisset.
De passione Domini, Homilia I.
De hoc quod scriptum est, *Euntes in vicum qui contra vos est.*
De virginitate.
De peccato in Spiritum.
De Spiritu sancto.

Ex Origine.

De vitâ, phrasi, & operibus Origenis.
Fragmentum in Euangelium Matthæi.

Ex

Indicis operum Deſ. Eraſmi Roterodami

FINIS

Eraſmus amicis Leɛtoribus S. D.

PAucis hiſce diebus viſum ſchedarum mearum confuſiſsimos acervos excutere, partim ob unam atque alteram epiſtolam, quas editas cupiebã; partim vt abolerẽ quæ fortaßis alij poſt deceſſum meum eſſent edituri, aut me etiam vivo. Quid enim iſti non audent, quibus lucellum quãlibet exiguum, aut gloriola, honeſto & amicitia eſt antiquior? Atqui non omnia in hoc ſcribuntur, vt evulgentur. Luſimus quædam adoleſcentes ſtili exercendi gratia: quædam

alijs

aliis dictavimus sic inambulantes, nihil minus cogitantes quàm de evulgando: nonnulla scripsimus discipulis tardis. Huius generis erant Colloquia, quæ Holonius quidam haud scio unde nactus, nam apud me nullum unquam fuit exemplar, carè vendidit Ioanni Frobenio, simulans alios esse typographos qui empta cuperent. Hæc emendi orexis. Eiusdem sunt Paraphrases elegantiarum, quæ summa cum admiratione mea prodierant, inepto titulo, quum ego nullum titulum addidissem: & singulis ad ordinem literarum digestis, quæ res totum turbavit ordinem: postremò multis admixtis, non minus ineptis quam indoctis, quæ ego nec puer sustinuissem dictare puero. Nuper vidi libellū De componendis epistolis Lugduni excusum hoc titulo, Erasmo Petro Paludano S.D. *Atqui ego neminem novi mortalem huius nominis. Lecto libello deprehendi scurrile furtum. Olim cuidam Anglo discipulo intra biduum scripsi librum De componendis epistolis, plane crassa Minerva crasso. Ex hoc ille quædam decerpsit, & sua quædam admiscuit. Adiecit prolixam epistolam in qua nullum est verbum meum, insigniter insulsam, nec quicquam facientem ad præsens argumentum. Si suo nomine edidisset opus incontaminatum, multo erat tolerabilius: verùm ex meo nomine quæsivit lucrum. Iam scio & apud alios quosdam servari iuvenilia quædam mea Progymnasmata. Et in hoc vase, quod nunc excussi, fuerant plurimæ chartæ inveni scriptæ longè alia manu quàm nunc utor. Eas*

comperi sublatas ad unam omnes, nec me fugit penes quem lateant. Sed elevatur furtum literarium, verùm nihilo meliore fronte quàm vestiarij excusant furtum pannarium, cæterique opifices suo quisque colore suum furtum excusant. At demus esse levem culpam penetrare in aliena scrinia, & quæ celata volebas suffurari: Num leve crimen videtur, ea quæ nolebas evulgari, cum alieni nominis infamia prodere, & quidem indoctis assututis contaminata? Quid alij sentiant nescio, ego levius ferrem, & tuli non semel, è scrinijs sublatos nummos. At hoc qui faciunt, aguntur in crucem. Illi vocantur studiosi. Ego vero istos studiosos non arbitror dignos qui laqueo præfocentur, sed qui ad Thurini exemplum, chartarum fumo pereant. In uno facto quàm multa sunt crimina, furti, sacrilegij, falsi, infamis libelli, perfidiæ. Quid isti non audebunt me mortuo, quum hæc audeant me vivo? Atque utinam hæc temeritas à veterum libris abstineret. Officina Veneta dedit nobis Festum Pompeium egregiè depravatum. Non insimulo Aldum. Solet ille tales operas alicui pædagogo committere. Ante annos aliquot sæpe mihi fuit in animo, excußis schedis meis, quicquid non esset edendum exurere. Sed dum varijs occupationibus impeditus differo propositum, alij anteverterunt, quæ res eis vertat malè. Satis dedecoris mihi adferunt lucubrationes meæ, quas ipse edo, etiamsi isti non evulgent meas nænias quas vulgo non scripsi. Quum inter epistolas repperissem multas à Regibus ferè omnibus

nibus, à Ducibus, à Cardinalibus, Episcopis, & summis Pontificibus, aut à viris insigniter eruditis amantißimè scriptas, libuit paucis ex his editis specimen dare, quales habeam combibones: sic enim quidam garriunt, qui scurrilem maledicentiam putant esse facundiam. Eas tantum selegi, quas non per secretarios, sed proprio ingenio compositas propriaque manu scriptas animadverterem. Nam ipse mearum aliquod iam annis nullum exemplar servare curavi, partim quod amanuenses omnibus describendis non sufficerent, partim quod dum pluribus rescribo, cogor ex tempore scribere, quasdam etiam dictare. Et superiorum editionum me suppuduit. Postremò mihi videntur sapere, qui epistolas suas servant post obitum edendas. Porrò epistolæ quæ affectato argumento scribuntur ad eruditionis ostentationem, quoniam nihil habent veri affectus, meo iudicio non sunt epistolæ. In his verò quæ scribuntur ex animo, non temere invenias quæ uni scriptæ ab omnibus citra cuiusquam offensionem legi poßint. Card. Caietanus aliquoties ad me scripsit. Postremam illius epistolam his adiungere cupiebam, sed ad manus non venit. In litteris quas ad illum novißimas dederam, questus sum de his qui libellum De concordia, mala fide tractarant. Eas Clemens Pontifex legit. Libentius enim legunt ad alios quàm ad ipsos scriptas, quod in illis credant esse plus veri. Rogavit, an eum libellum legisset: ait, Ecquid probaret: Nihil, inquit, illic video mali. Eam vocem

Pontifex summa cum alacritate excepit. Vbi ventum est ad locum vbi queror de Nicolao Herborno commissario Cismontano, ilico vocavit magistrum sacri palatij, rogavit ecquem ipse talem creasset commissarium. Ille negavit. Qua ex re perspicuum fuit, nec Pontificem probare Herborni petulantiam, & gloriosum illum titulum, quo se iactabat, à patribus Franciscanis fuisse datum, non à Pontifice. Inter excutiendum schedas illud admonuit me conditionis humanæ, quod inter tam multas epistolas plerasque intra decennium scriptas, tam paucæ venirent ad manus quarum autores essent superstites. Homo bulla. Hæc te scire volui candide lector, ne statim meum esse credas, ubicunque videris meum præfixum nomen: néve putes Erasmo neminem favere præter combibones aliquot. Vale. Basileæ decimo Calendas Martias, Anno à Natali M.D XXXVI.

Erasmus

Erasmus Christophoro Mesiæ Hispano S.

IN me quidem nihil est, ornatissime Christophore Mesia, quod ullo pacto cum divinis Marci Tullij virtutibus sit conferendum: ego tamen quocunque in numero sum recta studia pro viribus adiuvantium, istud tuum ingenium tam candidum, tam sanum, tam sobrij indulij, pluris facio quàm quemvis Asiæ regulum. Cæterum ab ignotis & semotis accipere literas adeo mihi novum non est, vt penè sit quotidianum: à doctis, à magnatibus, ab Episcopis, ab Abbatibus, quos ego natos non noveram, subinde veniunt literæ: à Regibus, à Principibus, ac Præsulibus, ea dignitate, vt nulli possint esse ignoti, non tantum literæ veniunt, sed etiam splendida munera. A Cæsare Carolo multas habeo epistolas tam honorifice, tam amanter scriptas, vt eas pluris faciam quàm illius in me benignitatem, cui tamen bonam fortunæ partem debeo. A Rege Ferdinando, nec minus crebras, nec minus amicas, non sine munere honorario. A Rege Galliæ quotiens quam amplis conditionibus invitatus sum? Rex Angliæ & crebris literis ac muneribus ultro missis, declarat favorem ac benevolentiam in me singularem. Nec illi facile cedit fœminarum quas hæc ætas habet optima, Catharina illius Regina. Rex Poloniæ Sigismundus misit epistolam, cum ipso munere vere regio certantem.

Dux

Dux Saxoniæ Georgius crebris me literis appellat, οὐκ ἄδωρος καὶ αὐτός. Quid memorem Gulielmum Archiepiscopum Cantuariensem, quid Cutbertum nuper Episcopum Londinensem nunc Dunelmensem, quid Ioannem Episcopum Lincolniensem, qui præter epistolas omnibus gemmis pretiosiores, quotannis veluti tributum amicitiæ mittunt, nec petenti nec expectanti? Ab Alberto Cardinale Moguntino habeo præter literas egregium benevolentis animi monumentum, quemadmodum & à Philippo à Burgundia Episcopo Traiectino nuper vita defuncto, item à Ioanne Card. Lotharingiæ fratre Ducis. Bernardus Episcopus & Card. Tridentinus præter honorarium munus, idque non exiguum, crebro misit literas tam amicas, adeoque solatij plenas, ut quamvis deiectum animum possint erigere, amplissimis insuper conditionibus invitans ad convictum. à quo & hodie literas accepi eadem pollicentes quæ olim detulit, ac fortassis, ut nunc res sunt, utar illius oblatis. Archiepiscopi Toletani ad me literas iam excusas arbitror te vidisse. Quid his fingi, quid optari potest amantius aut honorificentius? Nec desit illius vel fortuna vel animo digna benignitas. Nuper Gulielmus Princeps Dux iunior Clivensis ac Iuliacensis, adolescens virtuti natus, scripsit literas amoris plenas, addito poculo magnifico. Antonius Fuggerus simul atque sensisset me Basileæ moliri abitum, misit viaticum centum flor. aureorum, pollicens in singulos annos tantundem & amplius, si vellem Augustam

gustam me recipere. Vbi respondi id mihi non esse commodum, misit poculum in primis elegans, pignus initæ inter nos amicitiæ. Ante paucos dies Christophorus à Stadio Episcopus Augustensis, vir tum nobilis tum apprime doctus, itinere septem dierum, nec eo satis tuto, huc se contulit non ob aliud, quemadmodum ipse prædicabat, nisi ut videret Erasmum, videlicet hominis umbram. Candorem illius prædico, non mea merita: attulit secum pocula regia, cum ducentis flor. aureis, deferens insuper omnium facultatum suarum communionem. Dum hæc scribo, veniunt literæ à Iacobo Sadoleto Carpentoractensi, Deum immortalem, qua doctrina, qua morum integritate, qua autoritate viro! Solitus est & ante subinde nos doctissimis epistolis appellare. Exciderat ille, nisi epistola forte tum reddita commonuisset. Nec dubito quin plures nunc non veniant in mentem. Venit interim in mentem Petrus Episcopus Cracoviensis, vir summa doctrina parique autoritate, eius Regis Cancellarius, qui suam erga me pietatem & literis amantissime scriptis, & magnificis donariis declaravit. In eadem Polonia est Andreas Critius Episcopus Plocensis, qui me frequenter & humanissimis literis, & eruditissimis carminibus recreat excitatque, ne hic quidem ἄδωρος. Habeo cubiculum epistolis differtum ab eruditis, à magnatibus, à Principibus, à Regibus, à Cardinalibus, ab Episcopis: habeo scrinium plenum donariis poculorum, lagenarum, cochleariorum, horologiorum, quorum

aliquot

aliquot ex puro sunt auro: annulorum magnus est numerus. omnium autem longe maior futurus, nisi pleraque donata redonarem alijs studia provehentibus. Et in his qui hæc donant sunt multi non doctrina modo, sed & vitæ sanctimonia præstantes, velut Archiepiscopus Cantuariensis, Episcopus Londinensis, Episcopus Augustensis: & in primis Ioannes Episcopus Roffensis, qui fugerat, quemadmodum fugerat & Episcopus Vratislaviensis Ioannes Turzo, qui miserat scrinium rebus elegantißimis refertum Antverpiam, vbi tum agebam, quum ego nunquam audissem aut somniassem Vratislaviam aut Turzonem. In huius locum succeßit frater, Episcopus Olmucensis. Et indies accrescit talium numerus, quum ego nullius benignitatem invitarim, ingenue præ me ferens mihi satis esse facultatum ad hanc vitæ sobrietatem, cuius adeo me non pœnitet, vt citius sim aliquid detracturus quam additurus. Et tamen tanta est ultronea illorum liberalitas, vt si nulli sint reditus (sunt autem etiam præter Cæsaream pensionem aliquot) hæc sola meis studijs alendis sufficeret. Mediocrium dona semper reieci, quoties licuit incolumi amicitia: aut sic accepi, civilitatis gratia, vt abunde pensarim. Sunt, vt scribis, qui dicunt me nihil contulisse studijs, sunt qui clamitant me seminarium hæreseon. Et unde hic affectus tot & talium virorum, quos nemo non fatetur & acri iudicio præditos, & toto pectore pietati favere? At isti gracculi studio infelices, decē iam annis

nullum

nullum non moverent lapidem, & hodie movent in me, apud Principum aulas, apud Episcopos, apud Pontificem, apud Cæsarem. quid multis? apud maximos & minimos: ubique repererunt, qui Erasmum defenderent, patroni inopinati, sæpe etiam ignoti. Qui sunt isti qui sic favent impietati? qui favent nihil conferenti studijs? Imo sapiunt & intelligunt ventrium istorum maliciosam garrulitatem. Fateor esse multos qui me præcedunt in hoc argumento laudis, nec mirum est, quum ego primam invidiam exceperim, viamque munierim, quum novale repurgare cœperim, ac doleo non esse plures à quibus superer. In hoc enim a me sudatum est. Quod si quis conferat seculum quod fuit ante annos triginta sex apud nos, cum hoc quod nunc est, intelliget an aliquid literis contulerit Erasmus. Ante annos viginti nullus erat princeps qui teruncium impenderet instituendo filio: nunc nullus est, qui non magno conductum adhibeat formatorem peculiarem. Reclamabant initio Theologi, sed seniores modo, nec hi tamen omnes: iuniores nostra amplectebantur, nunc & Cæsci mitescunt. Nec pauci iam Monachi quæ prius damnarant incipiunt amplecti. Duo iuvenes Franciscani prosiliunt in theatrum, non minus impudentes quam indocti, nec intelligunt quātum malum suo (vt aiunt) iumento, suo accersant ordini. Sed hac de re plenius scribam fratri tuo, (Petro) nunc tantum ago gratias vt debeo maximas, quod non perinde mea ac studiorum causa non dubitaris certamen suscipere, non

solum

solùm cum Franciscanis, verumetiam cum aliquot magnatibus. Cum Monachis, vir prudentissime, censeo non decertandum: Dodonæi lebetes sunt, si moves unum, moveris omnes. Sed per Magistratum typographus ille castigandus esset, qui contra Cæsaris edictum, contra R.D. Archiepiscopi Hispalensis voluntatem indoctos ac famosos libellos excudit non addito suo nomine. Si primo ausu fuisset legitime punitus, non addidisset alterum facinus. Hoc si non putant dandum meritis Erasmi, dent Hispaniæ tranquillitati. Tales enim libelli nec pietati conducunt, nec eruditioni, tantum ad excitandas rixas utiles sunt. Veri principes, quoniam civiles sunt, & rerum periti, quanquam interdum artibus istorum pelliciuntur in errorem, præsertim quum mea non legerint, tamen commodis rationibus facile revocantur in meliorem sententiam: id si fieri non potest, tamen non est deserenda virtutis via. Est aliquid nunc placuisse paucis, sed optimis, posteritatis erunt æquiora iudicia. Doleo gregem illum Observantium, sic enim vocari amant, à simplicitate Francisci degenerare ad mundum: nec enim auderent ista duo laquaces iuvenes, nisi patrum ac fratrum applausu confirmati. Nunc hoc agitur ut citra magnam humani sanguinis effusionem hoc fatale dissidium moderatis rationibus componatur, & isti seditiosis libellis conantur nobis novum excitare incendium. Nusquam non obtrectant quibuslibet, suo arbitrio mentientes, vociferantur apud imperitos, exemplo

mplo multum alieno à Francisco, cuius titulo sese
enditant. Nec hactenus tamen aliud profecerunt,
isi quod eruditorum ac bonorum odium in se vel ex-
itant vel exasperant. Quoniam autem insanabi-
s video, suo morbo relinquendi sunt. Vtinam de-
ur aliquando Christophorum meum complecti co-
àm & alloqui: id si fortuna negabit, animis post-
ac erimus semper coniunctissimi, nonnunquam &
teris confabulabimur, quamvis magnis locorum
ntervallis disiuncti. Literas tuas Hispali datas
ostridie Nonas Iannarias, accepi v Calend. April.
ene vale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ III
Calend. April. M.D. XXX. à Christo nato.

DESI-

DESIDERII
ERASMI
Epiſtolarum illuſtrium,
& in magno volumine
non comparen-
tium
LIBER.

D. ERASMI EPISTOLÆ SELECTIORES.

Deſ. Eraſmi Roterodami epiſtola ſecretiſſima ad M. Conradum Goclenium Lovanij Latinæ linguæ profeſſorem, cùm ipſi vitæ ſuæ compendium (quod ſupra exhibuimus) mitteret, ex ipſius manu fideliter repræſentata.

M. CONRADO GOCLENIO S. P.

Ἀναγίνωσκε μόνος, καὶ λάθρα.

Reſtat extremus actus huius fabulæ, ad quem peragendum opus eſt Pylade, hoc eſt tui ſimili. Nam hanc fiduciam concepi in te, neque quicquam addubito, quin ſis eum animum præſtiturus, quem hactenus præ te tuliſti. Sed hic inprimis opus eſt profundo ſilentio, adeo vt nullum habeas tam intimum tibi, cui hoc credas arcani. Veniſſem ipſe, ſed & longa eſt via, & parum

tuta, & arbitror hunc nuncium satis fidum. Henricus Epphendorpius, *quem nosti, nebulo natus est ad omnem fucum ac maliciam. excitat nobis hic miras tragœdias, ante hac admissus in intimam familiaritatem, quam fatetur sibi fuisse frugiferam. Certè, ut scribit* Petrus *Mosellanus, primùm ex commendatione mea* Dux *Georgius dedit illi centum florenos, ut perficeret studia sua. Is per multa vagatus, tandem venit* Friburgum.*ibi scortis, vino, & alea, decoxit fortiter, & tantum æris alieni contraxit, ut nondum eò redire liceat.* Commigravit *Basileam, ac nobis se ingessit, versans interim in publico diversorio. Nemo hospes me invisebat, quin ille sese ingereret. Quum peterem Constantiam, ultro se ingessit comitem itineris. Fingebat meram familiaritatem, quum tamen aliquid moliretur tragœdiæ.* Etenim *iam tum apud* Ioannem Botzemium, *apud quem tum mea causa humanissimè complures dies tractabatur, clam effudit aliquid sui veneni.* Et *hic ab amicis submonebar, quàm aliquando parum amicè de me loqueretur.* Interim *venit* Huttenus. *Hunc multi quidem* Lutherani *instigaverunt, ut scriberet contra me, sed* Epphendorpius *instruxit aliquot sycophantiis, & subitò Hutteno mei reverentiam excussit.* Nam *semper* Huttenus *me fuerat reveritus. Argumenta partim sumpserat ex familiaritate nostrâ, partim isthic hauserat e tragœdia* Alardica *&* Paschasiana, *quæ tibi notissima.* Hinc *sunt illi tituli* Presbytero * Theolo, Presbytero

* Fortè *Presbytero Theologo,* vel *Presbyteriolo.*

tero & Scribæ, & crimen illud, quod minitatur Otho Epphendorpium mihi posse aspergere. Tam verò stultus est, ut quum hic nemo non sentiat illum esse auctorem huius fabulæ; tamen demirabatur se cuiquam esse suspectum, quum nemo viveret amantior Erasmi. Nec interim desinebat apud multos voces quasdam effundere, quibus prodebat animum suum. Et volebat uni mihi ignotum esse, quod nemo nesciebat. Tandem hic sparsa est quædam Epistola ridicula in me scripta, quæ tamen ad me non pervenit. Vbi Huttenus abisset hinc Milthusium, quò eum Epphendorpius deduxerat, reversus nunciavit Huttenum nescio quid scribere, fingens se magnoperè dolere. Et hoc agebat, ut ab amicis extorqueretur pecunia, ne libellus ille prodiret. Mirum autem quibus technis hoc agebat apud me, apud Frobenium, apud Bentium. Botzemum etiam hac gratia evocarat Constantia. Interim Huttenus miserat exemplar Epistolæ, sed iam in aliquot exemplaria propagatæ. Ego cogitans, ne, quod res erat, extorta pecunia, tamen post edendum libellum etiam virulentiorem, monui amicos ne quid darent. Egebant autem uterque miserè, sicut hoc hominum genus solet. Debebat uterque animam. Huttenus hinc iussus est discedere. Milthusi tam erat invisus omnibus, ut, ni abisset, cives minarentur se perrupturos Monasterium Augustinensium, in quo latitabat, favore Secretarij. Media nocte dimissus, clanculum aufugit Thuregium (quæ civitas addictissima est

doctrinæ Zuinglianæ, quam Lutherus nunc damnat; incipiens serò meminisse à me toties commendatæ modestiæ:) & illic paucis diebus latitabat; pòst aliquot diebus, versatus est extra civitatem apud sacerdotem quendam. Vbique vero amicos mulctabat pecunia. Tandem demigravit in insulam lacus Tygurini, vbi mortuus est. Sed antè mortem epistola Huttentica etiam procul mittebatur ad Germanos, quod non possent invenire typographum. Nec invenisset, nisi scelerosus Epphendorpius, quum hîc ob æs alienum ac suspiciones hominum non posset diutius vivere, sub prætextu quasi peteret Thermas Badenses, commigraret Argentoratum. Ibi vix ægrè persuasit typographo, nihil esse amarulentiæ. Et Scotus ille miserè invidebat Frobenio, quemadmodum fermè omnes. Vnde amicitia Frobenij mihi conflavit magnam invidiam. Tandem prodijt expostulatio sycophantæ, plena mendacijs, vt quisque in confabulatione suggesserat Lutheranus. Ego mox paraveram responsionem, sed adeo clam, vt nec Frobenius, nec Beatus sciret. Et propemodum decreveram premere. Sed instigantibus his emisi. Quum interea frequenter inter nos scriberemus Huttenus & ego, venit una epistola, quæ palam prodebat Epphendorpij perfidiam. Itaque quum gravaretur suspicione Epphendorpij, impetravit epistolam ab Hutteno, qui tum erat Thuregij, quæ testaretur Epphendorpium semper dissuasisse, ne quid scriberet in Erasmum. Sed hoc adeo frigidè scribebat,

vt

vt magis gravaret eum, quem purgabat. *Atque interim* Epphendorpius *subornabat, qui mihi fictis nominibus redderent fucatas epistolas, ex quibus sciebat, me suspicaturum quid sibi vellet, nec tamen haberem * cum illo expostulandi. Ego dissimulatis his omnibus in* Spongia *illum civiliter tractavi, quando mentionem illius fieri necessum erat. Affinem scripsi* Hutteno. *Sic enim mihi persuaserat. At* Petrus Mosellanus *lectâ* Spongiâ *rescripsit: qui affinis? quum constet illum esse plebeium. At tamen* Corebothrasonem *nostrum offendebat, quòd dictus esset* Achates. *Et editâ* Spongiâ *expostulavit per literas simulans mirum affectum, quum interim ageret sceleratam fabulam. Et vt perspicias insignem hominis malitiam, ex commendatione mea accepit* Basileæ *quinquaginta aureos.* Dicebatur Dux ad me *misisse munus regale, quod tamen non perlatum est. Suspicatus sum* Epphendorpium *intercepisse.* Nam *fingebat suum famulum perisse in itinere. Hoc præstruebat, si forte rescissem ad me missam pecuniam.* Nondum *quid sit certum potui cognoscere.* Hoc *unum scio, nihil illo esse scleratius.* Habet *vbique suos exploratores iuratos, ne quid agat, quod illum fugiat.* Indicia Melanchthonis *de* Hutteno *&* Epphendorpio *misi* Nicolao Buscoducensi. *Vide vt te serves integrum ab hac factione.* Metuo *cruentum exitum. Si novissem ingenia ac perfidias Germanorum, citius migrassem ad Turcas quàm huc.* De

* Deest in Autographo vox *caussam*, vel quæ alia.

Capitone vehementer suspicor, quòd deceptus fumis Epphendorpij communicarit illi nostra arcana. Nam sic purgat sese, vt auxerit suspicionem. Hoc erat consilium Lutheranorum, vt me minis absterrerent, ne quid scriberem in Lutherum. Nam hoc sparserat Iohannes Faber. At nunc Lutherus scribit in seipsum, videns rem aliò vergere quàm putarat, & exoriri populum non Euangelicum, sed diabolicum, cum interitu omnium bonorum studiorum. Verùm hisce de rebus iam plus satis. Certum est hinc aliquò demigrare. In Galliam invitor, mirifico studio, magnisque promissis: sed terret hoc ver, quod vereor ne pariat cruentam stragem Gallis. Adeo est implacabilis Cæsaris animus, cui penitus infixum est, τὸ plus ultra. Pontifex favet, & qui apud Pontificem valent plurimùm. Sed vito gladiatoriam harenam. Et non video quid mihi tutum esse poßit, vbi regnat Aleander, quantumvis dißimulat. Cuperem hyemem agere Patavij ac Venetiæ. Sed illinc avocarer Romam. Hærebimus hîc ad octo dies, deinde statuemus. Interea apparebit, quò se res inclinent. NOTA BENE.

Quum autem subinde periclitar de vita, superest vt tibi amicorum sincerißimo commendem id quod habeo charißimum, memoriam mei, quam suspicor multis calumnijs fore obnoxiam. Ita totius vitæ meæ compendium tibi mitto, hoc est, ἰλιάδα κακῶν. Nihil enim vnquam me natum est infelicius

licius. Sed fortasse futuri sunt, qui multa affingent: τοῦτο καλῶς ἔσται. Tamen si quid mihi contingat humanitus, volo ut quadringenti floreni aurei sint tui: Treceni Renenses cedant Iacobo Ceratino: Philippici centum triginta Melchiori Viandulo: Quinquaginta floreni aurei & quadraginta sex Renenses cum dimidiato Cornelio Grapheo, quem suspicor egere, virum dignum meliore fortuna. De reliquis, hoc est de vasis & annulis nondum statui, sed scribam brevi. Hæc oportet te clam habere, adeo ut nulli mortalium committas, ne is, cui tu credideris, habeat alterum, cui tantum credat, quantum ipsi creditum est, & ita res permanet ad plures. Id fieret duplici incommodo. Primùm invaderent pecuniam veteres mei sodales, & sunt illorum mores avidi. Deinde si mihi opus fuerit ista pecunia ante mortem, (ut fortaßis erit, nam video miras rerum vices,) tum contristarentur hi, quos sua spes esset frustrata. Nunc & tutius erit, & beneficium erit gratius, quod præter spem obtigerit. Et tamen adversus Harpyas, si fortè olfecerint prædam, muniam te syngraphâ, quam proferas post mortem meam, si res postulet. Et tamen ea nihil valebit, nisi me mortuo. Vide quam tibi fidã. Posses enim me fallere, sed nihil tale metuo. Rogabis quid officij a vobis postulem. Non onerabo psalterijs & anniversarijs, sed obnoxiè rogo, ut inter vos partiti operas, omnes lucubrationes meas evolvatis, & in ordinẽ digestas, & emendatas committatis Frobenio excudendas.

Hoc sciebam te tua sponte facturum pro tua erga me pietate. Ducatos omnes velim committas Levino nostro, si modo videbitur huc tuto perventurus; in zona insuat, quemadmodum Hilarius Quod si quid accidat tibi me vivo, quod omen avertant Superi, concerpes syngrapham, & pecuniam trades Dorpio, aut AEgidio Buslidio, aut D. Martino hospiti meo, aut si quem habes amicum magis fidum. Non hortabor te mi Gocleni, ut huic affectui verè paterno in te respondeas, qui iam filij pietatem ubique praestiteris. De his quae relinquam alibi, cognosces ex alijs, quid statuerim. Nam & in his tui meminero; certus me quicquid est hoc beneficij, penes hominem memorem & gratum collocaturum.

Iussi ut de mea pecunia numeres Ceratino florenos aureos xxv. Id si factum est, Graphei summam sarciam ex ea pecunia, quae est Antwerpiae. Scribam Petro AEgidio, ut tibi numeret illos xxv, si tu iam Ceratino numerasti; si non numerasti, numeret ille, aut tu de pecunia Petri AEgidij.

Vellem te committere iuveni cuipiam, ut relegat Adagia postremae editionis cum collatione penultimae. Nam Michael Bentius multa depravavit sua diligentia. Ex οἴῳ soli, semper fecit οἰῷ. Et contulit quaedam loca a me citata ex Graeco Homero ab Aldo excuso, item ex Cicerone Aldino, quum Aldina sunt depravatissima. Loca quae notarit iuvenis, velim expendi per te, quum erit ocium.

De statu meo, scias eum esse satis perplexum. Hic

mihi

mihi res est cum deploratis, ac planè furijs, posteaquam Huttenus semel fregit glaciem, insaniens in me. Damnat Lutherus factum, sed Melanchthon mirè odit Huttenum. Et isti stolidi iactant quasi bellum facinus. Buschius nescio quid cudebat in me; sed a Melanchthone cohibitus est. Si peto Italiam, sequenter me sexcentis libellis furiosi Euangelici, clamitantes me prædâ corruptum defecisse ab Euangelio, quum istud Euangelium nunquam sim professus. Si peto Galliam, quæ miro affectu est in me, calumniabuntur me confugisse ad hostem Cæsaris; & sub odoror regiam Aulam ὑπολυθρίζειν. In Brabantia scis quibus monstris datus sit gladius. Brevi scies quid statuerim. Rex per literas credentiales significavit sibi esse in animo instituere novum collegium trilinguæ Lutetiæ. Eam præfecturam mihi obtulit, cum ingenti salario. Si recipio me in Galliam, & datur occasio commendandi tui, significabo tibi. Et tu interim scribes per Levinum, quid habeas animi erga Galliam. Et interea dum Levinus abest in Anglia, scribes per alium tribus verbis, an ille bona fide reddiderit literas.

In literis scribendis eris cautissimus. Nam intercipiuntur omnia. Et Epphendorpius nusquam non habet suos corycæos. Celabis tamen quod de illo scripsi, nec effuties nisi apud amicos eximios. Dorpius, vt videtur, mussat. Est aliquid monstri quod alitur apud Theologos, & ille natura timidus est. Scripsi D. Decano, & AEgidio Buslidio in commen-

dationem tui. Carolus Harstus apud me vivit famuli loco. Nam videtur fidus amicus. Nec video quomodo sese explicet è labyrintho τοῦ γάμου, ut causam video. Hilarius mihi gratissimus est. Hovius agit Romæ, nunc demum amans mei. Hic me suis moribus intractabilibus penè adegerat ad insaniam. Nec illo multò commodior fuit Levinus. Vterque tamen magno suo bono fuit apud me. Hovium solum Erasmi nomen alit Romæ. Levinus pulchrè profecit in literis potius, quàm in moribus. Cui tamen benefaciam, quanquam nolim illum quicquam harum rerum scire Levinum, nec omnino ullum mortalium præter nos duos. De fide nihil dubito, tamen ob casus inexpectatos expedierit, ut per Levinum mittas syngrapham, qua testeris syngrapham illam de pecuniis distribuendis nihil valere me vivo, sed ob certas causas id esse confictum.

Quum hæc scripsissem, reddidit Frobenius binas abs te literas. Risi nostrum Egmondanum. Plane morionem agit. Nondum ex te scire potui, an receperis literas quas misi per Antonium Minoritam. Nam is cœpit mihi esse suspectus, posteaquam aiebat se velle invisere Paschasium. Ne temere scribas per quemlibet. Nam Epphendorpius est Argentorati, & per suos corycæos omnes literas intercipit, homo ad omne scelus natus. Bene vale. Basileæ, Sabbato post Pascha.

Erasmus Roterodamus Cl. D. Mutiano Rufo, viro omni doctrinæ genere consummatissimo S. P.

INcommodè offendit me Eobanus noster, & ægrotum & occupatissimum. Alioqui nihil vnquam vidi libentius, ἢ φίλῳ μούσαις: qui carminum fluxus? quæ vena? quæ felicitas? vt dicas natum poëtam, non institutum. Eadem orationis solutæ Minerua est. Iam mores ij, quos optem Theologis esse. Felicem Germaniam, sed præcipue Erphurdiam, si modo norit sua bona. Delectauit me tuæ quoque epistolæ candor, animi tui candorem referens. Munusculum diu reieci; donec abs te profectum intelligerem. Nugarum mearum indicem subtexui, etiamsi ipse vix memini ineptiarum mearum. Bene vale. Louanij, xvi. Kal. Novembr. CIↃ IↃ. XVIII.

Erasmus Roterodamus Ioanni Draconi ex vrbe Karoli, suo, S.

VT ad epistolam tuam paucis respondeam, humanissime Draco, primum post longam apud Basileam ægrotationem, denuo periculosissime relapso, deinde negocijs ingentibus occupatiori, quam quisquam credat, Eobanus noster voluptatis attulit plurimum, tum lucri non parum, quod ipse vir & admiratione dignus, & amore, te novum ami-

cum mihi conciliarit, licet hac certe parte satis opulentum: & vel unus Helius *queat* Germaniam *nostram à barbariæ calũnia vindicare.* Deum *immortalem! quam felix felicitas, quam facilis facilitas in carmine! dicerem in hoc renatum* Ovidium. *Neque sui dißimilis est in oratione soluta.* Nam *in utroque specimen sui præbuit, idque ex tempore.* Tum *autem qui morem candor? quæ comitas? quæ facilitas? quam nusquam est affinis ijs vitijs, quibus vulgo sunt obnoxij, præsertim apud* Italos, *qui* Poëticen *deamant? quam pia* Musa *castaque* Christianas *celebrat* Heroidas? Felicem *ter quaterque* Germaniam, *si plures huic simillimi* Vates *exorirentur? & exoriuntur iam aliquot.* Sed *longe plures exorituros video, si* Principes *ac primates ingenijs honorem habere cœperint. tametsi iam hoc facit inclytus ille* Saxoniæ Dux Fredericus, *Archiepiscopus* Moguntinensis, *vel citra* Cardinalicium *galerum maximus ac clarißimus.* Vnum *hoc me male habet, quod* Hessus *noster tantum itineris exanclarit frustra.* Quid *enim fructus erat? aut quod operæprecium vel totum* Erasmum *vidisse?* Meliorem *mei partem, si quid in me boni est, iam in lucubrationibus meis conspexerat.* Porro *quod superest, quæso quid habet visendum?* Gratum *fuit tuum munusculum, animi in me tui symbolum.* Bene *vale.* Lovanij *xvi.* Kal. Novembr. CIↃ IↃ XIX.

Erasmus

Erasmus Roterodamus Eobano Hesso, suo, S.

IAM arbitrabar mihi probe cognitam Germaniam, & quidquid esset insignium ingeniorum pervestigatum. Adamabam ingenium Beati Rhenani: exosculabar indolem Philippi Melanchthonis: suspiciebam Capnionis maiestatem: capiebar Hutteni delicijs. Et ecce derepente Hessus, quod antehac in singulis vel amabam, vel mirabar, unus universum exhibuit. Quid enim aliud Heroides tuæ quam Christianum Ovidium referunt? Cui vel in oratione soluta contingit ea facilitas, quæ tibi in omni carminis genere? Eloquentiam æquat eruditio; & utrumque decorat Christiana pietas. Iam in oratione prosa talis es, ut alienus a carmine videri possis. O venam ingenij vere auream! Nec a stylo mores abhorrent, quibus nihil candidius, nihil simplicius, nihil potest esse purius. Rara avis, eximia doctrina sine supercilio. Quid superest optandum, mi doctissime Hesse, nisi ut egregijs tuis dotibus, quas partim tuis vigilijs, partim cælo debes, Fortuna respondeat? Id fiet, si Germaniæ Principes ingenijs honorem habere cœperint; & bellicæ gloriæ hanc quoque meliorem laudis portionem adiunxerint. Tu mihi terra marique visendus eras, & ultro tam immenso, tamque periculoso itinere Erasmum petit Eobanus, homuncionem visurus fama maligna, sed tamen

 men

men hac ipsa minorem. Mihi tam insigne lucrum gratulor, qui cum Hesso meo tot egregios amicos lucrifecerim, tuam vicem doleo, qui tam levi fructu tantum laboris susceperis. Bene vale, Germaniæ nostræ vel præcipuum decus. Lovanij, XIV. Kalendas Novembr. CIↃ IↃ XIX.

Erasmus Roterodamus integerrimo doctissimoque viro Iudoco Ionæ, amico unice charo, S. D.

NAE tu mihi, doctißime Iona, non epistolam, sed meros amores, meras flammas amantißimi pectoris misisti. Deum immortalem, ut spirat, ut agit undique. In qua dum me depingere tentas, tui ipsius simulachrum effinxisti. Dumque meam eloquentiam laudibus vehis, tuam declaras eloquentiam. Doctrinæ aut facundiæ laudem nihil moror, unum illud me delectarit serio, si quis meis redditus sit melior, si meæ lucubrationes ad Christi gloriam faciant. Enchiridion proximis his diebus excusum est a Frobenio. Adiecimus præter alia quædam Præfationem prolixam ad Abbatem Volzium. Sed utris accedam, optime Iona? tibi mea sunt aurea; rursus sunt qui clamitent, me nec sapere, nec fari: ex meis libellis pestem hauriri pietatis. Quot convicijs fratrum ac Theologorum lapidatum est novum Testamentum? Sed hactenus in absentem omnia, coram nemo verbum. Quod vos tribuitis, non agnosco;

quod illi inpingunt, abominor. Certum est igitur neutris credere: animoque infracto per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, pro nostra virili ad Christi scopum eniti. Dabis veniam brevitati nostræ. Scribo hæc cum valetudinarius, tum plus quam obrutus scribendi labore. Bene vale. Lovanij, xiv. Kalend. Novembr.

Erasmus Roterodamus M. Conrado Goclenio S. P.

AMo profecto Melchiorem, & precor illi Musas omnes propitias. ὄυτως βαλλέτω. Sic innotescet bonis, ac fortunam sibi parabit. Nec est quod cogitet de suffugio, sed de progressu. Tantum caveat, ne det ansam improbis. Cum Lodovico civiliter exerce amicitiam. Neseno si quid scribis, caute scribe. Ille sane mihi fuit amicus infelicissimus. Nihil continet; nec dispicit, quid, quando dicendum. Nec prodest bonis literis, nec causæ Lutheranæ, nec suis discipulis. Is demum sapit, qui novit hoc seculo sapere. Vix etiam fidas tibi ipsi. Spero me isthic adfuturum in Quadragesima, nisi hi tumultus obstabunt, qui videntur imminere. Verdunij epistola mire delectavit, si tamen ille tantum potest. Additurus eram operi nostro, sed erat, quur non fecerim. Miror quod Hilario dederis aureum, nam erat illi satis viatici ex me, & ex Petro AEgidio, de meo. Scripsissem plura, sed hic parum videbatur notus, per quem scribo. Campensi gratulor

gratulor. Decebat ut ego senex iam particeps essem vestrarum felicitatum, sed video meos labores plane fuisse Herculanos. Bene vale. Basileæ, postridie Non. Febr. Anno CIↃ IↃ XXI.

Erasmus Roterodamus eidem M. Conrado Goclenio S.

ACcepi tuas literas. Georgium, opinor, iam vidisti, ex quo cognovisti rem. Dic illi non sacerdoti, ut si decrevit abire, quod tamen ego non probo. δεῖ θαῤῥεῖν. Prima coitio * Nebulo magnus est. Veniat huc bonis avibus sub proximis nundinis. Non deerit illi bona conditio. Sed tamen ego malim non solvi chorum, multis de causis. Alius erit exitus, quam putatur. Loquor de bonis litteris. Scripseram de Ceratino. Saltem ille veniat. σίγα, φρόνει, νῆφε, ἀπίστει, καὶ θάῤῥει, καὶ ἔῤῥωσο. Basileæ, Postridie Trinitatis Anno CIↃ IↃ XXII.

* Aliquid deest.

Erasmus Roterodamus eidem M. Conrado Goclenio S.

QVum per Hilarium expectem literas tuas mi Gocleni, non est quod nunc magnopere scribam. Ne quid te cruciet aliorum successus, sed exspecta feliciora. Quamquam non video quur istius fortunæ te magnopere pœniteat. De Vive miror. Scripsit mihi

se cogi-

ſe cogitare de reditu in Brabantiam. Quod ſi verum eſt, opinor ſexaginta libras propoſitas eſſe pro ſexaginta Angelatis. Aiunt etiam Pariſiis exuſtum eſſe quendam. Sævit & Ferdinandus mire in Lutheranos: in eius aulam Faber meus Conſtantienſis Vicarius aſcitus eſt ingenti ſalario. Gratum fuit, quod ſcripſiſti de rebus novis. Non dubito quin Spongia iam ad vos perlata ſit. Huttenus exceßit e rebus humanis xxix die Auguſti. Cuius morte periit magna ex parte mea Spongiæ gratia. Tumultus rerum undiq; cooriens cogit nos hic adhuc ſedere hanc hyemem. Quod ſi literas nuper a Roma allatas maturius accepiſſem, iam iter ingreſſus fuiſſem. Hæc hyems, ut ſpero, dabit finem malis. Gallo male metuo. Faveo Principi meo, ſed nullum video finem, ſi procedat Imperij dilatatio. ἐγέλασα τοῦ ἀντωνίου ſimplicitatem. Venit huc ut emeret libros, deponeret τὸ σχῆμα, denique & τὸ γαμεῖν, nec habebat obulum. Admoneo te, ne cum hoc inauſpicato criminum genere multum habeas commercij. Admonui & olim, ne valde implicareris τῶν γερμανῶν amicitijs, Sunt equus Seianus. Bene vale, ac magno animo perage Muſarum negotium: fortuna aliunde affulgebit. De Franciſco rurſus admoneo, ne quid rerum mearum illi committas. Baſileæ, vij. Calend. Octobr. Anno CIↃ IↃ XXIII.

Hono-

Honorabili domino Ioanni de Hondt, Canonico Curtracensi, S. P.

QVum alteræ vestræ iam obsignatæ mansissent aliquæ apud me, venerunt litteræ e Flandriâ scriptæ a Michaële quodam Bentino, quæ nunciabant te inimicißimo esse in me animo, ac Iuvenem quendam, qui nescio quem meorum libellorum haberet, acriter obiurgasse, quod hæretica legeret, addens meos libros esse pestilentiores Lutheranis, teque sperare brevi futurum, ut ego cum meis libris comburerer. Non dubito quin hæc sunt conficta, nisi tu aut plane versus es in alium hominem, aut prorsus ignores quantum malorum hîc sustineam a Lutheranis. Ego puto mortem esse leviorem his, quæ patior. Et, si novissem statum huius coniurationis, maluissem ad Turcas demigrare, quàm huc. Aliter iudicavit Adrianus Pontifex de libris meis, qui Theologis frustra de me blaterantibus imposuit silentium: aliter Cardinales, qui Stunicæ talia de me scribenti indixêre silentium. Quod nuper iterum fecit Clemens VII. Aliter Cardinalis Campegius, qui nullius operam magis implorat adversus Lutherum, quam meam. Aliter ipsi Lutherani, qui in neminem magis fremunt, quàm in Erasmum. Hoc te scire volui, ne quid erres in nobis. Bene vale. Basileæ, post Pascha Anno CIↃ IↃ XXIV.

Erasmus

Erasmus Roterodamus eidem D. Ioanni de Hondt, Canonico Curtracensi, S. D.

VIr optime, doleo te meis litteris commotum fuisse. Nec in te quadrabat, nec Bentino fuit vnquam apud me multum fidei. De suffragano quid dicat non laboro, qui Brugis bis in publicà concione debacchatus est in nomen meum. Mitto ad te litteras Barbirij posteriores, nam priores non accepi. In his testatur se inscio factum, quod alij numerata est pecunia. Ex quibus fructibus reddet, si (quod metuendum est) non obtineat sacerdotium? aut quos illius hæredes ego persequar? patitur tantum iacturæ nostra amicitia, sed nunc non patitur fortuna. Cæsar debet sexcentos florenos aureos ex pensione. Neque quidquam accipiam, nisi redeam in Brabantiam. Et fortasse ne tum quidem numerarent. Et interim excusavi me Regi Galliarum offerenti Thesaurariam, vt minimum quingentorum coronatorum. O aulam nostram semper famelicam! Hæc scribo, ne posthac iterum fiat, quod factum est, & pro tuá humanitate adiuves, vt quamprimum redeat ad me data M lendino pecunia. Bene vale. Basileæ, postrid. Iacobi, Anno CIↃ IↃ XXIV.

Erasmus

Erasmus Roterodamus, Ornatissimo D. Alexandro Illustriss. Comitis a Nassouwen Secretario S. P.

COgnatus hic meus mihi subinde recursans facessit negotium, ac tibi vicissim negotium exhibeo. Curare te rogo, si aut non est spes, aut spes est vehementer exigua, liberes eum inutili spe. Nam mihi est aliud, quod agam. Lutheri libros non legi: nihil est mihi rei cum homine, nisi quod est cum quovis Christiano. Certe correctum hominem mallem, quam exstinctum. Et si quid veneni serit in vulgus, nemo melius retrahet, quam qui infixit. Nec obsto, si vel assum malint Lutherum, vel elixum. Levis est unius hominis iactura. Sed tamen tranquillitati publicæ consulendum est. Qui hoc negotium agunt, calido magis quam salubri consilio, utinam tam prudenter faveant dignitati Romani Pontificis, quam videntur favere sedulo. Hic certe nemo magis officit Pontificiæ dignitati, quam qui odiosissime clamant in Lutherum: nemo magis illum commendat affectibus populi: tam stolide, tam seditiose res agitur per monachos quosdam, inter quos nullus est habitus vir bonus. Bulla iubet, ut prædicent adversus Lutherum, hoc est, ut opiniones illius refellant testimonio sacrarum litterarum, ac diversa melioraque doceant. Nunc nullus est, qui sumat calamum ad refellendum illum, quum id efflagitant

omnes:

mnes; nullus redarguit, tantum conviciantur, sæpe etiam mentientes. Aiunt illum tollere Confessionem, aiunt tollere Purgatorium, aiunt scribere blasphemias in Deum. Quidam Iacobita Antwerpiæ dixit, illum scripsisse, quidquid miraculorum egisset Christus, egisse magicis artibus. Apud Regem Galliæ Carmelita quidam dixit in concione, Venturum Antichristum; iam quatuor esse Præcursores, Minoritam nescio quem, in Italia; Iacobum Fabrum Stapulensem, in Gallia; Renchlinum, in Germania; Erasmum, in Brabantia. Brugis Minorita quidam, Suffraganeus Tornacensis, in Templo Divi Donatiani totam horam concionatus est in Lutherum, & in me. (Nam hoc consilium inter pocula condidere Monachi; ut me, qui nihil habeam commercij cum Luthero, semper cum illo coniungant.) Nec tamen quidquam docuit: tantum vocavit nos grues, asinos, bestias, stipites, Anti-Christos; adeo ut nullus in populo indicaret, hominem esse sani capitis. In altera concione dixit, in libris Erasmi esse quædam Hæretica. A concione rogatus a docto quodam Magistratu, quænam essent illa? negavit se meos libros legisse; voluisse quidem legere Paraphrases, sed ob altam Latinitatem metuere, ne possem in aliquam Hæresim prolabi. Audis scurram Episcopum perfrictæ frontis. His etiam stultiora blaterant Iacobitæ Antwerpienses; adeo seditiose, ut Magistratus haudquaquam stultus, metuens populi tumultum, admonuerit eos, ut apud populum nec probarent Lutherum,

nec

nec incesserent, sed prædicarent Euangelium Christi. Mox exortus Minorita quidam, homo linguacissimus, nomine Mathias, dixit, Si vultis audire Euangelium, id audire licebit a Pastoribus vestris, etiamsi noctu concubuerint cum aliquo scorto. Lovanij Carmelita quidam Nicolaus Ecmondanus in ordinaria lectione Theologica dixit, Paulum ex persecutore Ecclesiæ factum bonum virum; precandum ut idem eveniat in Luthero & Erasmo. Altera Lectione dixit, esse dissidium inter Erasmum & Iacobum Fabrum, nec mirum inquit, nunquam pax est inter Hæreticos. Et hic est primus huius Academiæ Theologus, homo stultus ac furiosus, ac mire pertinax. E pluribus pauca narravi, e quibus licet aliorum facere coniecturam. Vtinam S. D. N. sciret, quibus modis hic res geratur. Crede mihi, Monachi non agunt illius negocium, sed suum. Quidquid meretur Lutherus, certe tempus est, ut Carolus prospiciat tranquillitati Christianæ. Id erit, si prorsus imponatur silentium apud populum utrique parti, & Lutherus desinat scribere libros huiusmodi; imo quos scripsit, repurget ab istis, quæ præbent seditionis materiam. Qui laudem aucupantur e publicis malis, malunt sævitia rem confici. Et utinam esset recte confecta in gloriam Christi. Sed nemo credat, quam late Lutherus irrepserit in animos multarum gentium, & quam alte insederit libris omni lingua quaqua versum sparsis. Mussant hic nescio quid de terrifico Mandato Caroli;

precor,

precor, ut felix sit Orbi Christiano, quidquid agit Princeps optimus; sed vereor, ne non perinde succedat, ac quidam putant. Rogabis, humanissime Alexander, quur hac tibi scribam? Non ob aliud, nisi ut occurratur pernicioso tumultui, quem video imminere, si Princeps quorundam affectibus obsequi malent, quam Reip. consulere. Non ago Lutheri negocium, etiamsi refert, quo modo ille puniatur: publicæ tranquillitati metuo; & scis, rebus turbatis, pessimo cuique esse optime. Faveo Prædicatorum Ordini, non odi Carmelitarum. Sed ex his novi quosdam tales, ut malim parere Turcæ, quam horum ferre Tyrannidem. Erit igitur prudentiæ Pontificiæ, erit providentiæ Principum, ne hoc hominum genus in fortunas & capita bonorum virorum immittatur. Bene vale, mi Alexander, meque illustrissimo Comiti diligenter commenda. Et, si inciderit commoditas, saluta Dominum Florentium Iselsteinium, cuius filius heri me visit, quod subinde facit, ac mira promptitudine reddit Græcum Homerum. Servet Deus puerum, magno ornamento futurum suæ patriæ. Lovanij, iij Idus Martias.

Honorabili viro D. Iohanni de Hont, Canonico Curtracensi, S. P.

Minimum aberat, quin te liberarem onere pensionario. Et nunc ægrè reviviſco, ſi reviviſcere ſit ſervari in novos cruciatus, vel mortes potius. Sit Dominus benedictus, cui ſic viſum eſt purgare Eraſmum, hic flagellãs vt parcat in æternum. Bentinus, de quo ſcripſeras, hîc duxit vxorẽ. Expostulavi cum homine quod ſic infeciſſet iuventutem: faſſus eſt hoc eſſe verum, & riſit ſuaviter. Expectat vt aliquo vocetur in oppida Gallorum proxima, quemadmodum in montem Bellicardi vocatus eſt Pharellus ad prædicandum Euangelium hoc novum, cuius hîc mirus eſt ſucceſſus. Iam multi repudiarunt baptiſmum, & revocarunt circumciſionem. Miſſam abominantur plurimi: ſunt qui publice doceant in Euchariſtia nihil eſſe niſi panem & vinum: Velum & Cucnlla deponitur paſſim. Nubunt & ducunt vxores monachæ & monachi. Iam mihi tutum non eſt hîc diutius vivere. Mores iſtorum qui hîc docent magis mihi diſplicent, quam ipſa dogmata. Bentinus reviſet ſuos in Quadrageſima, vt confirmet ſuos in fide. Barbirius petijt Galliam in comitatu Alexandri nunc Archiepiſcopi Brunduſini, paupertate, vt autumo, coactus. Itaque decrevit nunc rapto vivere. Me certe nimium tractarunt familiariter. Olim detraxit e penſione Cæſaris XL, ni fallor, florenos.

renos. Id quoniam ob amicitiam, nunc invadit hanc quoque pensionem fretus nova facilitate. Mitto syngrapham hanc more solito vacuam. Non gravaberis numerare pecuniam vel Petro AEgidio, vel Marco Laurino Decano, aut huic Francisco Canonico Antuerpiensi, si forte tibi ipse literas reddiderit. Bene vale. Datum Basileæ, III. Idus Februar. Anno CIↃ IↃ XXV.

Erasmus Roterodamus M. Conrado Goclenio S.

EMoriar, ni quod tibi sic affulget undique fortuna, mihi iucundius est quam si mihi simile quippiam accidisset, idque non eo tantum quod tuis faveam commodis, quibus certe, ut par est, toto faveo pectore, verum etiam quod bene cupiam optimis literis, quas & tu & eruditione non vulgari, & profitendi diligentia, & ingenij dexteritate, sic vel ornasti, vel evexisti, ut vix alius felicius. Per Frobenium tantum scripsi Marvillano præsidi vestræ sodalitatis, quod propemodum Quirinus decreverat in miseros suos. Vix credas, quam infeliciter acciderit, quod non saltem per Nicolaum miseris Augustini libros de Trinitate apud Dorpium collatos. Iam enim Frobenio fervent quatuor prela, quibus fortassis accedit unum aut alterum. Itaque te rogo, ne saltem nunc negligas, per hunc mittere. Franciscus Delphus apud nos agit, utinam tam felix nostro convi-

ctu,

ctu, quam illius mihi iucundus. Certe quod licebit in his occupationibus, adnitar, ne nullum ex nostra consuetudine fructum ferat: Vix oratione consequar, quantopere succenseam his, qui tam generosam indolem ad nugas avertere conati sunt. Hunc nostro sumptu conduximus, quam nihil aliud haberet nego ij. Quare ne redeat inanis. Verum ita tracta negotium cum illo, quasi res ad Frobenium pertineat, ut revera pertinet. ἐκ τοῦ ἀδελφοῦ τὰ λοιπὰ μὲν ἀρέσκει πάντα; τὴν φιλολογίαν, abs te magnifice prædicatam, in eo desidero verius, quam considero. Meditatur συνοικεῖν τῷ κακίνῳ. Malim cum alio. Tu facile coniectas causam. Ego monendi officio nunquam sum defuturus. Frobenius cogitat excudere Terentium cum Commentarijs. hic si quid potes, opitulare, sed properè. Sed omnino per hunc veniat ἡ τριάς. Iam opus est. Non enim semper commodum est magno conducere, qui transcurrant. Delevi quæ missa sunt. Bene vale. Lovanij, Id. Octobr. Anno CIↃ IↃ XXVII.

Erasmus Roterodamus Clarissimo Angliæ Baroni Guilhelmo Monteiovio in regia Angliæ, S. P.

ORnatißime Mecœnas, si singula spectetur epistolæ, λακωνίζω; si universæ, quas in omnes mundi plagas cogor mittere, plusquam Asiaticus sum. Hic tolerabili in statu sumus, excepta incredibili re-

rum caritate; tantum liceat effugere bellum, quod vt liceat vereor, prout hactenus habent huius fabulæ exordia. Sed in manu Domini sunt omnia nostra. Vtinam optimis votis æque per omnia respondeat fortuna; atque illius benignitas meis abunde respondit. Apud Regem Ferdinandum habebam patronum incomparabilem, Bernardum Episcopum Tridentinum, is, vt audio, se subduxit ab aula; offensus, vt arbitror, his belli præludijs, cuius quando simus habituri finem, novit Deus. Quibus agatur consilijs Cæsar, nescio. Amissa Hungaria, miseris modis vastata Austria, & rursus imminente Turca, nonnullis videtur nimium diu hærere in Italia. Nec pauci mirantur, qualis sit illa pax inter Cæsarem & Gallum, quum duo filij nihilominus detineantur in Hispania. Rex Ferdinandus habet invictum animum, sed novus Princeps destituitur nervis belli. Quod si Cæsar vi Lutheranos aggreditur, hic prorsus de nobis actum fuerit. Quod optimi regis vestri pietas semper molita est inter Cæsarem & Gallum, hoc rex Poloniæ Sigismundus magno studio molitus est inter Ferdinandum, & Ioannem, regni competitorem. Sed fata superant hominum consilia. Officium meum erga Carolum tuum tibi non ingratum fuisse, mihi fuit gratissimum, cuius indolem felicissimam precor, vt Dominus Iesus tum servare, tum usque in maius meliusque provehere dignetur. Nescio quam mihi fortuna cibum offerat edendulo, certe Petrus Barbirius sic mihi adamatus,

matus, sic a me literis celebratus, me pensione Curracensi spoliavit inaudita perfidia. Et audio Cantuariensem deficere, cui si quid acciderit, nihil est quod sperem de pensionibus. Mihi sat animi est, si carnificem meum calculum queam excutere. Quanquam apud Gallos exoritur Budaica factio, stolidis modis in me velitans. Nec ipsi sciunt, quamobrem mihi succenseant. Thomæ Moro nihil gratulor, ne studijs quidem admodum; isti regno gratulor, cui non potuit sanctior meliorque iudex contingere. Consolaris me de tumultu obtrectatorum, at tu vix nosti decimam partem eorum, quæ in me ex insidijs diabolicis artibus moliuntur quidam scelerosi, sub Euangelij titulo latitantes. Scribam filio & præceptori, quorum utrunque tibi gratulor, si patietur valetudo. Nam inter epistolarum tumultus, cœpit esse vehementer molesta, nec possum suspicari causam, nisi siccitatem intestinorum, Ignosce Mecœnas, non vacabat hæc relegere. Apud Friburgum *v.* Kal. Aprilis, *Anno* CIↃ IↃ XXIX.

Agnosce manum tui veteris clientis.

Erasmus Roterodamus Ornatissimo Viro D. Ioanni Cholero Præposito Curiensi, S. P.

Q*Vum Basiliæ res iam viderentur intolerabiles, ne viderer ijs, quæ gerebantur, assentiri, demigravi*

gravi Friburgum; ſed ante diligenter commendatus per regem Ferdinandum venerabili huius vrbis magiſtratui: qui mihi ſua ſponte detulerunt uſum harum ædium, quas exſtruxit D. Iacobus Villingerus, piæ memoriæ, parati etiam maioribus officijs honorare me, ſi paſſus fuiſſem. Has ædes tum occuparant Ottomarus Luſcinius, & Auguſtinus Marius quondam eccleſiaſtes Baſileæ. Mihi cum his ceſſit aliqua pars. Poſt octo fere menſes migravit Marius, deditque, vt ait Luſcinius, florenos duos, civilitatis gratia. Luſcinius manſit diu. Ego, ne viderer incivilis, pro tot fere menſibus, quot hic egerat Marius, miſi honorabili domino D. Vdalricho Tribuno plebis coronatos quatuor, præter ea quæ inſumſeram in huius domus neceſſaria, ea redibant ad quinque coronatos. Aliquanto poſt, circa natalem Chriſti, Tribunus per Henricum Glareanum cœpit agere de conducenda tota domo, una cum area quadra, quæ eſt poſt ædes; ſignificans ſe poſſe locare in annum viginti florenis. Reſpondi & per Glareanum & ſcripto, ſi vidua non horreret nomen locatricis, me facile daturum duodecim coronatos, modo domus mihi traderetur libera: cæterùm Luſcinium non libenter ceſſurum, nec me velle cum quoquam contendere, minime vero cum Luſcinio. Aliquanto poſt denuo miſi ſcriptum ad Tribunum, aperte teſtans animum meum, illo quadro mihi non eſſe opus. ibi Smotzerus & alij habebant equos, ibi operabantur fabri lignarij & lapidarij, quos ego nollem expellere: Sed ſi hanc do-

unum mihi faceret liberam, tum si proponeretur æqua merces, responsurum; nollem, an vellem. Hoc scriptum sibi servavit Tribunus. Quum nihil aliud diceretur a Tribuno, arbitratus sum me hic habitare ea ratione, qua antehac habitaram, hoc est sine ullo pacto, exspectans si quid aliud denunciaret Tribunus. Sub hyemem cœpit migrare Luscinius in domum cuiusdam Abbatis, relicta tamen hîc maxima parte supellectilis, & quotidie huc ventitans, velut in binis habitans ædibus. Sub hyemem abstulit fere totam supellectilem, id vbi viderem, adij hominem, serio inquam nunc migras? Arridens, annuit. Tandem quum admonerem, si molestum non esset, vt alicui traderet claves, quo locus posset purgari, si modo id sine ipsius incommodo fieri posset; contraxit se, respondítque se post reditum ex Argentoratis cum Tribuno velle loqui. Post hæc verba de clavibus, ne videretur migrando ius suum amittere, reliquit quod supererat recularum. Totum una sporta componi poterat. Quum redisset, rursus egi de clavibus, non vt conductor, nihil enim minus suspicabar, sed blande & precario, cum his exceptionibus, si id illi commodum esset, suoque iure incolumi posset. Multa tergiversatus, venit in colloquium: præfatus sum, si citra suum incommodum vellet mihi ea in re gratificari, fore pergratum; sin minus, me nolle super hac re contendere. Cum, vt fit, incalesceret sermo, magnifice respondit, id quod frequentissime dicere solet omnibus, se ab Iacobo Villingero & illius hæredibus esse

esse institutum in hanc domum totam, nec posse eam possessionem cuiquam cedere, se compertum habere voluntatem illorum. Cum responderem nihil illius deperiturum imo, si traderet claves ut locus maneret purus, nunc occupari muribus & araneis, non acquievit, sed servavit claves & diligentius locum clausit, quam antea. Tandem abieci Tribunum mecum agere cœpisse de tota domo conducenda. Respondit se ius habere in totum quadrum, meque hic ex illius gratia vivere, quum posset solus occupare totam domum. Si ita est, inquam, cur Tribunus mecum agit de conducenda tota domo? Et ego inquit loquar cum Tribuno, & ego scio animum Tribuni. Multaque eiusmodi de iure suo, quod animo teneretur non corpore. Remisi contentionem. Vbi vocasset Tribunum cum aliis ad convivium, gloriatus est apud Quirinum famulum meum, quod optime conveniret ipsi cum Tribuno, quod ille multa alia loquutus esset ipsi, quam mihi. Post hoc colloquium sensi hominem mihi parum æquum. Multa questus est apud Quirinum de me. Et Argentorati quidem asseverant eum in me dixisse plus quam hostilia; & credo, utcunque ille negat. Quid scribat suis, facile divino. Aliquando post quum hic sæviret pestis, quo plus esset spatii, si quid cui ex nostris accidisset, blande rogavi, ut sineret illum locum, quem habebat clausum & vacuum, nobis esse apertum. Quid responderit, cognosces ex epistola, quam mitto, in qua suum ius constanter asserit. Tandem blande epistola

impetravi, ut ostium sineret apertum, quod absque clavi clausum nec intus nec foris aperiri potest. Claves servavit sibi. Dedi scrinium, in quo reponeret tres chartas, non ob aliud relictas, nisi ne videretur emigrasse. eius scrinij clavem secum abstulit. Post fuerunt Alcedonia, licet eo loco (gratia Superis) nunquam sim usus. Tantum curavi, ut maneret purus. Iam sub finem Martij Tribunus vocat Glareanum, ostendit & epistolam cuiusdam procuratoris, clarißimi viri Ioannis Leblin, Regij Thesaurarij, qua scribit sibi mandatum a domino, ut ego iubeat hinc migrare ad natalem Ioannis Baptista, hoc est intra tres menses, simulque Tribunus petit a me viginti florenos pro anno retroacto a natali Christi usque ad natalem. Id mihi, qui nunquam somniaram me haberi pro conductore, tam novum fuit, quam si quis ostendisset cygnum nigrum. Nunquam recepi conditionem, semper excepi domum liberam: Luscinius constanter affirmabat, se habere ius in hanc domum totam. Habuit claves domus, ingressus est quandocunque voluit. A Tribuno nunquam admonitus sum, me habitare in conducto, nunquam iussus sum a Luscinio petere claves. Vnde mihi potuisset in mentem venire, me esse totius domus conductorem? Tribunus principio dicebat, agat Erasmus cum Luscinio, imo ne cum illo contenderem, expresse excepi libertatem totius domus, & testatus sum illum non libenter cessurum. Si quis dono dedisset hanc domum ea lege, ut Luscinium volentem nolentem excluderem,

cluderem, incontanter recusassem munus, tanti abest ut ea lege voluerim conducere. Obiectum est & illud, posteaquam facta est mentio de pretio conductionis, mansi in domo velut approbans, imo scripto & verbis constanter affirmavi, me de domo nisi tota & libera nolle paciſci. Mansi autem ea conditione, qua antea, videlicet precario, paratus exire quandocunque iuberer Nemo iussit. Secus fuisset, si habitanti in conducto diceretur, possum hanc domum locare pluris; Is si admonitus maneret, videretur accipere pretium auctum. Tam multi sunt his ædibus usi gratis, putabam magistratum partim ex sua benignitate, partim ob commendationem regis Ferdinandi mihi velle hoc honoris habere; & quanquam nulla intercessisset pactio, plus dedissem, quam alios dedisse audio. Ea vox a me frequenter & dicta est & scripta, me malle pro hac domo libera dare viginti florenos, quam pro non libera, ut nunc est, quinque. Tribunus dicit se repetiisse claves a Luscinio, atque illum respondisse, reliqui in ædibus. Verum dixit, reliquit in ædibus aliquas claves, sed non illas, de quibus Tribunus sentiebat. Claves primi ostii & domus, quam obtinebat, servavit sibi, & adhuc servat. Ita verba data sunt Tribuno. Non cuperem in his ædibus habitare vel precario vel conductis: erat tamen hoc humanitatis, senem, valetudinarium vel ægrotum potius, tum hospitem, & Caroli Cæsaris & Regis Ferdinandi literis commendatum tempestivius admonere de mi-

grando, præsertim cum mihi in novis ædibus sit extruendum fumarium, & apparandus huic corpusculo commodus nidus. Ad inveniendas ædes, conducendas aut emendas; ad ornandas, ad extruendum focum, perquam angustum spatium sunt tres menses. At ego sub finem Martij iubeor migrare ad Natalem Ioannis. Et interim quum nec conduxerim ædes, nec conducere voluerim, nisi traderentur liberæ, idque constanter & dictis & scriptis sim evidenter testatus, a festo Natalis Christi anni CIↃ IↃ XXIX. usque ad natalem Ioannis CIↃ IↃ XXXI. petuntur a me floreni 30. quasi totam domum conduxerim ac possederim. Sed confido Tribunum re diligentius expensa mutaturum sententiam.

Splendidissimo Domino Bilibaldo Pirckheimero, Cæsareæ Maiestatis consiliario, Senatori Norimberg. suo, Erasmus S. D.

IAM *pridem ardebam desiderio tui, neque mediocrem amoris in te flammam è tuis conceperam lucubratiunculis, in quibus mihi visus sum Bilibaldi mei velut expressum simulacrum agnovisse, hominis, vel potius herois cuiuspiam incomparabilis, in quo vicissim & fortunæ splendorem ornarent litteræ, & litteras ornaret fortunæ splendor: utrumque commendaret morum integritas, & hæc pari ingenij comitate suavitateque cumulata. Accendit ardentem,*

tem, & iuxta Græcorum proverbium, πῦρ ἐπὶ πῦρ, addidit Beati Rhenani, quo non alius tui nominis studiosior, prædicatio. Nam huius pene cotidiana consuetudine, doctißima pariter & mellitißima, sic delector, vt hac re me plane putem esse, quod ille dicitur. Is mecum de nemine confabulatur vel sæpius, vel honorificentius, vel amantius, quam de suo Bilibaldo. Super hæc acceßit epistola tua, non illa quidem ad me, sed tota de me scripta. Et tamen ad me quoque scripta, quandoquidem ad eum data est, quem ego vere μίαν ψυχὴν poßim appellare. Ambis nostram neceßitudinem, & optas consuetudinem, quorum utrumque iampridem ipse magnis votis suspirabam verius, quam sperabam. Quanquam seiuncti sumus, nihil vetat, quo minus arctißima neceßitudine copulemur. Demus operam, vt mutuis item fruamur amplexibus. Eduntur Adagiorum Chiliades, sic emendatæ, sic locupletatæ, vt novum opus videri poßit. Eduntur universa D. Hieronymi monumenta, argumentis & scholijs à me illustrata, nec sine summis sudoribus emendata, notatis ac semotis quæ notha fuerant admixta. Emendavimus totum Novum testamentum, additis scholijs; Molimur obiter & alia. His laboribus sic obruimur iam sextum ferme mensem, vt vix valetudinem tueri poßimus. Et tamen non mihi potui temperare, quin his plus, quam extemporarijs magis Bilibaldum lacesserem Sciebam quid tua postulabat dignitas, quid eruditio: sed boni consules, quod non suasit, sed im-

peravit amor tui. Præter expectationem nuntius hic oblatus est. Malui eum ineptis quam nullis meis litteris comitatum venire. Dabitur brevi pluſculum otij, iamque non litteris, ſed voluminibus tecum agam. Vtinam propius adeſſes! nam Menſe Martio Britanniam repeto. Bene vale, præcipuum noſtræ Germaniæ decus. Baſileæ, Non. Kal. Febr.

Eidem Bilibaldo Pirckheimero, Senatori Norimberg. ſuo, Eraſmus S. P.

NEC erat argumentum ad te ſcribendi, nec otium, vtpote iam ad iter accincto: & tot iam iam menſium laboribus tantum non extinctus eram. Et tamen nactus, qui perferret, non potui non ſcribebere ad meum Bilibaldum. Novum Teſtamentum vtcunque eſt abſolutum. Hieronymus iam ad metam anhelat, propemodum exiturus in manus hominum. Exculditur nunc libellus de Inſtitutione Principis, una cum alijs aliquot. Nos humiles, quod licet, molimur, & rei litterariæ ſuccurrimus pro virili. Tu, quo fælicior es, hoc potes maiora. Quæcunque regio nos habitura eſt, ſemper Bilibaldum animo circumferemus. Etiam atque etiam te rogo, vt Annotationes in Novum Inſtrumentum tuæ vocis præconio omnibus commendes. Scis enim, novitatem omnem obnoxiam eſſe invidiæ. Bene vale, litterarum decus Baſileæ, poſtridie Pentecoſtes, Anno CIↃ IↃ XVI.

Eraſmus

Erasmus Bilibaldo suo S. D.

ACcepi libellum una cum litteris tuis, vir clarissime, ad quas ut paucis respondeam, quippe summis districtus laboribus, vivo utcunque, versorque Lovanij, cooptatus in consortium Theologorum, licet in hac Academia non sim insignitus titulo Doctoris. Id malui, quam Principem Carolum in Hispanias comitari, maxime cum viderem aulam in tot sectarum factiones Hispanos, Maranos, Civericos, Gallos, Cæsareanos, Neapolitanos, Siculos, & quos non? Proximo vere cum Angliam ob privatum quoddam adissem negotium, Rex ultro me mira complexus est humanitate, atque item Cardinalis rex alter, ut ita loquar. Obtulerunt præter ædes magnificas sexcentos florenos in singulos annos. Sic egi gratias, ut nec acciperem conditionem oblatam, nec rejcerem. Hic licet maximo meo sumptu vivam, tamen certum est menses aliquot desidere, partim ut absolvam, quod est in manibus, partim ut videam, quorsum evasuræ sint spes amplissimæ, quas Principis nomine mihi discedens hinc ostendit Cancellarius Burgundiæ Ioannes Sylvagius, vir ut eruditissimus, ita litteratorum omnium patronus. Novum Testamentum, quod pridem Basileæ præcipitatum fuit verius, quam editum, retexo ac recudo, & ita recudo, ut aliud opus sit futurum. Absolvetur, ut spero, inter quatuor menses. Perplacuit tuus

libellus, vt illa tam amica Reuchlini defensio, in qua mihi videre solito facundior, credo quod vt Fabius inquit, pectus quoque te reddiderit eloquentem, non tantum ingenium, aut eruditio. Sed ego nihil puto calamitosius, quam quocunque modo bellare. Tum autem nihil esse calamitosius, quam si res incidat cum hoste sordido ac pudendo. Nam cum quibus tandem est conflictandum Reuchline! Cum populo crabronum, quem & ipse Romanus Pontifex vereatur prouocare, adeo, vt Alexander solitus sit dicere, se tutius sibi putare quemlibet è summis regibus offendere, quam vnum quemvis è gregibus istorum mendicorum, qui sub abiecti nominis prætextu veram in orbem Christianum exercerent tyrannidem. Etiamsi hoc, quod paucorum vitio cõmittitur, non opinor æquum in ordinem vniversum conferre. *Deinde vide quæso, quonam organo utantur isti veræ religionis haudquaquam veri professores. Homine prorsus idiota, frontis perfrictæ, & de quo peccando nullum omnino detrimentum fieri possit, cui non esset impingendum semiiudæi vocabulum, nisi factis sese declararet sesquiiudæum. Quod aliud instrumentum optaret sibi Diabolus, Christianæ religionis æternus hostis, quã istiusmodi angelum Satanæ transfiguratum in angelũ lucis, & falcissima defendenda religionis prætextu, id vbique turbãtem, quod nostræ religionis, & caput est & optimum? nempe publicam orbis Christiani concordiam. Quid indignius, quam viros immortali me-*

moria dignos cum istiusmodo portēto digladiari? cuius ego solo nomine chartas pollui puto. Dispeream, nisi ille se non alio consilio tingendum aqua curavit, nisi ut maiore pernicie grassaretur in Christianos, & nobis admixtus, universum populum suo Iudaico veneno inficeret. Quid enim lædere poterat, si Iudæus, ut erat, mansisset? nunc demum verum agit Iudæum, Posteaquam Christiani personam induit: Nunc suo respondet generi: illi Christum sunt calumniati, sed unū. Iste debacchatur in totintegros ac spectatos vita & eruditione viros; Nullū officiū poterat suis Iudæis præstare gratius quā ut persugam simulans, rē Christianā hostib. proderet, homo ad cætera lapis; tantum ad calumniandū ingeniosus. Quod sacrificium poterat Satanæ fieri acceptius, quā inter omnes Christianos istiusmodi dissidiorum iaci semina? Unde Satanas dictus Hebræis? nimirū ab adversando. An non illius vices gerit, qui claris viris publicam utilitatem molientibus, nephariis modis obstat & obstrepit, & huic uni rei se natum putat? Unde Græcis Diabolus dictus est? non à fœnerando, non ab adulterio, non à furto, non ab alio vitio, sed à calumniando dictus est. An non huius Apostolus est, qui totam vitam huic studio dedicavit, ut apud imperitam plebem optimorum virorum nomina infamet ac traducet? ad rem omnium sceleratissimam religionis abutens titulo: quæ non cuiusvis Dæmonis, sed insigniter versuti cuiuspiam techna est. Scit, se doctis ac bonis viris placere non posse, nec his facile imponi.

Atque

Atque ea gratia apud indoctam plebem quiritatur, inter mulierculas superstitiosas, & , ut Paulus inquit, oneratas peccatis gannit, & pessimo semini terram captat habilem. His magnificis titulis offundit fumos, his defensionem Christianæ religionis, his hæreses, & excommunicationes occinit. Qui crassiores sunt, quam ut animadvertant grassatorem lupum sub ovilla pelle latentem. O sceleratum granum, & illi dissimillimum, quod cadens in terram, & mortuum vitæ pabulum attulit? Hoc granum Diaboli manu iactum est, Aconiti puto, aut si quod aconito pestilentius, quod nî in tempore prospicietur, nocentissimum dissidiorum venenum in Christianorum invehit concordiam. Quid enim futurum est tandem, si sinetur ille sycophanta sic in omnes sui dissimiles ad eundem debacchari modum? & impurissima bellua docti viri cogentur libris respondere, qui indignus est, qui nominetur inter homines. Crede mihi, Bilibalde doctissime, latius spectant hæc orsa, quam fortasse vulgus hominum intelligit. Videmus ex quantula favilla quantum aliquoties nascatur incendium. Proinde demiror Episcopos hîc non advigilare, ut istam hydram in tempore exurant, & malo veneno victori, & per omnia pervagato occurrant. Scelestus ille maledicus vinci non potest, qui totus ex maledicentia conflatus est, & habet tot ἀλάστορας, qui defesso suggerant novas vires. Conviciis igitur ille nunquam vincetur. Hanc unicam laudem ille affectat, si omnium eruditorum libris

quocunque

quocunque modo decantetur apud posteros. Sic san agitat ὀλίγοις ὑπὸ: Si paucis bonis ac doctis ero infamis, mihi sat est, quod maiori hominum parti placeam. Quod si detectis technis ac præstigijs evulgatis apud universos Christianos fiam execrabilis, certißimam gloriam adipiscor apud meos Iudæos, qui tum intellecturi sunt, quod non inimico animo ab eis defecerim. Igitur eruditi non solum turpiter, verum etiam inaniter contra hunc congrediuntur, à quo præter infamiam nihil possunt contrahere, sive vincant, sive vincantur. Carnifex aliquis melius istam compescat rabiem. Id curare Episcoporum est? est iustißimi Cæsaris Maximiliani: est magistratuum inclytæ urbis Agrippinæ: non fovere viperam tam virulentam in certißimum Christianæ religionis exitium, nisi paretur antidotus tali digna malo. Atque hæc dixerim nullo quidem privato stomacho; nihil enim me læsit unquam, aut si quid in me blateravit, nihil me movet, & causa ne tantillum quidem ad me pertinet: sed tamen dolet, concordiam plebis Christianæ sic indigne discissum iri, unius verpi prophani & indocti præstigijs, idque illorum auxilijs, qui se Christianæ religionis columina profitentur. Sed hisce de rebus satis esto. Ne nihil reprehendam, mi Bilibalde, in tuo libello alioquin doctißimo, mihi non admodum Catalogus ille Reuchlino faventium probatur. Quis enim usquam illi non favet, eruditus ac pius? quis non istam execratur beluam, nisi qui aut causam non intelligit, aut publico malo

suis

suis consulit commodis? Deinde dum in Dialecticos ac Philosophos expatiaris, maluissem te cæteris intactis hoc solum agere quod agebas. Bene vale, Clarissime Doctorum & Clarorum doctissime. Lovanij postridie omnium Divorum, Anno CIↃ IↃ XVII.

Clarissimo Domino Bilibaldo Pirckheimero, Literarum & Germaniæ decori, suo, Erasmus S. P.

EQuidem arbitror fatali quadam propensione ingenij fieri, ut Bilibaldum meum tam unice deamem. Testis est mihi Beatus Rhenanus, cum vix dum gustassem libellum abs te versum, protinus flammam novi cuiusdam amoris erga te concepisse. Nunc & è litteris ad me tuis, & doctissimi ingenij tui monumentis cotidie nonnihil adiungitur. Prorsus rarissima es avis huius seculi, qui tam eximiam eruditionem cum tanto fortunæ splendore, rursum cum hoc tantum comitatis & humanitatis copularis, ut qui me meique similes homunculos non graveris in tuorum amicorum numerum asscribere, Libellum quendam abs te versum Brugis exhibuit mihi Thomas Morus ex Anglia reverso. Nam is tum apud nos regis ac gentis suæ nomine legatione fungebatur. De litteris nulla mentio. Tantum adiecit obiter, ad me missum, nec explicuit, à quo. Suspicor te commisisse litteras tuas D. Roberto VVimphildo, qui

cum me sæpius in Anglia salutarit, & quodam die diutius etiam fuerit collocutus, demiror, quam ob rem ne verbum quidem unquam super hac re fecerit. Quod mihi tantum tribuis laudum, quas ne si immodestißimus quidem sim, poßim agnascere, hoc certe effecisti, vt paulo minus mihi displiceam. Obruimur hic duplici sarcina, quarum vtra vis Herculem, non Erasmum, requirat. Præteri alia minutiora, sustinemus Hieronymum & Novum Testamentum, quod nunc typis excuditur. Fœmina, quam tibi ex Mechlina commendavi, soror est eius cui Enchiridion dicavi. Id operis nuper excusum est Argentorati. Adieci commentarium in Psalmum, Beato Rhenano nostro dedicatum, Nihil enim hoc amico amicius. Missurus eram codicem, ni respondissent, iam isthuc esse deportatum. Scripsimus hæc, non solum incredibilibus obruti laboribus, verum etiam à cœna subito de tabellionis discessu admoniti. Vnum illud adijciam, quantumvis eruditione & fortuna vincatur Erasmus, studio & amore nunquam cessurum licet invicto Bilibaldo. Vbi dabitur commoditas (dabitur autem, vt spero, brevi) totis voluminibus tecum agam, nedum epistolis. Beatus Rhenanus plane Pythagoricus amicus, hoc est, μία ψυχὴ, salutem abs te libenter acceptam multo cum fœnore reprecatur. Bene vale, præcipuum rei litterariæ decus. Basileæ Natali divi Galli ad multam noctem.

Erasmus

Erasmus Bilibaldo suo S. D.

ORnatißime Bilibalde, nuper mihi redditæ sunt tuæ litteræ, quibus expostulas, quod tuis non responderim. Id adeo miror, cum mea responsio copiosa iam pridem excusa sit Basileæ. Demiror, te citatum esse Romam, cum sciam Pontificem hoc inprimis dedisse in mandatis, ne quem innoxium læderent, imo conscios etiam ac fautores, ut ipsi vocant, hæreseos, modis omnibus allectarent. Sed aliter visum est furiosis Theologis aliquot. Cupio te quam optime valere, ac fugere postea fæliciter. Ego hic in quotidianis concionibus lapidor à prædicatoribus, & Luthero copulor, quicum mihi nihil est negocij, sed ita stolide rem gerunt, ut populus etiam craßißimus intelligat. Non poterunt magis officere Romano Pontifici, neque magis Lutherum commendare affectibus hominum. Nunc demum incipiunt illi favere. Vtinam Leo sciret, quibus modis hic res agatur. In illos primum esset leo. Bene vale, vir optime. Lovanij, vij. Kal. Febr.

Bilibaldo suo Erasmus S. D.

ORnatißime vir, postremæ litteræ tuæ mihi redditæ sunt, confabulanti Aleandro. Nam cum forte agebamus Lovanij in eodem diversorio, is mihi sæpius de te verba fecit, & ita fecit, ut tibi vide-

videretur favere. Nam ostendit diploma quo liberateris ab ista molestia. Ista querela mi Bilibalde tibi cum multis est communis. In me non simplex exitium moliuntur. Equidem demiror, quis Deus Lutheri animum moderatus sit, ut tot amicis a provocando Pontifice deterrentibus semper acerbiora scripserit. Magis autem demiror malitiosum quorundam studium, qui volentes nolentes conati sunt aliquot in suam sententiam pertrahere: quasi cuperent perire cum multis. Quid enim aliud quæsiere talibus libellis, quam exitium? Qui sic scribunt, qui sic minantur, debebant habere paratas copias, si voluissent esse incolumes. Vide vero quantum promoverint. Bonas litteras depravarunt invidia, & optimus quisque, qui maxime favet Euangelicæ veritati, asinis est suspicioni periculosæ. Ingens orbis dissidium excitatum est inter omnes, fortasse duraturum in multos annos, & semper in peius progressurum. Pro sinistro tentata libertate duplicatur servitus: adeo ut ne vera quidem liceat tueri. Porrectum est telum sceleratissimis quibusdam, qua se ulciscantur adversus optimum quemque. Inusta est non levis nota Germaniæ, ut solet paucorum temeritas universitati imputari. Desiderabant in nobis prudentiam & consilium, & qui vel armis solemus esse formidabiles, contemnimur & à contemptissimis, ut qui nec mentem habeamus nec arma. Nobiles aliquot hic minitantur Sacerdotum opibus, quasi huc spectet finis Lutheranæ fabulæ, & ita Collegia omnia concilians

liant adversæ parti. In me nihil adhuc tentatu est palam, nisi quod Lovanij potissimum prædica tores quidam me mendacissimis concionibus infa mant apud populum: apud Principes varijs titul deferunt. Quidam cogunt ut scribam adversus Lu therum, cui non est ocium ullum, ut vel legam illi libellos. Nihil ego video melius quam in hac re mus sare. Tibi suaserim, ut pro tua causa scribas ip Leoni. Est ingenio mitissimo, & favet viris eru ditis. Apud Aleandrum ea de re loquutus sum quæ sint in rem tuam, quæque puto esse vera Basilea Bene vale Prid. Natalis S. Andreæ Anno CIↃ I XXI. Raptim.

In quibusdam Germanis, quibus toto pectore fide bam, minimum reperi fidei.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

NIhil mihi fuit tuis litteris gratius ornatissim Bilibalde. Nunc ut occupatissimus, pauci agam quod volo. Nemo nescit, quantum bonæ lit teræ debeant Frobenio, qui solus omnium suo damn nostris studet compendijs, sed ut sunt κεραμεῖς, ple rique insidiantur homini propemodum coniurato, ut illum perdant. Ubi quid novi operis prodit, quo putent fore vendibile, mox unus atque alter suffura tus ex ipsius officina exemplar, excudit ac vendita minimo. Interim Frobenius immensam pecuniam im pendit in castigatores, frequenter & in Exempla ria.

m. Huic iniquitati facile succurretur, si fiat Imratorium interdictum, ne quis librum primum à robenio excusum aut cui sit aliquid ab autore additm excudat intra biennium. Tempus longum non t, & officina Frobeniana vel ob hoc favore digna t, quod nihil ex ea prodit ineptum aut seditiosum. xcuditur nunc Paraphrasis in Euangelium Iohanis Ferdinando dicata, cuius partem ad te mitto, vt stendas, si videbitur commodum. Non dubito, uin res facile posit impetrari. Referet tamen, si d fiat quam primum. Si non est commodum, vt at per te, poteris alijs mandare. Adest enim, t audio Iacobus Spiegel mihi cum primis amius, homo candidus, adest Episcopus ac princeps Teramnensis nuncius Apostolicus, qui pro ua humanitate mihi semper favit unice. In hoc negocio mi Bilibalde mihi nec seritur nec metitur, & tamen Frobenij ac litterarum causa libenter & hic tibi debebo, qui multis alijs nominibus tibi sum obstrictißimus. Si diploma Cæsareum non statim poterit expediri, saltem sciamus impetratum esse vt in his nundinis, Frobenius poßit vti titulo. Summus Pontifex ad me diploma plenum honoris ac benevolentiæ misit. Iurat illius Secretarius, non esse vulgare, sed vere omnia ab ipso Pontifice dictata. Bene vale vir huius seculi decus. Basileæ v. Kal. Febr. Anno CIƆ IƆ XXII.

Bili-

Bilibaldo suo Erasmus S. D.

VTinam sicut alter alteri συμπαθοῦμεν, & alter alterum consolamur, ita nobis invicem mederi liceret. Quanquam mihi sane minima dolorum pars est corporis morbus. Ego mihi teste Christo conscius, me nihil ambire eorum, quæ sunt huius mundi, volens emigravero ex hoc domicilio, simul atque evocaverit ille noster Imperator, neque detractem tamen interim vel immori pijs laboribus, si modo fructum aliquem adferre liceat Iesu Christo, sed videmus imbecillitatem vel potius infælicitatem nostram, videmus hoc seculum prodigiosum, adeo, ut nesciam, cui parti me addicam: nisi quod conscientia mea satis confidit apud Iudicem Iohann. Qui sub nomine Pontificis nescio quod agunt negocium, sic urgent omnibus laqueos veteris Tyrannidis, ut videantur addituri citius multa, quam quicquam detracturi. Rursus qui sub nomine Lutheri præ se ferunt vindicationem Euangelicæ libertatis, nescio quo spiritu rem gerunt. Certe multi se admiscent, quos malim non admiscere, si meum esset negocium. Interim exitialibus dissidijs ubique scinditur charitas Christiana. Interim in suspenso sunt hominum conscientiæ. Qui propensi sunt suapte natura ad licentiam, facile accipiunt occasionem è libris Lutheranis. Qui modestiores sunt, inter sacrum & saxum hærent. Hinc vident argumenta probabilia,

a, & sensum naturæ; illinc vident autoritatem principum ac turbam innumerabilem. Quorsum autem res sit evasura, nescio; ego coactam & extortam fidem non magni facio. Gravis est autoritas bullarum, gravior diplomatum Cæsaris. sed ista fortasse cohibebunt ad tempus, linguas hominum an animos vertere possint, nescio. Vtinam Deus placatus nobis hoc immittat animis Principum, ut concordibus & synceris animis, nec alio spectantibus, quam ad gloriam Christi, scrutentur haud mali fontes, & remedium aliquod efficax ac duraturum adhibeant, idque quam minimo orbis tumultu, hoc est, quam minimum convulso Reipub. statu. Quid multis? res eo delapsa est, ut omnino succurrendum sit populi Christiani libertati. Adeo multa irrepserunt paulatim in publicos mores, & ceu præscriptiones vim legis inerutabilis occuparunt. De conciliis non ausim aliquid dicere, nisi forte proximum concilium Lateranense concilium non fuit. Multum item sumpsit Scholarum autoritas paulatim aucta, quæ nunc suas definitiones propemodum pro articulis fidei haberi postulavit. Iam sub umbra Romani Pontificis cauponantur, partim nimirum sibi vindicarunt, partim eo insolentiæ progressi sunt, ut omnibus fuerint intolerabiles. Quæ paulatim collegêre robur, non possunt subito convelli, & Magnatum autoritatem palam contemnere nec tutum est, nec utile, mea sententia. Nunc ex una parte res agitur bullis & edictis, minisque: ex altera licen-

tiosis

tiosis, ne dicam seditiosis libellis. Quod si principes aliis rebus occupati, non possunt his animum advertere, demiror non existere bonos viros, qui prudenti consilio tantis malis occurrant. Mea res non admodum agitur. Instat vitæ meæ terminus. Sed morientis etiam est, bene velle rei Christianæ; Si modo recte persuasum est nobis, Christum esse caput immortale totius Ecclesiæ. Alius consulit suis privatis commodis: alius metuit, ne perdat quod habet: alius abhorret à tumultu, & quiescit: sed interim gliscit periculosum incendium. Me quorundam malevolentia tanta gravavit invidia, ut frustra sim conaturus, si quid tentem. Theologi quidam sentientes renascentibus per nos antiquis studiis suæ autoritati paulatim aliquid decedere, etiam prinsquam Lutheri nomen audisset orbis, nihil non moliebantur in me. His Lutherus telum porrexit, quo nos conficerent: tamen semper abstinui à Lutherano negocio, nisi quod hortabar sedulo, ut aliter scriberet, si vellet proficere. Successit Aleander, ut ante Lutheri nomen hoc Erasmo, quod figulus figulo natura excelsus, ferox, irritabilis, cui nihil neque lucri neque gloriæ satis est. Hunc quidam impleruut falsissimis mendaciis, & sic instigarunt hominem, ut nihil haberet, quid de me prædicaret, etiam apud summos viros, modo perderet. Et tamen apud me deierabat, non vivere quenquam amiciorem Erasmo, quam esset ipse. Discedens reliquit Organa sua probe instructa duos Theologos Lovanienses

nienses, D. Caracciolam Episcopum Laodiensem, hominem linguæ facilis, & Hispanum nescio quem in aula Cæsaris, suspicor esse apud Mottensem. Habet Roma Stunicam, hominem omni iudicio insanum, & ad maledicentiam natum. Is exhibuerat Leoni libellum, qui continebat sex myriades hæreseon decerptas è meis lucrubrationibus, & ea causa periclitabar, nisi mors intercepisset Leonem: alioqui non infensum Erasmo. Lutherani multi palam minantur libellos maledicos, & Cæsari propemodum persuasum est, me fontem & caput esse totius Lutherani tumultus. Atque ita magnifice periclitor utrinque; de omnibus bene meritus Decreveram aliquid scribere, non adversus Lutherum, sed de concordia: verum video partes ambas sic ardentes, ut præstet quiescere. Quanquam vellem iam ante duos annos in me scripsissent Lutherani. Levassent me gravi invidia. Consului doctissimos Theologos, si quid esset in nono cap. Epist. ad Rom. Negant quicquam esse mali, nisi hoc istis malum videtur, quod aliquid tribuam libero arbitrio, tam est perpusillum. Bene vale vir clarissime, nosque, quod soles & facis, ama. Basileæ, iij. Kal. April. An. CIↃ IↃ XXII.

Non vacavit relegere epistolam. Quare ignosce.

Bilibaldo ſuo Eraſmus S. P.

NEc ego poteram ſecus de tuo prudenti candore ſuſpicari mi Bilibalde, ſed erant qui me litteris admonuerunt, vt te placarem. Vtinam Deus immittat animis principum orbis ſalutifera conſilia. Pudet me horum tumultuum. Dicas Phaethontem admotum currui ſolis. Et interim nobis videmur Chriſtiani, & agimus de Rhodo. Stunicam ſemper contempſi. Vellem autem quoſdam Lutheranos negocium Euangelicum tractare prudentius. Nunc in ſummo tumultu ſum, quod inſtent nundinæ. Poſt ſcribam copioſius. Bene valebis interim. Baſileæ, ſexto Id. Iannarias, Anno CIↃ IↃ XXII.

Bilibaldo Eraſmo ſuo S. P.

DVrero noſtro gratulor ex animo, dignus eſt artifex, qui nunquam moriatur. Cœperat me pingere Bruxellæ: Vtinam perfeciſſet. Nos eodem in ſtatu fuimus, quo ille malo ex re nihili nato. Perſentiebam animo voluptatem quandam, quod ex hoc turbulentiſſimo ſeculo migraturus eſſem ad Chriſtum Gliſcit indies hæc peſtis, nec ullum video exitum. Scripſeram Pontifici conſilium meum, ſed Eccius ſcribit ſuum conſilium maxime placuiſſe, ſeque apud Pontificem valere plurimum. Ego me ab his contentionibus abduco, & ad tranquilliora. In

para-

paraphrasibus tractandis videor mihi fieri melior: & nemo læditur. Gravamina reddidit mihi Sylvius AEgranus, sed nondum perlegi. Si tu recte vales, est quod magnopere gaudeam. Vt video alius sibi sumpsit partes reddendi libros meos Ferdinando, ut aliquid ab eo extorqueret. Misi post libellos inauratos. Ferdinandus & litteris humanissimis gratias egit, & centum florenos aureos dono misit. Emoriar mi Bilibalde, si crediturus eram, in universis Germanis esse tantum inhumanitatis, impudentiæ, vanitatis, virulentiæ, quantum habet unus libellus Hutteni. Tot testimoniis ornatus est à me. Toties per me suo Cardinali ac cæteris Principibus commendatus est. De nullo candidius sentiebam & loquebar. Nunquam à me verbo læsus est. Imo cum hic esset, obtuli colloquium, si quid esset rei seriæ: detuli ei officium, si quod à me præstari vellet. Nihil minus expectabam, quam hunc assultum ab Hutteno. Multis coniecturis adducor, ut credam Henricum Epphendorpium huius fabulæ artificem. Adeo ille subito factus est Huttenianus. Ego tamen non desinam esse similis mei. Nondum statui, an velim illi respondere. Furit, nec habet, cuius iacturam faciat. Fugitat ac latitat nunc apud Helvetios, non absque periculo. Fovet illum Zwinglius Thurregii, sed clam. Bene valeat meus Bilibaldus. Reliqua cognosces ex AEgrano. Basileæ, xiv. Kal. Aug. Anno CIↃ IↃ XXII.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

VEhementer grata fuere tuæ litteræ, vel ob hoc, quod alacritatem quandam præ se ferebant. Nos his ferijs natalicijs calculus dolori coniunctus, quem Colicum vocant, penissime liberarat ab his vitæ malis. Et adhuc adeo deiectum est hoc corpusculum, ut verear ne non perficiam, quod est in manibus Actorum opus. Non metuo mortem. Satis enim diu vixi. Optarem aliud mitius mortis genus. Nunc quot mortes habet unius calculi partus? Et quoties regustanda mors? Sed Dei voluntati nos subijciamus oportet. Clemens Septimus magnis promissis Romam vocat. Illustrissima Domina Margaretha & Cæsar in Brabantiam, alioqui perijt pensio, quæ iam plus quam biennium non solvitur. Hic fremunt in me Lutherani ingeniosiores. Et Lutherus ad suos scribit nobis parum amicos. Romæ quid sit futurum, satis divino: sunt enim illic, qui gladiatorijs animis mihi certum exitium moliuntur. Ac iam pene peregerant ante mortem Adriani. Cui cum scripsissem consilij mei partem, ab ipso rogatus litteris secretis, mox sensi mutatos duos. In Brabantia furiosis datus est gladius, qui me peius oderunt quam Lutherum. Hic nihil aliud, quam ægroto. Invitat iam sæpe Rex Galliæ. Sed videbor ad hostem fugisse; id inimici suadebat Cæsari, qui adhuc satis favet Erasmo.

Rex

Rex Anglus sic urget, ut scribam adversus Lutherum, ut videatur indigne laturus, si pergam negare. Quid hoc seculo turbulentius? Feceris pergratum, si reliqua quæ isthic aguntur, perscripseris, deque Lei nostri gestis. Ut Lutherus omnes inimicos suos nobilitat ac ditat. Demiror quis sit exitus futurus huius consilij, & apparatus ad bellum, quod fit undique. Concurrent montes, opinor. Deus nostros tumultus vertat in bonum publicum. De fusili Erasmo, recte coniecturas. Felicius provenire solet ex materia cupro stannoque temperata. Et Terminus, qui à tergo est, obstat, quo minus facies feliciter exprimatur. Id velim istos tentare. Gaudeo Durero nostro contigisse sutorem suum, cui ex me multam dices salutem, & item Varenbulio. Hoc ægre scripsi, manibus adhuc à morbo vacillantibus, in ipso nuncij digressu submonitus. Fabro nostro precor omnia felicia. Scribe de singulis. Iodocus Orator Regis Poloniæ nondum accepit precationem Dominicam; quam opinor isthic iam prostare. Bene vale. Basileæ, tertia ab Epiphanijs die, Anno CIↃ IↃ XXIII.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

Capito scripsit ad me, queri nescio quid Varenbulium ob librum carius emptum à Conpergio. Iube illum esse bono animo. Efficiam, ut isthuc, quicquid est, bene pensetur. Misi plumbeam

imaginem, videlicet ineptiens apud amicum. Cupio scire, de ea quid sit actum. Spero Fabrum Constantiensem Vicarium, sic moderaturum autoritatem suam, ut non prodat Christum Pharisæis, Scribis, & Pontificibus. Vellem hos quoque plus sapere in generatione sua. Moneo sedulo, & proficio nonnihil, minus tamen quam vellem. Tu nos amare perge. Nos nostri dißimiles nunquam erimus. Bene vale cum tuis omnibus, vir Clarißime. Basileæ, xi. Kal. Decembr. CIↃ IↃ XXIII. Resaluta nostrum Apellem.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

PRioribus litteris tuis iam respondi, quibus nunciabas Leum adesse, ac de Dureri tabulis censuram egisse. An meas acceperis, non satis quivit ex tuis litteris intelligi. De rebus τῶν ἀρχόντων scito, ne mihi quidem tuto scribere, si modo tuto commiseris litteras, quod ante hac bene successit. Quod Clemens Septimus fœdus adversus Gallos renunciat, non satis intellexi, nam renunciat, qui nunciat; & renunciat, qui rescindit. Nihil minus decet quam Pontificem, qui pater est omnium, cum hoc aut illo ferire fœdus, sed æquam omnibus, oportebat inter omnes componere concordiam. Et hoc omnibus bonis viris optandum est. Et Galli Christiani sunt. Imperij titulo minus faveo, quod video esse perennem fontem bellorum. Sed ista θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Verißi-

Verißimum est quod scribis, Lutherum plurimos evehere; ille creat Canonicos, Episcopos, Cardinales, atque etiam ditat plurimos, velint nolint. Sed rursum multos deijcit ac spoliat, quorum de numero sum ego, cui per Margaretam ac Cæsarem promittitur pensio consiliarij, sed in patriam reverso. Verum illic regnat Egmondanus homo furiosus, armatus gladio, qui me duplo peius odit quam Lutherum. Habet collegam Franciscum Hulstum, mirum hostem bonarum litterarum. Primum conijciunt homines in carcerem: ac post quærunt, quæ obijciant. Ista Cæsar nescit, quæ tamen operæ pretium esset illum scire. Interim mihi debentur quingenti floreni aurei. Periclitatur & altera pensio resignatæ præbendæ. Iterum atque iterum magnis promißis Romam invitor, vt advolem. Cancer volabit, ego vix vivo, & hæc scribenti nunciatur mors VVonaci ex calculo. Humanißimo Varnbulio curabimus vt satisfiat, cui & ipse plurimum debeo. Pontifex hic deputavit sex Cardinales eruditißimos, qui de rebus Lutheranis respondeant. Addunt & illud: Germaniæ Principes implorasse auxilium Pontificis adversus Lutherum. Itaque sperant rem brevi confectum iri. Nec dubito, quin inter hos sex præcipuus sit Caietanus, etiamsi mox, vbi hæc scripseram, audio eum esse in Hungaria legatum. De fusili Erasmo scripseram, ex quo conijcio, litteras eas non fuisse redditas. Si artifex quispiam plumbeum archetypum expresserit purgatis angulis, fœlicior esset fusio. Deinde materia

mixta ex ære & stanno fæ'icius reddit imaginem. Postremò si solus Erasmus absque Termino funderetur, opinor melius cederet, nam densitas saxi, & aggeris, qui est à tergo, obstat, quo minus bene reddatur facies & collum. Licebit utrumque experiri. Si bene cesserit, fundat ac vendat suo bono. Si mihi miserit aliquot exemplaria fœlicia, quæ donem amicis, numerabo quod volet. Bene vale patrone magne. Basileæ, postridie Dominicæ quinquagesimæ, Anno CIↃ IↃ. XXIV.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

ÆGranus solet exaggerare omnia, quanquam nihil adhuc accidit mihi indignius hoc facto Hutteni. Hanc technam struxit Henricus Epphendorpius, qui omnia sua consilia miscuerat cum Hutteno, quum esset Basileæ. Vterque debebat animam, visum est illis hac via posse extundi ducentos florenos ab amicis Erasmi. Et extorsissent aliquid, nisi obstitisses. Nam olfeci technam. Cum viderent nihil extorqueri posse, saltem à typographo voluerunt paululum abradere. Neuter fecit odio mei, quum de utroque sim bene meritus: sed amore prædæ. Nunc ab aliis quibusdam extorserunt sexcentos florenos & triginta. Huttenus habet ducentos: Iuvenis, cuius nomine bellum indictum, quadringentos: Epphendorpius legatus triginta. Favit alea, & hæc sors attulit ei lucrum nonaginta. Isti habentur hîc pro

pro honestis viris. Spongiam meam, qua Hutteno respondeo, iam pene excudit Frobenius. Itaque sero mones: Quanquam respondeo contemptim. Emserum existimabam esse defunctum. Simile quiddam accidit mihi Lovanij. Scripseram Harmanno Gandano, qui præter utriusque linguæ litteraturam non vulgarem Lutetiæ primam lauream meruit, familiariter de rebus ad ipsum pertinentibus, nec credebam fore, vt ulli suorum eas litteras ostenderet. Epistola circumfertur excusa. In ea, vt scribunt, taxantur Franciscus Hulstus & Egmondanus Carmelita, quibus Cæsar & Pontifex regnum commisit, exurendi Lutheranos. Nondum vidi epistolam Pontifex imposuit silentium Egmondano Itaque mussant Theologi. Nescio an tibi scripserim de tragœdia exorta in Anglia. Iniecta erat regi suspicio, me adfuisse Luthero in novo ludicro libello. Ea de causa misi famulum. Is redijt omnibus felicißime gestis. Rex excusat sese. & item Cardinalis. Amicis veteribus accrevit & amor, & numerus. Donarunt famulo supra triginta florenos Buschius Hutteno furiosior, semper à me laudatus, & humaniter acceptus Basileæ, certe nullo verbo à me læsus, excudit nescio quid in me: quod fortaßis exibit hisce nundinis. Huiusmodi conciliant non optimam famam Germaniæ. Nihil stolidius. Principes omnes hortantur in Lutherum. Ego autem non scribam, aut ita scribam, vt qui pugnant pro regno Pharisaico, malint me siluisse. Bene vale, iv. Kal. Septemb. H v Bili-

Bilibaldo ſuo Eraſmus S. P.

CHariſſime Bilibalde, adijt me Antwerpiæ invenis ſingulari indole, tuæ ſororis maritus, & mihi tuo nomine ſalutem dixit, ſimulque officium ſuum mihi attulit. Prodijt tandem liber Eduardi Lei, quo nihil vnquam natum eſt neque virulentius, neque mendacius, neque ſeditioſius, addo, neque ſtultius, neque indoctius: & tamen homo ſibi placet, & invenit, quod in ** applaudunt. Reſpondimus ex tempore illius invectivis, ad quas ſi conferantur ſcripta Hoechſtrati & Pefercorni, nihil ſunt niſi merum mel. Nos, quod ad rem attinet, ſatis ſtrenue nos geſſimus in refellendo. Cæterum, quomodo monſtrum hoc natum in perniciem bonorum ſtudiorum ſit, à vobis expediendum, ex amicorum litteris cognoſcetis, quibus hoc negocij dedimus. Niſi peſtis nos deterrebit, fortaſſis hoc vere toto commigrabimus in Germaniam. Interea cura, vt quam optime valeas, amice magne & patrone incomparabilis. Lovanij, xiv. Kalend. Aprilis.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

DOleo tibi rem esse cum podagra. Si Luciano credimus, solent hoc tempore huius Deæ mystæ redire ad suas cantiones. Hoc magis irascor morbo tuo, quod nos privat dulcißimis tuis litteris. Nos aliquot dies expatiamur in Burgundiam, abstersuri situm, quem diutino otio latebrisque contraximus. Expectamus, quid isthic agatur, si quid tamen agitur. Qui has reddit, prædicat, sibi nescio quid affinitatis tecum intercedere. Alioqui non eram scripturus. Bene vale, vir optime. Basileæ, postrid. Id. April. Anno CIↃ IↃ XXIV.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

VIr ornatißime, scripsi nuper per eum, qui fusiles imagines reddidit, simulque significavi, tuas litteras hactenus bona fide mihi redditas fuisse, quod videreris aliud suspicari. Clemens VII. misit ad me diploma honorificum, cum honorario munere ducentorum florenorum, quos non accepissem, nisi nominatim expreßisset, se misisse ob Paraphrasim inscriptam. Pollicetur & in posterum magnifice. Cardinalis Campegius misit ad me proprios nuntios, quibus respondi, quæ mihi videbantur pro publica concordia facere. Quamquam, vt nunc agitur hæc fabula, ego nullam video catastrophen. Ita me

Iesus bene amet. Res indies serpit latius. Neutra pars agit de componendo dißidio: Imo plerique nihil aliud agunt, quam vt oleum addant camino. In Hollandia mea paßim fugiunt Monachæ, ac nubunt in Domino. Carmelita ille exautoratus est & à Cæsare & à Pontifice. Hulstius illius collega vix effugit capitis supplicium. Studia fœlicißime procedunt, frustra frementibus Theologis. Me clamant hæreticum. Sed nemo credit illis. Scripsit ad me Martinus Lutherus per Ioachimum quendam satis humaniter. Cui non sum ausus pari humanitate respondere propter sycophantas. Respondi tamen paucis. Melanchthon, vt audio, cupiebat colloqui nobiscum: sed non audebat me gravare invidia. Ego certe eam invidiam contempsissem. Est iuvenis ingenij candidißimi. Argentorati magnus est tumultus, etiam in senatu. Noster magistratus cœpit moderatius favere Lutheranis. Timent exemplum Argentinensium. Othonis libellus rursus exijt per autorem recognitus, &, ni fallor, auctus. Nondum vidi. Exijt & epistola Alberi omnium stultißima. Ea non dubito quin sit Buschij, tametsi stylum quantum potuit dißimulavit. Sed novi penitus illius ingenium. Is homo semper à me amanter cultus, ne verbo quidem vnquam à me læsus est. Huiusmodi muscæ perdent vnguentum & Euangelij & bonarum litterarum. Hisce præstigijs delectatur Epphendorpius. Gaudet lædere, & vult

& vult me scire; sed sic, ut apud alios possit inficiari. Posthac non est animus, talibus nanijs respondere. Romæ excusi sunt clam duo libelli Stunicæ, in quorum altero defendit Interpretem à solœcismis, quos illi impegeram: sed interim dissimulat innumeros, quos tueri non poterat. Et hos quadraginta, opinor, sic tuetur: Græce est ἀρθρίζειν: igitur Interpres recte dixit, manicare: quia licet fingere nova vocabula. Aut reddidit figuram, aut Hebraicum: Igitur non commisit solœcismum. Nam in Græco est ἐπὶ τρὶς, ergo bene vertit, per ter, in Actis. In altero prodit, quid ex ipsius Annotationibus castigarim tacito ipsius nomine, quasi parum fuisset, illi libro respondisse, nisi totum opus Annotationum inauspicato nomine contaminarem. Romæ ridetur ab omnibus. Et tamen homo sibi plaudit. Promittit enim, se non conquieturum, donec Erasmus agnoscat unum Stunicam præ cæteris extitisse, qui ipsum vincat non solum in sacris litteris, verum etiam in profanis. Pontifex tamen vetuerat excudi. Nec audent vendere. Clemens VII. misit Legatum in Angliam quendam Minoritam Archiepiscopum, qui pacem indiceret Principibus. Sed nihil egit. Itaque magnam pecuniæ vim à Rege oblatam recusavit accipere. Arbitror Angliæ regem iam traiecisse. Sic imus in Turcas. Iusserat Cæsar, mihi solvi pensionem: sed excusant belli onera. Promittunt tamen cum fœnore redeunti.

Libens aliquo demigrarō vel ob invidiam, qua me gravat amicitia Frobenij apud Typographos. Nondum statui. Sed statuam brevi. Quando rumor Libelli de libero arbitrio sparsus est, ne quid suspicentur atrocius, opinor esse satius edere. Nam ego rem ea moderatione tracto, vt sciam, nec ipsum Lutherum indignaturum. Invisimus Bisantium; sed affecti pituita vix revolavimus in nidum. Vbi revixissemus, sic adortus est calculus, vt nunquam ante hac periculosius. Vtor nonnunquam terebinthino. Balneis, quoniam non assuevi, non audeo me credere. Bene vale vir incomparabilis. Basileæ, xij. Kal. Aug. Anno CIↃ IↃ XXIV.

Nosti manum tui mancipij.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

A*Rbitror omnes epistolas tuas mihi bona fide redditas, quarum nulla mihi non fuit iucundissima. De meis dubito. Nam de prima imagine ænea mihi reddita, scio me bis scripsisse. Et nunc has accepi, quas promiseras litteris per civem quendam scriptis, una cum epistola, qua significas, quid post abitum Principum sit isthic gestum. Ferdinandus fuit Brisaci ac Friburgi. Faber studiose me ad Principis colloquium evocavit: id mea magnopere interesse. Ego sedulo excusavi. Cupiunt conflatam invidiam mecum dividere. Vbi videro, partem*

vtramque se præbere ad concordiam, non deero meo officio. Scripsit ad me Lutherus; sed suo more, pollicens, se ignosciturum imbecillitati meæ, si modo ne ex professo scribam adversus illius dogmata. Illi respondi, sed paucissimis, ac meo more civiliter. Non vacabat pluribus, nam aderat eodem tempore Hieroslaus Baro, Regis Poloniæ orator, homo candidus, & nostri amantissimus: sed Luthero vehementer infensus, quemadmodum & Rex ipse. Melanchthon invisit patriam suam, me, vt aiunt, invisurus, ni metuisset me gravare invidia. Misit ad me Ioachimum quendam, quem unice diligit, & scripsit de me ad Pellicanum amantissime. Scis, opinor, Petrum Mosellanum vita defunctum. Hedio noster penultimo Maij duxit vxorem Argentorati, bene dotatam. Ego & Cardinali, & Pontifici, atque etiam Fabro scripsi, ne rem tractarent sævitia, neve odio malorum læderent bonos. Et promiserunt, se facturos. Miscent se huic negotio quidam, qui nihil aliud videntur affectare, quam tumultum ac seditionem. Magistratus hic incipit minus favere Lutheranis. Hæc ægre scripsi, mi Bilibalde, misere gravidus calculo, quo iam menses aliquot carueram, posteaquam desieram vesci pyris assis, sed vt hic sunt, sylvestribus. Quidam putant, fusionem fœlicius eventuram, si Cyprio æri misceatur stannum, ex quali materia funduntur campanæ. Est & aliud remedium, si caput Termini vertatur ad latus. Nunc vtrinque respondens densitas facit, vt vultus minus fœliciter

redda-

redddatur. Est insuper & ars contrahendi imaginem: sed longum id est, & laboriosum: si excipiatur argilla incluso circulo æreo, deinde siccescat, idque fiat sæpius, tandem ex argilla excipiatur plumbea. Id commodius fieret, si haberetis fontem. Is est in plumbo, sed apud artificem: quamquam is pollicitus est, se mihi illum redditurum. Nam habuit ex me supra triginta florenos operæ suæ pretium. Tantum idem habuit pro pictura. Et rursus nuper misi in Angliam Erasmum bis pictum ab artifice satis eleganti. Is me detulit pictum in Galliam. Rex me denuo vocat. Paratum est amplum Sacerdotium. Hic ob vinum subinde periclitor. Si qua pax affulserit, fortaßis eo me conferam. In Aprili contuleram me Bisantium. Magistratus simul & Canonici obtulerunt ampliter. Egi gratias, & respondi, mihi satis esse ad simplicem victum: me malle meo otio & illo libero favore uti, quam pacta munificentia. Expecto propediem famulum meum ex Anglia & Brabantia. Tum statuetur aliquid. Id quicquid erit, tu non ignorabis. Vtinam meus calculus coniugatus tuæ podagræ simul exularent apud Indos. Experior, quod scribis, omnes fere litteras aut intercipi, aut resignari. Scripsi pridem Duci Georgio, ab ipso provocatus. Quum non responderet, idem argumentum per alium misi. Nec responsum est. Rursum nuper scripsi aliis de rebus. Eas suspicor suppressas, quamquam ibi nihil erat, quod ad Lutherum pertineret. Bene vale. Ba-

sileæ

ſileæ, tertio die Iunij. Has non relegi, ignoſces.

Noſti manum.

Bilibaldo ſuo Eraſmus S. P.

V*Ir clariſsime, iam bis ſcripſi, licet paucis. Primas ſuſpicor non eſſe redditas.* Erat Minorita*, qui cucullum excuſſerat; ſed improbitatem non excuſſerat.* Dedi *ſeptem blaphardos, pollicitus largiora, ſi hic fidem hominis comprobaſſem.* Talibus *erronibus nunc plena ſunt omnia.* Scripſi *rurſus per negotiatorem quendam. Anulum, & fuſilem* Bilibaldum, *mox & pictum fœliciſsima* Dureri *manu accepi. His utrumque cubiculi mei parietem ornavi, vt quocunque me vertam, obverſetur oculis Bilibaldus. Vtinam ſcripſiſſes, quid haberent argumenti nugaces iſti libelli. Suſpicor ex Argentorato venire.* Nam Epphendorpius *apud quosuis etiam iactat, ſe ſcripſiſſe in me.* Otthonis *furias noſti.* Hoc *tantum nunc licuit ſcribere, mi* Bilibalde, *vix à morte reſtituto, imo verius alteri carnificinæ ſervato.* Parturij *totos decem dies: tandem prodijt calculus ingens.* Iam *deſperatus.* Ita *ſubinde ſe variat morbus, ne ſit remedium.* Scribam *brevi copioſius.* Scripſi *pridem* Roberto *à* Moſheym, *&* Ioachimo Camerario, *quem audio nunc eſſe* Bambergæ. *Si potes iſthinc, cura vt epiſtolæ ad iſtos perveniant.* Durero *ſalutem plurimam.* Baſileæ, *v* Febr. *Anno* CIↃ IↃ XXV.

Eraſmus

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

ACcepi meum Bilibaldum, primùm fusilem, cum anulo & litteris: nunc etiam pictum ab Apelle. Respondi quidem per quendam impudentißimum planetam, qualibus nunc impletur mundus. Dedi blaphardos septem, quæ res illi vertat male, pollicitus largiora, si bona fide perferret. Is, vt video, verba dedit. Quæ isthic geruntur, vbique fient brevi, nisi quis Deus prospexerit. Huc omnino provocant Euangelici, vel reclamante Luthero. Plane quidam tendunt in exitium rerum & disciplinarum omnium. Cuperem huius tumultus fœlicem exitum. Lutherum plane contemnunt, postquam cœpit esse moderatior. A Durero cuperem pingi, quid ni à tanto artifice? Sed qui potest? cœperat Bruxellæ carbone, sed iam dudum excidi, opinor. Si quid ex fusili & memoria sua potest, faciat in me, quod in te fecit, cui addidit aliquid obesitatis. Pharmaco tuo nondum ausus sum vti. De meis scribam brevi. Nam auriga qui tuas reddidit, postridie mane abiturus, post cœnam renunciatur abire. Et idcirco nolui multum scripturæ periclitari. Bene vale. Octava Circumcisionis, Anno CIↃ IↃ XXV.

Bili-

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

QVod semper ad moderatiora consilia votum, pars altera vocavit timiditatem; altera collusionem cum Lutheranis: nunc cum vtraque pars mordicus tuetur sua, & adeo nihil remittit de iure suo, vt prioribus & iam occupatis nonnihil etiam addat, res eo progressa est, vt solus Deus tempestatem rerum humanarum in tranquillitatem possit vertere. Nusquam non pervagatur fatale malum. Aiunt Archiepiscopum Hungariæ profligatum. Carolus Campegius sese recepit in Italiam, cessit & Ennius Episcopus Verulanus. Archiepiscopatus Salisburgium obsidetur. Hic rursus ruricolæ & nobiles in armis sunt, altera alterius internecionem minitantes. Basileenses conati sunt compositis rebus, sanguinis effusionem excludere; sed inanis sumpta est opera. Ferdinandus agit apud VVirtenberengses, expectatur Friburgi, an venturus nescio. Est civitas Brabantiæ satis ampla frequensque Sylvam-ducis appellant, hic populus eiecit Minoritas & Dominicanos omnes. Eam nunc obsidet Margareta Cæsaris amita. Antwerpiæ quidam ausi sunt extra civitatem concionari, nec veritus est illo populus confluere, contemptis omnibus Cæsaris, Margaretæ, & Magistratuum edictis. Itaque tota civitas illa fervet periculoso tumultu. Aguntur excubiæ nocturnæ diurnæque. Castigatis Buscoducensibus, vereor ne

impe-

impetatur Antwerpia. Vtraque civitas est opulenta. Proceres invitabit prædæ magnitudo, cui nunquam non inhiant, sic ut sufficiat quævis levis occasio. Apud Hollandos meos aliquot damnati sunt hæreseos. In hos sævietur. Hulstus pridem exarmatus, denuo per Cæsarem armatus est. Is erat solus profanus Inquisitorum coryphæus. Maxima populi pars apud Hollandos, Zelandos & Flandros scit doctrinam Lutheri, & odio plusquam capitali fertur in Monachos: Qui cum plerique sint mali, tamen pro his nunc belligerabimur. Qui si vicerint, actum erit de bonis omnibus. Incipiunt nunc ferocire. Lambertus Campester Lutetiæ corrupit mea Colloquia, erro Dominicanus. Petrus Sutor Carthusianus edidit libellum in me Parrisiis, simpliciter insanum. Cui respondimus, non responsuri, ni præfatio Gallica testaretur, autoritate Theologorum excusum. Lovanij sceleratissimus nidus est quorundam Dominicanorum. Vincentius homo rudentibus aut stivâ natus, nunc Theologiæ Doctor, ante annos aliquot scripserat librum in me, eum ut liceret edere, profectus est ad suum Vicarium. Is omnino vetuit, ne tale facinus auderet. Conquievit, sed ægre. Nunc tandem exijt liber, quo nil fingi potest barbarius, insulsius, indoctius, mendacius, impudentius, insanius. In eo laboratum est à quatuor: Vincentius addidit sua venena: Cornelius Iuvelandus bonam operam partis confecit: Tertius quidam expolivit, additis aliquot flosculis:
Gode-

Godefredus Toxander famam operis in se recepit. Ad hæc connivent Theologi Lovanienses. Latomus tres emisit libellos, in quibus miris strophis me petit. Huic respondit Oecolampadius. Aiunt titulum esse, Elleborum. Nondum enim vidi. Vereor ne hic tumultus citius in Italiam transvolet, quam expectet Pontifex. Nos interim non agnoscimus manifestam iram Dei, provocantis nos ad pœnitentiam, sed AEgyptiorum exemplo tot plagis admoniti, nihilo reddimur meliores. Multis in locis dure tractati sunt Monachi, verum plerique cum sint intolerabiles, alia tamen ratione corrigi non poterant. Tot privilegijs, tot exemptionibus, tot phalangibus armati sunt. Civitates aliquot moderatioribus consilijs utuntur, permittunt exire, qui reddita ratione cupiunt mutare vitæ genus, his datur aliquid unde vivant ab ipsis monasterijs, etiamsi nil intulerunt, ceu longæ servitiæ merces. Iubentur abire, qui illic professi non sint, nec licet illis suas colonias aliunde alio mittere, quemadmodum solent. Nec fas est novitios sufficere, nisi permissu Magistratus. A curandis virginum collegijs arcentur. Nec permittitur illis concionari, nisi in suis monasterijs, idque consuetis duntaxat horis. Qui simul omnes volunt mutare cultum, permittitur. Qui nolunt, coguntur tamen obedientiam iurare Magistratui in his quæ pertinent ad reipub. commodum. Ita futurum arbitrantur, ut aut nullos habeant Monachos, aut habeant magis

magis ſobrios. Vacua monaſteria vertentur vel in parochias, vel in pœdagogeia. Nec poſt hac paſſuri ſunt, vt à quoquam ſuſcipiantur vota perpetua, quæ vocant, qui minor ſit triginta ſex annis. Tota *cura transferetur huc, vt ſint probi paſtores.* Quod ſi *contingit, non erit magnus numerus monachorum. Aliquot monaſteria relinquentur, ſed inſignia, & extra ciuitatum mœnia, immo procul in agris, quo ſeſe gnaviter exerceant opere manuario.* Cultuum *infinitam varietatem omnino tollendam autumant. Nec ferunt anniverſaria conventicula, quæ illi* Capitula *vocant, nec exemptiones, quibus abutuntur ad impune peccandum, ſed erunt ſubditi ſuis* Epiſcopis *ac* Magiſtratibus*, quemadmodum cæteri ſacerdotes & laici. Hæc an probanda ſint, in præſentia non diſputo: certe minore tumultu coërcebitur malorum monachorum tyrannis, & bonis monachis conſuletur, immo iuvenibus omnibus, ne in talium ſervitutem poſthac dedant ſeſe.* Quod *populari tumultu geritur, infœlicem habet exitum.* Quod *pro ſua quiſque libidine genus vitæ mutat, improbis feneſtram apperit ad nequitiam. Si res ageretur* Pontificis *&* Epiſcoporum *authoritate, rectiſſime fieret.* Nunc *certe proximum eſt, vt* Magiſtratus *authoritas excludat confuſionem, & ita conſulat bonis, vt malis non detur peccandi licentia* Vtinam *omnes eſſemus veri* Monachi*, hoc eſt, mundo mortui. Verum hos populos coniuratos, hos fomites mundus non videtur diutius laturus.* Et *quanquam*

immane

immane videtur, quod rustici monasteria quædam diripuerunt, tamen hoc istorum improbitas provocavit, qui nullis legibus corrigi possunt, vt ipse inter sese conniuent. Scripseras mihi de poculo, quod dono mississet Episcopus Olmucensis: cuius tamen in posterioribus litteris non memineras. Id autem datum est, mihi quidem inscriptum, sed quoniam Beatus acceperat litteras ab Olmucensi de phiala inaurata missa, & item à Velio, cum mihi nil esset scriptum, nec data esset Episcopo occasio cur mihi mitteret aliquid, tradidi poculum Beato, suspicans Conpergium errasse in nomine. Si quid habes hac de re compertius, scribito. Ptolemæum tuum nondum vidi: sed tamen curabo vt habeam. Hic neminem invenio qui sciat ex gypso fundere imagines. Itaque maluissem archetypum apud te manere. Linguam remisimus, vt fatearis posthac Erasmum elinguem fore. Calculus iam aliquando mitius me tractat, posteaquam assuevi vinum omne diluere aqua ex glycyrrhiza decocta. Sed tamen corpusculum hoc indies attenuatur & exarescit. Brevi, ni fallor, abijcietur hoc syphar, & exiliet nova cicada. Martinus Dorpius nos antevertit; periit & Linacrus in Anglia: Longolius Bononiæ, & Baptista Casalius Romæ, & Franciscus Deloinus Lutetiæ, magnus bonarum litterarum patronus. Hic sesquimensem perpetua duravit pluvia, vt quasi parum sit, commaduisse imbre cælesti, stant in procinctu nobiles & agricolæ, congressuri, quo magis madescant mutuo sanguine.
Saluta

Saluta Durerum artis Apelleæ principem. Et Paulum Rizium: Cuius Catapotio sum usus hodie fœliciter. Non sumo, nisi quantum est dimidium, nisi aut minus etiam, & tamen solvit alvum citra molestiam. Expectamus Erasmum, illa fœlicißima Dureri manu pictum, simulque litteras tuas. Bene vale Datum Basileæ, quinto Kalendas Septembris, Anno CIↃ IↃ XXV.

Agnoſcis manum tui, &c.

Eraſmus Bilibaldo ſuo S. P.

OPinor iam redditum opus Chrysostomi Græcum, cui præfationem ad te præfiximus. Si has reddat Iacobus Ceratinus, rogo, ut hunc velut alterum Erasmum amplectaris Vir est ita callens Græce, nec minus Latine, ut posset cum dignitate vel in quavis Italiæ parte profiteri; tum moribus plane niveis, sed adeo modestus, ut pene putidulus. Nec aliud habet vitium, si tamen hoc vitium est. Hunc iussu vel flagitatione potius Georgij Principis per litteras evocavi, non admodum sperans futurum, ut hanc conditionem non aspernaretur. Nam & apud suos amplis præmijs ad publicam profeßionem invitabatur. Succedet Petro Mosellano, sed decem Mosellanis eruditior; etiamsi Mosellani doctrinam, & ingenium haud vulgariter adamabam. Alius fortaßis indigne ferret, quod iuvenes præcurrunt senem, ego magnam capio

volupta-

voluptatem, quoties video minores eo profecisse, nonnihil etiam adiutos nostris lucubrationibus, ut his, quos habuere præceptores, poßint ipsi vicißim præcipere. In Ceratinum itaque si quid officij collocaris, gratius mihi futurum est, quam si in me ipsum contulisses. Non deest illi viaticum, nec deerit, nisi contigerit obiter spoliari. Id si accidat, (quod avertat Deus) me sponsorem accipe, si quid illi mutuaris. Plura scriberem, sed vehementer incertum erat, an Ceratinus esset isthac facturus iter, quod tamen ille videbatur cupere, vel tui videndi gratia. Saluta Ritium ac Durerum. Nuper rursum enixi sumus viperium partum, atque etiamnum anceps est valetudo. Bene vale, vir ornatißime. Basileæ, v Id. April. Anno CIↃ IↃ XXV.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

ORnatißime Bilibalde, volupe est te recte valere. Scripsi per Frobenium, per quem expecto tuas litteras. Nullus mundus vacat ab hoc tumultu. Quo sit evasurum hoc Euangelium, nescio. Mihi certe peperit certum exitium, quod ad huius mundi fœlicitatem attinet. De Ceratino doleo, & metuebam ne suum commendatorem pudefaceret, oblitus monitorum. Sic fere sunt novi Euangelici Professores. Christus omnia vertet in suam gratiam. Tuas mihi reddidit hic iuvenis, mire modestus

ac placidus. Saluta Durerum, & medicum. Basileæ, Pridie Matthæi CIↃ IↃ XXV.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

DE Philippo facile satisfactionem accipio. Nesenus erat vehemens & constans amicus, sed mihi infœlicissimus. Is, uti suspicor, instigavit Lutherum, ut sic scriberet in Regem Angliæ, & in Cochleum. Oecolampadio curavi protinus reddendas litteras tuas. Quid ille moliatur, nescio. Quod meministi de litteris ac munere Ducis Georgij, littera iampridem redditæ sunt ex Baden, ubi fuit disputatio. De munere nihil audio. Conpergius misit duas pelles Gabellinas, sed epistola Bonifacio missa mentionem facit vasciculi albarum pellium. Forte Polonius mutato consilio servavit per alium mittendas Alberto Durero. quam gratiam referre queam, cogito. Dignus est æterna memoria. Si minus respondet effigies, mirum non est. Non enim sum is, qui fui ante annos quinque. Iam fere biennium est, quod sub Februarium laborans calculo sic concussus sum vomitionibus, ut ex hoc tempore semper decreverit corpusculum, quod ante solet post morbum sarciri. Aliquot menses sat commode valueram. Sed præter expectationem velut ex insidijs obortum est aliud malum. Mirus urinæ fluxus, primum sine dolore, mox cruciatus velut ex locis exulceratis, cum fluxu materiæ,

veluti

veluti gypsatæ, mira copia. Medici non plus adferunt spei, quam musca. Aut vesica calculus, aut exulceratio mors erit. Dabit Dominus, ut spero, tolerantiam. Memoriam mei vobis amicis commendo. Alias copiosius: hoc nunc tantum licuit. Bene vale. Basileæ, iij. Kal. Aug. Anno CIↃ IↃ XXVI.

In quibusdam de Eucharistia ego velut parum eruditus subdubitarem, nisi me confirmaret autoritas Ecclesiæ. Ecclesiam autem voco, consensum populi Christiani per universum orbem. Litteras quas scripsi Duci Georgio, cuperem quam celerrime ad eum perferri.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

VIr Clarissime, Libellum tuum de Eucharistia lecturus sæpe, nunquam hactenus licuit perlegere, tot obruor undique tragœdijs. Strages agricularum sic in spem victoriæ erexit animos omnium. Sunt Romæ quidam Pegani, qui pessime volunt Germanis omnibus: sed duo præcipue mihi peculiariter infensi, qui nunc extrema moliuntur denuo, quum id facere nunquam cessarint. Pontifex bis misit mandatum ad Academiam Lovaniensem, ut blaterones illos coërcerent, & per Rectorem totius Academiæ nomine fieri cœptum: reversus Latomus cum suo collega presserunt rem. Interim is, cui commissa fuerat executio, Theologus est persuasus a Latomi collega, quo nullum animal sceleratius vivit,

scripsit clanculum Datario, quod mutaret consilium, excusaret se Pontifici. Datarius clam missis literis probavit factum, probavit prudentiam, & promisit silentium. Venit edictum Cæsaris admodum severum, & hoc eluserunt. Impetrarunt ab aula edicti interpretationem, hoc est irritationem. Habet Iodocum præsidem Senatus Mechliniensis, hominem plusquam capitaliter infensum bonis literis. Bedda misit ad me plusquam ducentos articulos damnabiles, ex libris meis collectos, nullius momenti. Lodovicum Berquinum præfectum & consiliarium regium iterum coniecerunt in carcerem, non ob aliud, nisi quod libellos quosdam meos vertisset Gallice. Mater bis scripserat, ut expectarent Regis reditum, delegati nihilo secius progressi pronunciaverunt eum Hæreticum. Articuli sunt ad me missi, qui nihil aliud declarant, quam impudentissimas illorum sycophantias, & crassissimam inscitiam. Quibus respondi. Rex ubi rediit, & quid esset actum cognovisset, misit caduceatorem, denuncians illis, se velle cognitorem illius causæ fieri; scripsit per alium, se vitam ac mortem Berquini ab ipsis repositurum, si quid esset factum. Quid deinde factum sit, nescio. Iacobus Faber, qui metu profugerat, non ob aliud, nisi quod verterat Euangelia Gallice, revocatus est in aulam. Romæ Verpus quidam, quem nosti, qui misere invidet omnibus doctis Germaniæ, exhibuit libri partem olim in me scripti, nisi quod adiecit quædam ex hoc temporum statu. Furiose no-

men suum dißimulat. Inter cætera dicit se mirari, quod in Germania tot hominum millibus cæsis, ego superſim, qui ſic docuerim Germaniam. Deinde dicit Lutheranos, quamquam impijßimos, ideo ſcribere in me, quod impietatem meam ferre non poßint, qui Virgini Mariæ detraxerim ſuam virginitatem. Christo ſuam divinitatem, aliaque his furioſiora. In Hiſpania monachus quidam ſcripſit ad me librum plenum laudibus, ſed virulentis aculeis reſperſum. Lutherus ſic ſcripſit, vt nullum amicitiæ locum reliquerit, & tamen videtur ſibi mire coercuiſſe ſtomachum. Dum adverſus Lutherum pugno, ſcio me iuvare partes quorundam, qui me mallent extinctum, quam ipſum Lutherum. Liber tuus de Euchariſtia vehementer arridet Antilutheranis, Oecolampadianis mire diſplicet. Hoc dißidium, ſi tantum læderet nocentes, tolerabilius eſſet, nunc illis dißidentibus erigunt caput quidam, qui nulli bono bene volunt. Optaſſem eam materiam fuiſſe tranſlatam in aliud tempus, aut ſaltem fuiſſent in vero concordes. Mihi non diſpliceret Oecolampadij ſententia, niſi obſtaret conſenſus Eccleſiæ. Nec enim video quid agat corpus inſenſibile, nec utilitatem allaturum ſi ſentiretur, modo adſit in ſymbolis gratia ſpiritualis. Et tamen ab Eccleſiæ conſenſu non poſſum diſcedere, nec unquam diſceßi. Tu ſic diſſentis ab Oecolampadio, vt cum Luthero ſentire malis, quam cum Eccleſia. Citas autem illum reverentius alicubi, quam erat neceſſe, quum

aliorum authoritatem potuisses adducere. Vbi extricaro me aliquantulum, perlegam totum librum tuum, deinde dilucidius intelliges quid sentiam, si tamen pateris, me de tuis ferre sententiam. Has litteras pro tua prudentia non communicabis quibuslibet, faciesque me de iis, quæ isthic geruntur, certiorem. Vale. Basileæ, postr. Non. Iunias, Anno CIƆ IƆ XXVI.

Georgius Saxoniæ Dux crebris litteris perpulerat me, vt mitterem, qui Mosellano succederet, misi Iacobum Ceratinum egregie peritum utriusque litteraturæ. Res non optime successit. Fortassis incidit in suspicionem, quod non satis abhorreret à doctrina Lutheri. Si vacat isthic profitendi locus, fac vt sciam. Nam Sigismundo decretum est, hinc non discedere. Pro Ptolemeo tuo & Dureri libello iam gratias egi; nunc pictum Erasmum expecto.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

VIr Ornatissime, Huc me contuleram, vt adessem meis lucubratiunculis excudendis. Et statim ad nidorem hypocaustorum graviter ægrotare cœpi. Idem mali genus, quo laboravi quum hic essem proxime. Convalueram, sed ex intervallo repetiit nos morbus priore gravior. Iam dudum expecto, quem exitum sit habitura Lutherana tragœdia. Omnino spiritu quodam res geritur, an ex Deo sit, nescio. Ego, qui nunquam faverim Luthero, nisi

quomodo

quomodo favet, qui hortatur ad meliora, utrique parti sum hæreticus. Apud nostros pauci quidam alijs de causis inimici, etiam Cæsari persuadere conantur, me caput esse huius tumultus, non alio argumēto, quam quod non scribo adversus Lutherum. A Lutheranis proscindor in professionibus quasi Pelagianus, quod plus tribuam Libero arbitrio. Nonne belle mecum agitur? Absolvi Paraphrasin in Matthaeum iussu Card. Sedunensis. Bene vale, vir clarißime. Saluta Sorores tuas, & si qui sunt, qui diligunt Euangelicam doctrinam. Basileæ, Prid. Idus Febr.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

A tuo, mi Bilibalde, calamo, nunquam metui, iam pridem expertus & prudentem tuam civilitatem & animum in amicitia tuenda constantißimum. Verum illud me male habebat, Oecolampadium meum nomen præter causam suis libris admiscere, cum ex me sciat, mihi ingratum esse ab eo nominari: ingratius vituperari: ingratißimum laudari. Nec tamen ille finem ullum facit. Huius rei nihil unquam imputavi meo Bilibaldo. Nam multa dolent, quæ nulli possum imputare. De silentio tuo præter solitum, si nonnihil dubitavi, mirum videri non debet, quum & ipse scias, quantæ sint humanorum animorum mutationes, Euripum dicas: quot artes, quæ improbitas linguarum, præsertim hoc se-

culo. Huius tamen suspiciuncula quamlibet leuis non omnino me pœnitet, quæ litteras tuas desideratißimas extorsit. Quod me reuocas ab apologijs, agnosco prudens & amicum consilium, nec id tui unius est, sed omnium fere cordatorum, qui mihi bene volunt. Verum hoc est fati mei. Pluribus tamen obticui, quam respondi: certe Sutori respondisse semper pœnituit, quod tamen magni amici impulsu feci. Dorpium toties ad ingenium redeuntem vici. Si * Lectragicas molitiones, quæ parum succedebant, & Stunicæ fumos ex Hispanijs Romam translatos pernosses, minus improbares factum. At Luthero quietem agere, per Principes non licuit. Lutetiani Theologi quidam per Leum, quem nosti, olim orsi sunt suam fabulam, quam nunc eodem impulsore renouarunt subornato Bedda; cui respondi. Qua de re mihi omnes amici gratulantur, hæc esse prodita me viuo. Nam expectabant indies mortem meam. ubi vident viuaciorem quam vellent, impatientia victi prosilierunt in proscenium, impune, vt putabant, peracturi suam fabulam, Erasmo sepulto. Item quidam in Hispanijs conflato rursus libello sycophantico tantum tumultus ibi excitauit, vt res & Cæsarem & aulam, & Archiepiscopos & Academias exerceat. Tantum valet illud stolidum animalculum, ad dißidia natū. Quanquā nec hæc illi res succedet, licet habeat septem monachorum ordines ab ipso stantes. Nec ita nullum temporis operi in his rixis colloco. Longe plus datur epistolis, interdum nec iucundis, nec neces-

necessarijs. Facile credo quod scribis de Ecclesiastis. Nam video populum exoriri, à quo vehementer meus abhorret animus. De catastrophe magnopere metuo. Perit concordia, charitas, fides, disciplinæ, mores, civilitas. Quid superest? Iuvenis ille gloriosus, de quo scribis, magnum malum accersit sibi, nec facit finem. Quum totius Huttenicæ tragœdiæ fuisset autor, abusus familiaritate nostra, miratur se Principi scripsi, vt illud ingenium ab illis nugis ad honestam aliquam functionem avocaret. Calculum tibi meliorem gratulor. Meus mutatus est in aliud morbi genus perpetuum, sed tolerabilius. Ego, medicis valere iussis, Deo me commisi. De Alberti Dureri nomine celebrando, mea sponte cogitabam. Tamen admoneri gratum est. Iam isti podagræ mea quoque causa male precor, per quam tibi non licuit epistolam tuam absolvere, quum tuarum prolixißima quæque mihi soleat esse iucundißima. Cæsarem ornare te pro tuis meritis, sane gaudeo. Vtinam & morbum queat auferre. Hæc ad tuas ad me litteras. Nunc ad epistolā, quæ veluti θριαμβεύεις de Oecolāpadio; cuius negotij me iudicem esse noluisti, nihilo secius tamen licuit ex ea summam capere voluptatem, non tantum ob id, quod lepidißimis scateat iocis, sed quod te quoque hilariter vivere declaret. Ex ea didici, quod nesciebam, me rursus ab illo attractum. Opinionem illius longe meliorem nunquam dixi. Illud inter amicos dixi, me posse in illius sententiam pedibus discedere, si probasset

eam autoritas Ecclesiæ, sed adieci, me nullo pacto ab ea posse dissentire. Ecclesiam autem voco totius populi Christiani consensum. An idem dixerint hypocritæ, quorum meministi, nescio. A me certe sine fuco dictum est, & ex animo, nec nunquam in Eucharistiæ veritate vacillavi. Quantum apud alios valeat autoritas Ecclesiæ, nescio. Certe apud me tantum valet, ut cum Arrianis & Pelagianis sentire possim, si probasset Ecclesia quod illi docuerunt. Nec mihi non sufficiunt verba Christi: sed mirum videri non debet, si sequor interpretem Ecclesiam, cuius autoritate persuasus credo Scripturis canonicis. Est fortasse plus vel ingenij, vel roboris in alijs. Ego nulla in re tutius acquiesco, quam in certis Ecclesiæ iudicijs. Rationum & argumentationum nullus est finis. Agnoscit tua prudentia quibus epistolæ tuæ verbis per hæc responderim. Plura tecum libebat quidem, sed minime licebat. Excuditur totus Augustinus. Hoc oneris cum semper recusarim, tamen obtruditur humeris meis. Bene vale. Datum Basileæ, postridie Lucæ, CIↃ IↃ XXVII.

Orsus eram de Eucharistia scribere adversus Oecolampadij sententiam ante annum, & initium adhuc apud me est. Verum considerabam, me nihil aliud profecturum, nisi ut hic excitarem tumultum. Tum enim regnabat Oecolampadius, & adhuc plebem habet addictam. Præterea audiebam Roffensem & Parisinos ad hanc provinciam accinctos. Nec

mihi

mihi deest, quod agam, ut hoc non agam. Rursum vale. Durerum salutabis meis verbis amanter. Glareanus totus tuus est. Berus item & suffraganeus applaudunt.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

REdditæ sunt epistolæ tuæ, super alias aliæ, quæ mihi magno fuere solatio. Quid attinet Dureri mortem deplorare, quum simus mortales omnes? Epitaphium illi paratum est, in libello meo. Allatus est huc rumor, qui mire doctos exhilaravit, sed præcipue Bonifacium Amerbachium, isthic sumptu & autoritate Senatus excudi Pandectas: Optarunt & Græca Iustiniani excudi. Opinor Dilsum tibi narrasse de reatu meo. Ego hac in re obsecundavi consilio Beati Rhenani, & Lodovici Beri. Alioqui sciebam illum nihil acturum. Fumos hominis iam olim novi. Sed Beati ingenio semper abusus est ad huiusmodi dramata. Turbam amoliti sumus qualibuscunque conditionibus, pacem iniquam æquo bello præferentes. Nihil omissum est, compromissum est. Adhibiti duo testes. Arbitri datis dextris stipulati sunt obsequium. Pronunciatum est de scripto arbitrum. Assensimus utrique. Subscripsimus manu utrique. Deinde bibimus ex eodem poculo, fracto inter nos pane, datæ dextræ. Ominatus sum amicitiam fore perpetuam. Annuit ille, & comprobavit. Exhibitum est omnibus convivium φίλιον. In abitu petiit

epistolam ad Ducem. Id prater pacta prastiti, nequam darem occasionem. Petijt prafationem in librum ipsi dicandum. Id, quanquam absurdum & ineptum, tamen autore Bonifacio feci. Quid consequutum est? Mox dicitur misisse famulum proprium, qui sub nundinas vulgaret atrocem rumorem, Erasmum esse damnatum Basilea, conditionibus gravißimis, ut scriberet librum & epistolam contra seipsum, deinde daret pecuniam. Et hic ante abitum iactaret se adigisse Erasmum ad conditiones, ad quas ipse nollet descēdere pro tribus milibus aureorum. Hic rumor mirum quantum exhilaravit pseudo euangelicos. Qui triumphi? Qua exultatio de nihilo? Hac ego suspicabar futura, sed neque Beato, neque Bero potui persuadere, qualis esset artifex. Et eram plus quam occupatißimus, prasertim in novis libellis. Qua est hac Germania levitas? Omnes Euangelici ἐς κόρακας exultabant Erasmi autoritatem sepultam, amici metuebant. Et ha fabula de Hutteno, de Othone, de hac lite aguntur per quendam Euangelistam Argentinensem, qui se fingit amicißimum, & putat me non intelligere, ego cogor dißimulare. Semper provocavi Principes à sævitia, quo studio concitavi mihi quorundam iras. Posthac nec compescam illos nec incitabo, sed relinquam illos suo ingenio. Nec enim ullum finem fore video, nisi sævitia, quam ad multos pervenire miserandum est. Sed hac Christo relinquam. Mitto ad te postulationes illius, meam responsionem, & arbi-

arbitrorum ſententiam, ut rem omnem cognoſcas, & amicis communices.

Libelli inſcriptionem promitto, iam amico, & amicitiæ nomine. Nec eſt præſcriptum tempus, nec ſemper natant libelli, & multi ſunt, quibus hoc officium debeo pro meritis.

Epiſtolam ad Ducem promitto civilem, & quatenus licet cum tali principe agere. Fortaßis odit Epph. ob alias cauſas mihi incognitas. Neque enim ſine cauſa eſt, quod ſeptem annis hic agens ocioſus, nunquam interim inviſit patriam. Arbitrium nominatim dicit, ad evitandam moleſtiam & citra notam alterutrius. Ac præſcribit, ut utrinque offenſæ & querelæ aboleantur. Primos duos articulos ita mihi præſtandos dixi, ut ſcripto præcepi. Scriptum vides, quod legit & probavit Epph.

De Eleemoſyna non gravor. Nam arbitrium Iudicum facile cum meo conſentit, nec eſt præſcriptum tempus, & plus largio mea ſponte.

Fortaßis negabit ſe ſparſiſſe hos rumores: quod ſi facit, quid hac perfidia deteſtabilius?

Dixit apud me, te ſibi ſcripſiſſe, Tuere famam tuam: ſtringe calamum in Eraſmum. Sciebam rem ſe aliter habere. Dixit Melanchthonem ſibi reſpondiſſe, quod ſcripſerat de alio quodam ſcripſiſſe. At Melanchthon affirmavit, nec ſe ſcripſiſſe quicquam unquam Epphendorpio, nec illum ſibi. Optarim, mi Bilibalde, horum exemplar communicari amicis, atque etiam mitti in conſilium ad amicos, præſertim

ad Her-

ad Hermannum Nova Aquila Comitem, & *Iohannem Vlattenum omnium mortalium candidißimum. Tibi precor prosperam valetudinem. Nos tenuiter valemus, sed interim sufficientes immensis laboribus. Nam Augustinus quatuor prælis excuditur: Adagia duobus, præter alia. De Pandectis quæso ut nos reddas certiores. Basileæ, viij. Kal. Maias, Anno* CIƆ IƆ XXVIII.

Non relegi, ignosce.

Agnoscis tuum.

Erasmus Bilibaldo suo S. P.

V*Ir Clarißime, opinor Franciscum Dilfum apud te fuisse, talemque compertum, qualem depinxeram. Ab eius abitu redditæ sunt mihi tuæ litteræ, satis* & *alacres,* & *copiosæ, quæ mihi tristitiam omnem abstersere, quam ex prioribus illis litteris, quas oborta tibi paralysis interruperat, conceperam. De fide amicorum etiam post illam meam querimoniam, talia comperi, ut totam anchoram sacram* & *non sacram fixerim in Christo, qui solus nec vult, nec potest fallere. Homines mirum quam interdum simulent* & *dißimulent,* & *si qui ex animo bene volunt, immane quam hoc est temporarium, quam levi occasione totus ille favor vertitur in odium. Ibi quam tenax offensæ memoria, quam profunda beneficiorum omnium oblivio. Sunt qui prodesse, si velint, nihil poßint, quum lædere*

nemo non poßit. Sunt qui dum imprudenter prodesse student, lædunt maxime. Cum talibus amicis nobis res est, quod quidem mihi tecum commune esse doleo, moderatius laturus, si mihi proprium esset incommodum. Mones autem & prudenter, & amanter, vt horum mores boni consulam, ni malim in solitudinem aliquam demigrare. Humana vitia facilime condono amicis; capitales perfidias ab ijs, in quos fui cumulatißime beneficus, devoro quidem, sed non sine tædio. Absit autem, vt tale quicquam de te suspicer. Quanquam novi, quosdam huic rei natos dirimendis bonorum amicitijs. Facile boni consulo, quæ scribis de Oecolampadiano negotio, modo tu probes, quod in eo quietem ago. Fueram rsus, sed ilico sensi me nihil aliud profecturum, quam vt hic concitarem tumultum, rebus nimium suppuratis. Et iam nunc meditor fugam, nec video quo. In Hispanijs tantos tumultus excitarunt μοναχῶν πῶ῏δες, vt nec Cesaris, nec Archiepiscoporum autoritas poßit eos compescere. Lutetiæ Theologi quidam duce Bedda moliuntur extrema. Lovanij, qui princeps est huius carnificinæ, mihi capitalis dicitur inimicus, vt est bonis omnibus In Anglia invitat amantißime tum Rex, tum Archiepiscopus Cantuariensis. Sed plurima sunt, quæ me deterrent ab ea insula. Verum, quorsum attinet hæc deliberatio? quum hæc valetudo non patiatur ullam profectionem, quum ægre domi tuear vitam, si tamen hoc est vitam, & non potius animam agere. An

Philippus

Philippus adfuerit Luthero adversus Diatribam, necne, mea quidem haud magni refert. Articulos rursus hic excuderunt. Videtur Lutherus nonnihil adulari suo Principi. Vbicunque regnat Lutheranismus, ibi litterarum est interitus. Et tamen hoc genus hominum maxime litteris alitur. Duo tantum quærunt, censum & uxorem. Cætera præstat illis Euangelium, hoc est, potestatem vivendi, ut volunt. Regis Ferdinandi res sat pulchrè habent in Vngaria, si liceat per Turcam. Vrsinus Velius iam conscripsit librum de rebus ab eo gestis. Anabaptistas potissimum suppliciis torret, qui tollere dicuntur omnem principatum. Calculus meus versus est in calcem, cuius magnam vim quotidie eiicio, sed tolerabili cruciatu. Divino malum conceptum ex vino & saccaro. quorum utrumque venefici calce temperant. Vtinam tibi pro ista aqua, qua vitam, quemadmodum scribis, sustentas, contingat ambrosiæ succus, qui te reddat immortalem, ut patriæ quam diutissime prodesse queas. Dureri vicem vehementer doleo. Arbitror te legisse locum, in quo mentionem illius facio. Totum opus nunc absolutum est. Fortasse dices esse coactius. Fateor, sed non dabatur alia occasio, & arbitror eum libellum, qualis qualis est, maxime volitaturum per manus hominum. Clebergus iam pridem hinc abest, nec scio, quid egerit. Me bis invisit; abiens non salutavit. Glareanus hic nunc solus habet discipulos frequentes. Deest homini sors; nunc cogitur in diem vivere,

vivere. Hactenus ad tuas litteras, quas decimo quarto Februarij scripseras. Dilphum apud te fuisse puto. Scire cupio, quomodo tibi iuvenis placuerit. Cæsaris epistolæ, quam ad me dedit proximam, exemplum ad te mitto. Ex Apologia, quæ nunc prodit, cognosces aliquam Hispanicæ tragœdiæ partem. Si Lutherani abstinuissent ab Eucharistia convellenda, Missa abroganda, imaginibus tollendis, ac suos inprimis provocassent ad vitæ sinceritatem, sperari poterat lætior exitus. Nunc Lutherus tacet, Melanchthon mitigat; sed serò, vt ait proverbium, sapiunt Phryges. Bene vale. Basileæ, anno CIↃ IↃ XXVIII.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

MAgnam voluptatem attulit mihi epistola tua, Bilibalde, tam alacris ac gestiens, declarat enim tibi a podagra & calculo ferias esse; quod vtinam sit perpetuum. Quod mihi gratularis elapso, tu quidem & amanter facis, nec sine causa. Vt enim nonnihil fuerit periculi Basileæ, certe Friburgi magistratus me summa cum humanitate excepit. Cœlum autem comperio tam amicum meo corpusculo, vt hic propemodum videar repubescere. At antea mihi persuasum erat, hic Iovem esse tristem & incommodum, semper nubilum ac nebulosum: & habuimus sane cœlum iam diu prodigiose

pluvium.

pluvium, qua de re tetrasticho lusimus:

Obsecro, quid sibi vult, ingens quod ab æthere nimbus
Noctes atque dies sic sine fine ruit?
Terrigenæ quoniam nolunt sua crimina flere,
Cœlum pro nobis solvitur in lacrymas.

Verum hoc incommodum huius regionis non est proprium. Basileæ torrens quidam, qui sub terra labebatur, subito erumpens, tantam invexit calamitatem, ut negent iacturam centum millibus ducatorum sarciri posse. Tamen hoc quoque cœlo sat commoda valetudine sumus. Ceterum, quemadmodum gaudemus discessisse, ita vehementer inviti discedebamus. Ante annos quindecim cœpi cum ea civitate habere commercium, quam toties è Brabantia recurrens invisi, denique annos ferme octo, perpetuo illius hospitio sum usus, commodo sane bonoque. Ibi Iohannes Frobenius obtigerat amicus, quo synceriorem ne optare quidem à Superis poteram. Nec alius erat in me totius familiæ animus; unde & mea erga liberos benevolentia nihil illius morte est imminuta. Proinde civitatem illam propemodum adoptaram in patriæ locum. Nec ego, ni fallor, illi fui gravis aut incommodus hospes, id quod navim ingressurus tetrasticho sum testatus, quod aureus ille Bonifacius Ammerbachius, qui profectionis fuit comes, suis tabellis excepit. Est autem plane nauticum, si libet audire:

Iam, Basilea, vale, qua non urbs altera multis
Annis exhibuit gratius hospitium,

Hinc

Hinc precor omnia læta tibi: simul illud, Erasmo
Hospes uti ne unquam tristior adveniat.

Certe arbitror in ea civitate neminem esse, cui sit quod iure de me queri possit. Priusquam Lutheranismus eo demigrarat, eram & Ecclesiasticis, & Magistratui, & populo gratiosus. Mox ubi perspexerunt, à me nunquam impetratum iri, ut me tumultuoso negotio comitem præberem, nedum ducem, sordidi quidam & intemperantiores cœperunt obgannire. Tandem epistolis, picturis, ac libellis incessere. Id facile devoratum est. Nec aliud illi profecerunt, nisi quod, quo vehementius adnitebantur, ut me vel invitum in factionem propellerent, tanto magis abhorreret animus. Tales enim vidi mores, ut etiamsi minus displicuissent dogmata, non placuisset tamen cum huiusmodi fœdus inire. Quum perspicerem rem paulatim ad summa tendere, iamque vix invidiam Principum, & obtrectatorum apud meos sustinerem, qui iactitabant, me non tot annos in ea civitate commoraturum fuisse, nisi tacitus probarem, quæ illic gererentur: subinde abiturientem me, nunc remorabantur orsa, quæ nisi adessem, absolvi non poterant, nunc alia quedam alligabant, sed inprimis periculum, ne mihi perniciosum esset, si nidum satis commodum, cui tot annis assuevissem, magno salutis discrimine relinquerem. Sola enim vita recuperari non potest semel amissa. Cæterum ubi publicitus omnia templa cessissent ei factioni, cui me nunquam volui addicere, & sublatis aris sævitum

vitum esset in statuas ac picturas, tum nihilo secius his peractis, identidem novi quippiam exoriretur, resque videretur spectare ad seditionem, statui vertere solum, utcunque cederet profectio. Huc quum me magis etiam animaret Ferdinandi regis voluntas, qui tum Spirensi consilio præsidebat, nonnihil etiam stimulabant quædam non satis auspicata præsagia. Nunc stolidus ille Thraso minitabatur indicia, nunc alter ille Viperinus simile quippiam moliebatur: quumque nihil haberent, quod obijcerent, tamen amicos videbam sollicitos, ne vel optimam causam sub talibus iudicibus perderem, quibus utcunque dedisse ansam, satis erat futurum. Ergo quum staret sententia discedere Basilea, consultatum est, utrum furtim subducerem me, an palam excederem. Alterum erat tutius, alterum honestius. Nos honestum tuto prætulimus. Iam præmiseram duo plaustra scrinijs & sarcinis onusta. Nam id clam fieri non potuit. Postridie nunciatum est mihi, Ecclesiastes omnes mihi vehementer infensos, duabus de causis. Altera, quod aditurus hortum Frobenianum, ipsis conspectis deflexissem ad dextram, ore veste obturato, quasi gestu significarem abominationem: quum os texerim ob ventos incommodos, qui admissi solent interdum dentium cruciatus gignere, & ad dextram ex more deflexerim, quod altera via esset, ut angusta, ita excrementorum fœtoribus molesta: altera, quod in colloquio Cyclopem notaram quendam prælongo.

*ngo naso, qui ovem gestaret in capite, vul-
em in pectore. Is iocus quum tortus esset in
num ex amanuensibus meis, qui sat bene na-
atus, pileo ovillo uteretur (nam tale pileum
estare Oecolampadium, nunquam audieram)
xistimabant eo notatum Oecolampadium. Ab
is igitur ne quid forte mihi moveretur tra-
gœdiæ, præsertim rebus ad eum modum exulce-
ratis, per litteras excusavi me paucis Oecolam-
padio, invitans etiam ad colloquium, si pluribus
vellet mecum agere. Is nihil cunctatus venit, ei-
que facile satisfeci: negabat enim se fuisse offensum.
Quod ad amicitiam attinebat, negavi me unquam
inimico in illum fuisse animo, nisi quod in dogmati-
bus quibusdam dissentirem. Tandem cœpit suadere,
ne discederem. Ad eam rem, quum multis argu-
mentis uteretur, interrupi sermonem, Frustra (in-
quam) hic disertus esse laboras. Nam iam discessi,
præmissa tota supellectili, etiam cum pecuniis.
Egit, ne discederem nunquam rediturus. Respondi,
me in proximum nidum evolaturum: Id ni succe-
deret, observaturum quo me vocaret Deus. Postri-
die Tribunus arripit Beatum Rhenanum, rogavit
num verus esset rumor me demigrare? ait esse veris-
simum. Sciscitatus est, num qua re offensus discede-
rem: non arbitror, inquit, sed invidiam Principum
ac Theologorum diutius ferre non potest: aliaque
multa dixit Tribunus, quæ huc redibant omnia, ne
discederem. Conducta est navis, quæ me cum aliquot
veheret Neapolim oppidũ plus satis adamatũ Rheno*

flumini Nam cæteri terra faciebant iter equis, apud Neapolim occursuri. Mihi, qui nec civis eram, nec cuiquam vel publice, vel privatim obnoxius, cum nemine quicquam erat negotij, & habebam litteras regias, quibus me ad se evocabat, si commode possem, dum diploma publicum, quo per universam Cæsaris ac Ferdinandi ditionem iter facerem immunis. Et tamen nescio quid remorarum invexerunt quidam, nunc hoc nunc illud causantes, mecum tamen nihil actum est. Visum est amicis & nautæ, vt solverem, non iuxta pontem, qui locus est frequentißimus vrbis, sed iuxta divum Antonium, qui & ipse portus est civitatis publicus. Nauta semel atque iterum revocatus est in Senatum, plus duabus horis consultatum est. Quid rei fuerit nescio. Illud certum est, nauta vetitus est aliunde solvere quam à ponte. Nauta respondit, semper licuisse illic à quocunque portu publico solvere. Responsum est, illi nunc non licere. Id quum nullius referret, videtur non æquo animo in me fuisse, qui id vetuit. Quid facerem? parui magistratui, & à ponte solvi, meque populo spectandum aliquamdiu præbui. Præterea nihil accidit molesti. Reliqua omnia fuere prospertima, nec multis annis ullius rei me minus pœnituit, quam relictæ Basileæ. Disceßi autem non modo summo cum dolore amicorum, verum etiam eorum, qui favent novis rebus, si qui sunt inter eos paulo cordatiores. Sic abire malui, quam plerisque gaudentibus. Hic nihil accidit adhuc non ex animi mei

sententia,

sententia. Itaque patera tua sane quam eleganti, quam dono misisti, libavimus σωτῆρι χειςῷ, non tertium, ut habet proverbium, sed primum, secundum & ultimum: siquidem is est heri & hodie idem in secula. Munus scito mihi fuisse gratissimum, utpote ab animo profectum, qui posset etiam vitreo munusculo gemmarum pretium addere. Terminus insculptus admonebit me, no procul abesse diem supremum. Et annulus pridem missus quotidie refricat mihi Bilibaldi mei memoriam. Tametsi altius infixus est animo nostro Bilibaldus, quam ut eius generis mnemosynis sit opus. Ante paucos dies præter omnem expectationem vir egregius Antonius Fuggerus dono miserat poculum mira forma, & pulcherrime inauratum, nihil praterea non offerens, & humanitatis & benignitatis, si voluissem Augustam demigrare. Ac ne causari possem de viatico, designavit unde Basilea centum florenos aureos acciperem. Video, mi Bilibalde, non omnes esse Sutores, Beddas, Leos & Stunicas. Ac plane malueram in celebri civitate vitam agere, ubi nihil non reperiatur; sed quidam apud me infamarunt cœlum Augustanum, & tam male tum de me ipse sentiebam, ut vix sperarem, corpusculum hoc dimidiati diei equitationem laturum. At illa profuit etiam. In Brabantiam crebris amicorum litteris revocor, cœlum ac terram obtestantium, quod alienas regiones illustrans, (sic enim loquuntur) solam patriam nullo digner honore. Et sane magis decebat in patria

senescere.

senescere. Sed quoties succurrit illius aulæ frigus, præsertim quum de numerando agitur; quoties meo cum animo reputo, quas digladiationes multis illic annis cum monstris quibusdam pertulerim, minus me tædet exilij. Vbi bene es, ibi patria est, habet proverbium. Libebit saltem ad annum hoc tam amico cœlo frui, nisi nos Mavors hinc propulerit. Scis quanto impetu nuper procursum sit ad arma; acies ferro ac machinis instructæ minimo spatio dirimebantur: feruntur fuisse viginti millia. Sed musca non perijt. Tantum cerasorum magna fuit strages. O bellum incruentum, &, vt Græci dicunt, ἄδακρυς πόλεμ☉. De actis Spirensis Concilij nec admodum fui curiosus, vt scirem, &, si sciam, præstaret Harpocratem agere. Cum Iohanne Fabro semel hic duntaxat sum collocutus. Ex eius oratione divinavi nonnihil, quod vtinam bene vertat, vanumque sit hîc animi mei præsagium. De conciliandis regum animis, (quæ res tot annis florentissimas Reip. Christianæ partes, Italiam & Galliam, miserè perdit) nihil bonæ spei ostendunt amicorum litteræ, quin potius significant ad veteres monarcharum iras quotidie novas accrescere: tantum abest, vt simultatem posituri videantur. quum nullum verius sit argumentum sublimis animi, quam quasdam iniurias negligere, quasdam ignoscere, etsi non promeretur is, qui læsit, certe Reipubl. condonare. Quid enim fieret de nobis, si Deus omnium rerum verissimus Monarcha semel offensus nesciret iram

ponere?

ponere? Iam tot annis nulla fere Europæ pars vacat à tumultu, nec adhuc quicquam video, præter belli præludia. Fortaßis hi rerum motus haudquaquam inutiles sunt Hispanis militibus. Verum quid facias? Hæc est rerum humanarum natura, sursum deorsum volvuntur ac revolvũtur, in morem Euripi. Zasium plane beasti mißis libris Digestorum, non enim aliter exiliit gestiitque gaudio, quam si regnum obtigisset; Cæterum ut illi nõ invideo munus, ita vereor ne nobis tanta felicitate sit factus aliquanto ferocior. Miserat mihi cœnanti litteras tuas, indicans esse properandum. Exemi syngrapham Germanicam, eiq́; misi, duobus verbis rogans, rem suo curaret arbitratu, meis impendiis. Post biduum misit pateram, dedi puero asses duos; ac meis litteris, quibus illi gratias agebam, inclusi coronatulum in viaticũ rationem. Ac ne dolo dicam, nonnihil metuebam litigatricem epistolam, sed non tam atrocem. Remisit aureum inclusum litteris, in quibus videbatur me vocaturus in ius, nisi hoc honoris haberet cliens suo patrono, nosti hominis immodicam modestiam: negat sibi toto anno quicquã gravius aut magis invisum accidisse, & meam liberalitatem appellat insolentem. Mirabantur, ut ait, convivæ tam stupendam liberalitatem; ipse non stupebat modo, verum etiam expavescebat tantum proluvium. Negat, illic amicitiam esse sinceram posse, vbi nummus mercator non patitur gratuita esse officia. Quamquã me Zasius ante multos annos, & multis & magnis officiis

onerarit, quibus ne micam quidem gratiæ rependi vnquam, nec in me tantum fuerit gratis officiosus, sed in alios quoque, vel notitia mei commendatos, tamen sua officia sic extenuat, sic deiicit, vt aßis non æstimet. Postremò numina iurat, ac per principis salutem deierat, se quadrantem à me non recepturum. Hanc causam mira copia parique vehementia sic agit, vt non ausus sim cum homine tam Iurisconsulto, tamque diserto experiri, ceßi causa, litemque cum adversario composui. Extra iocum, mi Bilibalde, nihil adhuc vidi in Germania, quod æque sim admiratus, atque huius viri ingenium. Non est candidus in amicos, sed ipse candor. Corpore consenescit; sed vix credas quam adhuc totus vigeat animus, nihil deceßit iudicio, nihil memoriæ: orationem vero sic ex tempore bonis verbis bonisque sententiis, nec id sine lepore, scatentem, nec in Italia quoquam adhuc animadverti. Adde huc morum vere Christianam sinceritatem. Nullus ab illius colloquio non ad pietatem inflammatior. Quidam, qui nihil aliud sunt, quam numeri, & fruges consumere nati, cornicum vivacitatem superant. Hic vir prorsus est immortalitate dignus. Verum quo minus sæpe liceat illius optatiß. ma consuetudine frui, illud in causa est, quod cum ille surdaster sit, ego sum parum vocalis. Vt nihil est in rebus humanis, cui non aliquid admisceat incommodi Nemesis illa. Dominus te quam diutiß. me nobis servet incolumem, ornatiß. me Bilibalde. Datum Friburgi, Id. Iulii, anno M D XXIX.

Excem-

Exemplum codicillorum Erasmi ad Ioannem Oecolampadium, quorum mentio fit in præcedenti epistola.

ANte dies complures cupiebam te evocare ad colloquium: nam & tempus erat incommodum, & affligebat pituita tenacißima non sine febri. Sed verebar, ne quid hinc fabularum nasceretur in populo, quod res tum minus essent quietæ, quam nunc sunt. Hodie mihi narravit Hieronymus Frobenius, *esse, qui nescio quid sinistri suspicentur de animo in te meo, quasi te scriptis meis perstrinxerim; deinde quasi nuper deflexerim ab itinere, ne te salutarem. Scito, vtrumque esse vanißimum somnium.* Nullam *litteram scripsi, qua te perstrictum volui, aut quam scribens, de te cogitavi.* Quum *excuderetur colloquium* Cyclops, *quidam ex operis Frobenianis suspicati sunt, quod dicitur de ove in capite, vulpe in pectore, deque longo naso, ad te pertinere: quum constet, hoc lusum in* Nicolaum Canaium *famulum meum, qui ambiebat in colloquijs celebrari. Is talem gestat pileum & nasum habet longum, & colore est fusco, capillitio nigro. Te simili vti pileo, nunquam audieram, nisi hac occasione.* Non *sum tam ineptus, vt talibus nugis vtar in viros. Ambiebat &* Polyphemus *celebrari, qui circumferebat codicem Evangeli-*

cum bellè ornatum, quum ipsius vitâ nihil esset inquinatius. Sic res habet de scriptis. Iam ea via soleo fere semper adire hortum Frobenij, quum cœlum est commodius, quod altera sit angustior, & fœteat. Itaque si nullus adfuisset, illac tamen eram iturus. Nec te tum novi adversum, sed famulus admonuit. Itaque reflexissem iter ad te, nisi plures adfuissent mihi ignoti, quorum cœtum turbare nolui. Idq́; tum dixi famulo. Sic habet de suspicione. Quod si quid aliud est rei, hodie circa horam quartam vsque ad sextam ero in horto Frobeniano, si dignaberis eò venire, vno comitatus, aut si mavis alio die, libenter tecum conferam. In libello quo respondes Bilibaldo, notas me, quasi dixerim, tuam de Eucharistia sententiam esse longè meliorem. Hoc fortasse Ioannes Danus ad te pertulit, sed perperam. Dixi tuam simpliciorem & expeditiorem, quod minus habeat quæstionum perplexarum. Alioqui si mihi certò persuaderem, tua dogmata esse meliora receptis, sic vt in ea persuasione conscientia mea posit acquiescere, hac ipsa hora profiterer eadem, quæ tu profiteris, vlturus meo more furiosos quosdā monachos ac Beddaicos Theologos. Nunc quod vnum possum, opto, & operam do, vt hi tumultus habeant lætiorem exitum. Bene vale. Reliqua in colloquio, si videbitur.

Bili-

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

TAndem vertimus solum, ex Rauracis facti Brisgoi. Dum promiscua fex plebis armata ac dispositis machinis versaretur in foro, nemo non timebat sibi, cui domi esset quod nolit perire. Aliquamdiu res videbatur spectare ad arma. Melior pars favebat Ecclesiastico negotio, sed numero minor. Nam altera multos habebat admixtos exteros, multos decoctores, multos palam infames. Hanc tragœdiam orsi sunt sub ipsam brumam, ne cui promptum esset vel fugere, vel accersere suppetias. Ecclesiastica pars, vbi videret contra Senatus edictum, contraq́; iusiurandum fieri conventicula, induit arma; mox idem fecit altera, operas etiam educens in forum, ac bombardas. Autoritate Senatus factum est, vt pars Ecclesiastica deponeret arma; quod ægre fecit & altera, sed ad tempus. Nam quum decretum esset sævire in divos ac divas, condensant sese in foro, dispositis tormentis æneis, & aliquot noctibus illic sub dio agebant, extructa pyra ingenti, magno omnium metu: in nullius tamen ædes irruperunt, neque cuiusquam corpus attigerunt, nisi quod consul mihi proximus vicinus, vir facundus & de Republica crebro bene meritus, noctu scapha subduxit sese, periturus ni id fecisset. Profugerunt & alij complures metu, qui tamen ex autoritate Senatus revocati sunt, si vellent iure civium vivere:

è Senatu verò submoti sunt, quotquot faverent pristinæ religioni, ne qua esset illic suffragiorum dissensio. Hactenus tamen Senatus moderatus est tumultum, ut per fabros & artifices tollerentur è templis, quæ tolli placuisset. Tantis autem ludubrijs usi sunt in simulacra divorum atque etiam crucifixi, ut mirum sit, nullum illic editum miraculum, quum olim tam multa soleant edere vel leviter offensi divi. Statuarum nihil relictū est nec in templis, nec in vestibulis, nec in porticibus, nec in monasterijs. Quicquid erat pictarum imaginum, calcea incrustura oblitum est, quod erat capax ignis in rogum coniectum est, quod secus, frustulatim comminutum. Nec precium nec ars impetrauit, ut cuiquam omnino parceretur. Mox in totum abrogata Missa, ut nec privatim domi fas esset sacrificare, nec in finitimis pagis audire sacrum. Vbi summus ille metus ademtus est, ac propemodum spes esset fore, ut in nullius facultates aut caput saviretur, ad hanc clementiam adhortante Oecolampadio, quotidie tamen ex synodis illorum prodibant nova plebiscita, cœpi de migrando cogitare, sed dißimulanter. Id quo minus fecerim ante Pascha, sceleratißima quadam pituita fuit in causa. Anxius verò metuebam, ne malè mihi verteret, vertere solum: nonnihil etiam verebar, ne quam abituro remoram inijcerent. Itaque procuraram à rege Ferdinando duo diplomata, alterum quo me accersit ad sese, alterū quo tutus & immunis irem per ipsius ac Cæsaris totam ditionem. Primum omnium

immitto

immitto clam nummos, annulos, & vasa argentea, quæ potissimum invitant pradonem. Aliquanto post palam onero duo plaustra scriniis & lectis. Hoc facto nuntiatur mihi Oecolampadium & Ecclesiastas infensos esse, idq; duabus de causis, quas ex litteris adiunctis intelliges, plusquam frivolas. Ego tamen reputans mecum quis esset rerum status, scripto placavi Oecolampadium, simulq; ad colloquium evoco. Collocuti sumus diu, sed absque contentione. Obtulit ille sinceram benevolētiam, quam ego non recusavi, modò pateretur me in quibusdam dogmatibus ab ipso dissidere. Tandem cœpit dissuadere, ne relinquerem Basileam. Respondi me à mihi gratissima civitate multis nominibus invitum discedere, sed me diutius invidiam perferre non posse; Viderer enim probare quicquid hic publice fit. Quum urgeret, respondi eam operam frustra sumi, quum tota supellex esset Friburgi: instabat, ut saltem abirem rediturus. Friburgi, inquam, mensibus aliquot commorabor, illinc profecturus quò me Deus evocaverit. Sic datis utrinque dextris, discessum est. Hunc sermonem communicavit, ut suspicor, tribuno plebis, qui semper fuit huius negotii coryphæus, vir prudens sedatiq; ingenii. Egit cum Beato, ne discedam multis argumentis. Mihi nemo verbum fecit. Si dixissem me offensum abire, promisissent satisfactionem; si ob id, quod non probarem ea, quæ illic instituerentur, vocassent me ad elenchum, eoq; allegavi iram Principum, & invidiam Theologorum. Alioqui exceperam

voces aliquot ferocul as ac minaces eorum, qui plurimum valerent in hac factione. Et acciderant quædam prælndia. Itaque non arbitratus sum esse consultum in ea civitate vivere, in qua nullus esset tam abiectus quin posset me lædere. Nec enim consentaneum est, magistratum ac plebem ex animo favere ei, qui dictis ac scriptis ab ipsorum dogmatibus dissentiret. Quum ipse conscensurus essem navim, nescio quas difficultates iniecerunt de sarcinis ancillæ. Cupiebam nautam solvere à portu secretiore, ne populo essemus spectaculo. Id constanter vetuit Senatus, quum antehac semper fuerit liberum à quovis civitatis portu solvere. Parui, & à ponte solvi, comitantibus aliquot amicis. Mihi nemo verbum. Hæc profectiuncula melius cessit, quàm expectaram. Huius urbis magistratus obtulit omnem humanitatem sua sponte, prinsquam me rex Ferdinandus suis litteris commendaret. Dederunt ædes regias, & Maximiliano extructas, sed imperfectas. Sedebimus hîc aliquot menses, nisi bellum oriatur. Complures enim huc confluũt è Basilea, ferturq́; totum Canonicorum collegium huc commigraturum. Ea res citius huc invitaret hostium sævitiam. Videor hîc satis gratiosus omnibus. An tibi notus sit Ludovicus Berquinus, nescio. Is XV Calend. Maias Lutetiæ exustus est; pridie duodecim iudices pronuntiarant, ut exustis libris ac peracta palinodia, lingua illi pertunderetur, & mox æterno carceri dederetur. Quum is appellaret Regem ac Pontificem, irati iudices responderunt: se

curaturos

iuraturos ne post hac quoque appellaret, ac postero die tradiderunt hominem incendio. Id si non commeruit, doleo; si commeruit, bis doleo: nec enim mihi causæ ratio sat cognita est. Nec Berquinum novi, nisi ex scriptis & quorundam commemoratione. Vitam hominis nemo non probabat, fortuna erat sat splendida, regi cum primis charus. Quod evenit, semper illi timui: nec ullas ad illum litteras, nisi in quibus non anxiè dehortarer ab hac contentione, cuius non posset non infælix esse exitus. Primam causam vicerat. Eam causam iactabat etiam scripto. Deterrui ne faceret, sed frustra. Admonui, ut titulo legationis aliquò se subduceret, fugeret crabones. Ille plenus fiduciæ iubebat me bene sperare. Retractus est paulo post in carcerem, & perierat, ni rex ab Hispaniis reversus illum eripuisset incendio. A carcere datus est aulæ, sub custode tamen. Tandem liber, causam agere cœpit adversus tres Priores, qui sua sententia illum damnarunt hæreseos adversus facultatem sacratissimam. Ego semper illi vaticinatus sum infælicem exitum, etiamsi causam haberet non omnino malam. ille contra sibi mihiq; pollicebatur indies speciosam victoriam. Quid facies eis, qui devoti sunt exitio? Hæc res mirè tollat cristas Beddæ adversus linguarum ac politioris litteraturæ cultores. Proximis litteris scripseram Berquino, me à nullo hactenus fuisse infælicius adamatum, nec quenquam vidisse consiliis fortioribus,

ſed infaliciſsimis, nec alium eni ſpes eſſent æquè pertinaces, ſed falſiſsima. Dominus, ut ſpero, recepit illum in requiem ſuam Bene vale. Friburgi VII. Idus Maias, anno M. D. XXIX.

D. Bilibaldo Pirckheimero, Cæſareæ Maieſtatis à Conſilijs S. P.

O*Pinor tibi redditas litteras, quas ante dies aliquot miſi, quibus inſtruxeram te adverſus rumorem, quem Epphendorpius videtur per totam Germaniam ſparſiſſe, non minus atrocem quam vanum. Nunc quid velim, paucis expediam. Opſopœus edidit epiſtolas Baſilij & Gregorij Nazianzeni Græcas, quas in manus ſumpſi verſurus, quo Polono epiſcopo Cracovienſi, qui me vltro honorario munere ſexaginta ducatorum provocavit, gratificarer. Sed comperi, depravatiſsime editas. In ipſo ſtatim titulo eſt,* πατρῶν *pro* πατρός. *Nam* πατρῶν *apud Græcos non dicitur. In prima epiſtola conijcio fuiſſe ſcriptum* βαθεῖ κάρᾳ. *Is fecit* βατλακάρᾳ. *pro gravato crapula, quod nec Græcum eſt, nec Latinum. Ex his coniectans cætera, abſtinui à vertendo. Proinde te rogo, ut ſi exemplar manu deſcriptum eſt apud Opſopœum, iubeas mihi communicari Id ſi in tempore fiat, ante autumnum emittam. Sin minus, primo quoque tempore. Simul non eſt committendum, ut tantus autor ita depravatus maneat. Huiuſmodi*

invenes

iuvenes audaciores quam eruditiores, & avidiores rei quam commodi publici magnam pestem invehunt litteris. Opto te quam bellißime valere. Datum Basileæ, V. Cal. Iunias. CIↃ IↃ XXVIII.

Erasmus & nexu & mancipio tuus.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

E*Xistimo tibi redditas litteras, quibus rogabam, vt codicem calamo descriptum Epistolarum Basilij & Nazianzeni ad me mitteres. Vehementer enim hoc cupio: nec levibus de causis, & fiet absque tuo detrimento. Sed expecto his nundinis scripta tua. Ferdinandus honorificentißime scripsit ad me, invitans Viennam, salario quadringentorum florenorum, tantum vt illic vivam. Sed non est animus in alium migrare mundum. Si cognovero te recte valere, erit longe gratißimum. Bene vale, vir ornatiß. Basil. VIII. Cal. Septemb.* CIↃ IↃ XXVIII.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

C*Larißime Bilibalde, Iußi vt Hieronymus ad te mitteret vnum volumen Epistolarum. In his reperies vnam, qua tibi gratias ago pro patera tua: quod munus non minus gratum mihi fuit, quam si talentum auri penderet, quod quasi pignus esset constantißimæ tuæ erga me benevolentiæ, quam ego non in infima fælicitatis meæ parte duco. De codice*

Græco, ignoscat tua humanitas mihi, quod non præsto fidem. Sub nundinas cœpimus conferre, quo sumus ingreßi altius opus, hoc plus offendimus portentorum. Interdum toti versus omißi sunt, multa mutata, studio, vt videtur. Quin & epistolæ multæ omissæ. Postrema plusquam tertia pars voluminis abest. Collatio peracta est: sed cœpimus, quod nobis deest, describere. De Codice ne sis sollicitus, erit domino suo incolumis. Fortasse curabimus excudendum exemplar nostrum. Plura scribere in præsentia non vacabat. Nam & vrget tempus, & autumnus me gravißimo dentium apostemate, non sine febri, parum humaniter salutavit. Cupio te quam optime valere, patrone & amice incomparabilis. Friburgi Brisgoiæ VII. Id. Septemb. CIↃ IↃ XXIX.

Bilibaldo suo Erasmus S. P.

NOs hactenus sub medicis ac chirurgis misere fuimus excarnificati, nec dum satis firmi, & tamen fugam adornamus, nec partem vllam video tutam ac tranquillam. Ab Italia deterret iter & prolixum & periculosum. In Galliis videtur quies à Beddis, vereor, ne & illuc se proferat bellorum incendium, imo vix audeo sperare à bello quietam fore Brabantiam. Iam enim bellum ardet cum Phrysiis. Suspicor autem hoc esse in capitulis fœderis, vt Gallus sibi

lus sibi vicinam Helvetiam invadat, si nolint ab hæresi resipiscere. Iam enim illos admonuit rex, precibusq; minas regaliter addidit. Cæsar videtur omnia facturus ex præscripto Pontificis. quæ religiosa optimi principis obedientia magno malo est Florentinis; vereor, ne & Germaniæ. Res agitur per Ioannem Fabrum & Eccium. Adest Episcopus Hispalensis, homo severus, ut aiunt, qui mihi tamen in monachorum Hispaniensium tumultu bonam navavit operam. Adest alter Hispanus genere, professione Theologus Sorbonicus, frater eius Dominicani, qui apud Hispanos vexillifer fuit adversum me. Adest Franciscanus Cæsaris à concionibus, male mihi volens Eccius, quod non expectaram: inter hæreticos ponit aliquot meas sententias, nisi quod pro Erasmo ponit quidam. Te perstringit etiã, veteris odij memor. Multorum litteris invitatus sum Augustam, Cæsaris tamen nomine nondum. Decreveram hisce nundinis petere Brabantiam. Sed Faber & Episcopus Constantiensis suadent, ne quò moveam pedem ante perspectum Concilij exitum. Atqui tamen mihi serum erit moliri fugam bello cœpto, & urgente hyeme. Quidam G. N. è Brabantia profugus, & ex amicissimo subito factus capitalis hostis, novam tragœdiam movit Argentorati; nebulo seditioni natus. Is est ficto nomine Vulturius. Quid rei sit, libelli te docebunt. Liber, qui prodijt titulo Ministrorum verbi Argentorati, dicitur esse Buceri, cui adfuit Novimagus. Nihil unquam legi

legi seditiosius, nec fucatius. Quin & Albertus Pius rursum ingens volumen scripsit in me per conductos aliquot, omnibus locis è lucubrationibus Erasmi decerptis, quæ patent calumniæ. Aleander agit Venetiæ, diciturque quicquid est operum meorum diligentissime evolvere in hoc, ut suspicor, quo Alberto suo suppeditet calumniandi materiam. Magna inter molles concordia. Brabantia babet Franciscum Titelmannum, iuvenē gloriosissimè loquacem: apud Hispanos eiusdem sodalitij satis gladiatorie furit Carnaialus. sed talibus rabulis posthac ero mutus. Agnosco rusticitatem meam, ornatissime Bilibalde, qui toties liberalitate tua provocatus, nihil repono gratiæ. Debebam opera Augustini ad te mittere. Sed tamen non venit in mentem. Nunc iussi ut mittant tibi Chrysostomum. Ex quo si quid habes abs te versum, velim communices. Habemus Commentarios eius in Epistolam ad Romanos, sed quibus dederamus vertendi negocium nobis dedere verba. Curabimus tamen, ut ad Pascha accedant. Nonnullam spem præbuit & Baptista Egnatius. Opto te quam optime valere, vir immortalitate dignissime. Datum Friburgi IIII. Cal. Septembr. CIↃ IↃ XXX.

Erasmum tuum agnoscis.

Erasmus

Erasmus Roterodamus egregio viro Ioanni Cholero Præposito Curiensi S.

MVlta mihi frequenter scripta sunt & prædicata de Eccij vanitate, arrogantia, levitate, ac temulentia; in me tam virulentum animum gerere nunquam suspicatus sum, præsertim cum aliquoties iusserit me salvere: & amicos habeamus communes Ludovicum Berum & Ioannem Fabrum. *Quam nihil sani habet illius responsio; ita loquitur, quasi articuli ad ipsum delati sint tanquã ad Imperatorem; non ipse legerit, nec scierit, cuius essent, antequam expostularem. Appellat* σκανδαλώδεις, *quasi ob eiusmodi nænias coierit concilium. Notat quod vocarim eas Sententias, quasi profitear me ita sentire, tutius erat appellare Articulos. Quid impudentius, quam scripto damnare, quod nec legeris; nec scias, cuius sit. Iussi ut indicaret loca; ad hoc obticeßit: admonui duos esse, qui nusquam sunt in scriptis meis; ad hoc nuper respondit, quum maxime debuerit; tantum promittit se indicaturum, quid in eis offenderit, si vacarit a comitijs, quasi ab ipso pendeant comitia; promittit se fore filium mei observãtißimum, si pergam in Lutherum, quasi nihil audierit de Diatriba, de Hyperaspistis, alijsq; libellis & epistolis.* Infantuli Theologi *convicium nescit*

nirum

utrum in me torserit, an in alium. Quid hic homo habet pensi? Nec queo coniectare, unde hoc pus in me conceperit, nisi quod nusquam in scriptis meis celebratus Eccius aureis literis. Suspicor hominem exasperatum per Henricum Epphendorpium; qui videtur hac potissimum de causa venisse Augustam, ut in ea celebritate hominum seminaret sua mendacia, quæ non aliter ex se gignit, quam aranea filum. Demiror si ad te non penetrarit, quum nusquam non irrepserit tantus mendaciorum artifex, ut oratio nusquam inveniat fidem, nisi apud expertos. Homo tressis existimat sibi valde gloriosum, si dicatur habere controversiam cum Erasmo. Expetiit colloquium Ducis Georgij. Dux respondit se deliberaturum; post multos dies rediit eandem canens cantilenam. Dux non admisit hominem, negans se velle eum agnoscere, qui non agnosceret patrem suum. Iactavit enim se nobilem, quum sit plebeius. Sed audiendi negotium reiecit in Simonen Pistorium, cui causam omnem perscripseram. Ibi Thraso, non est mihi, inquit, negotium cum Simone. Apud ipsum Ducem volo me purgare; atque ita magno cum stomacho abijt: quievit, donec Pistorius rediret in patriam una cum Carlevico. Tandem improbitate sua perfecit, ut Dux causam delegaret Iulio Pflug, cuius aures Epphendorpius noster explevit innumeris mendacijs, quod erat illi bonum atque commodum, quod Iulius nec Epphendorpium nosset, nec causam. Itaque scripsit ad me

ad me Dux, ut Iulij literis fidem haberem. Iulius scripsit amantißime doctißimeq; multa, quorum hæc erat summa, ut præfationi adderem libellum Epphendorpio dicatum, veluti ex fœdere, quoniam ille multis modis violarit fœdus, priusquam exiret Basileam, nec post desiterat de me hostiliter & scribere & loqui, subinde recitans furiosum librum, quem in me scripsit. Nec in aliud quærebat librum, nisi ut iterum gloriaretur, ad quas conditiones adegisset Erasmum. Sperabat ex arbitrorum sententia nonnihil prædæ, id quoniam fefellit, factus est ex inimico inimicior. Et quum nemo nesciret, illum omnia fecisse contra pacta, tamen perinde petit suum ius, quasi omnia præstiterit, nec pudet quicquam. Decreveram omnia perpeti potius, quam levißimi hominis nomine meas chartas contaminare, sed posteaquam ille nullum facit mentiendi finem, causæ summam perstrinxi excuso libello, ne toties fatigem amanuenses meos. Temperavi stilum, ut non Epphendorpium læserim; & tamen, qui audierant hominẽ, agnoscant, quam ille impudenter mentiatur. Curavit, ut epistolæ Ducis & Iulij id temporis ad me venirent, ut non esset respondendi spatium. Respondi per præfectum Brisacensem, cui commiseram & ad alios epistolas, ad quarum nullum accepi responsum. Metuo, ne artifex ille interceperit. De Eccio solet semper pessime loqui: eius tamen mentione voluit abuti. Tãtum portentorum esse in Germania! Pro hospitio humanißime oblato & tibi & D. Antonio habeo gratiam.

Sed qui convenit ut me invites Augustam, quam & metuas, & verisimillimum sit istic post abitum Caesaris graves tumultus exorituros? Nihil est Caesare mitius ac religiosius, sed vereor ne quorundam malitia illius abutatur bonitate. Video nugas agi serio, in serijs nugas. In pontificijs ceremonijs nihil praetermissum est, & nunc agitur de titulo Regis Rom. Utinam suppetent quantum annui census hi magnifici tituli illis adferant. Sed desino, quando hoc seculo nec gemere tutum. D. Antonio meis verbis agito gratias, orans, ut literas ad Brassicanum curet perferendas Viennam, & si dimissum est concilium, perveniant ad Polyphemum, aut Ioannem Henchelium. Bene vale vir in Domino charissime. Friburgi, postridie Martini CIↃ IↃ XXX. Hac in sinum tuum effusa, ne spargantur.

Erasmus Roterodamus eruditissimo ac πολυγλωττάτῳ Viro P. Vulcanio S.

Vulcani charissime, si haec epistola te inventura est apud D. Montiovium, rogo ut hunc Simonem Grynaeum, hominem in utraque lingua absolutum, & in philosophia non vulgariter doctum, velis cognoscere, & si quibus in rebus potes commodare. Mihi ob egregias virtutes cum primis charus est. Caetera ex ipso cognosces. In praesentia non vacabat

pluribus

pluribus tecum agere. Scribe per hunc: nam ad nos rediturus est. Bene vale. Friburgi XV. Calend. April. CIↃ IↃ XXXI.

Erasmus Roterodamus Clarissimo Viro D. Ægidio Buslidio S. P.

CLarißime Vir, Goclenius me literis suis admonuit Campensem deposuisse profitendi munus, id quod doleo. Sed Goclenij litteræ ad Idus Iulias scriptæ, ad Idus demum Novembres mihi redditæ sunt. Hic neminem novi, quem ausim vobis commendare. Adeo lues hæc opinionum corrupit studia. Vestigabo tamen diligentius & perscribam. Nisi diligentia professorum advigilet, metuo ne tandem frigeat hoc collegium. Mirum est humani ingenij fastidium, obdormiscit, nisi subinde vel voluptate, vel novitate excitetur. Hac de re professores admonui per literas. Opto te cum tuis quam optime valere. Datum Friburgi XV. die Decemb. CIↃ IↃ XXXI.

Adest isthic rursus orator furiosus, qui pro uno incendio multa nobis excitabit. Nihil hoc seculo furiosius.

Erasmus Roterodamus M. Conrado Goclenio S.P.

CEnsuris Sorbonicis iam respondi, libellus propemodum excusus est, cuius mitto gustum. Quamquam ad pleraque iam responderam. Sunt proposita Beddaica fere omnia. Sciebam, quid mereretur illa coniurata sodalitas, sed tamen coercui stili impetum, ne plus satis irritata exurat libros meos, id quod illi fuerit bonum atque commodum, quum illic regnet Bedda cum aliquot coniuratis, habeatque regij Senatus præsidem faventem, ut scribunt. Non tamen erant proditurae Censuræ, nisi quidam oleum camino addidissent. Lutetiæ fuit Eccius, & ut suspicor, Aleander; quem suspicor hac de causa præcipue venisse, ut Erasmo moliatur exitium. Iulij Scaligeri libellum, tam scio illius esse, quam scio me vivere. Id tamen dißimulandum est, ne magis insaniat prodito fuco. Beddaicos scio nunquam cessaturos. Quamquam Bedda quantumlibet hostis non probavit, ut ederetur Scaligeri furiosum nugamentum. Furtim excusum est, & aliquandiu pressum, donec impetrarent veniam qualemcunque a nescio quo Lieutenanto. De fisco nihil habeo quod respondeam, nisi illud Iurisconsultorum, Abundans cautela non nocet. *Scio mihi rem esse cum fucatißimis beluis. Iam & Evangelici*

ici quidam, quorum magister scelerosus ille Gel-
rius, miris technis hoc agunt, ut Cæsaris ac Fer-
dinandi animum in me irritent. Argentorati
excuderunt libellum Teutonice contra Cæsaream
maiestatem, in quo subinde citant autoritatem
Erasmi, locis aliquot, ut suspicor, decerptis è
proverbio Scarabæus aquilam, & præfatio-
ne in Suetonium. Non dubito, quin hæc agant
Capito & Bucerus, fortasse adiuvante clam Ep-
phendorpio. Librum nondum vidi, sed rem
hodie cognovi ex litteris Cardinalis Tridentini,
qui Ferdinando caput est Secreti consilij, mihi
singulariter amicus. Argentorati nemo quicquam
in me molitus est, priusquam eò commigrasset No-
vimagus, qui nunc agit Augustæ, profiteturque
poeticam salario, ut aiunt, sexaginta florenorum.
Bene habet, quod duo Coryphæi perierunt, Zuinglius
in acie, Oecolampadius paulo post febri & apo-
stemate. Quod si illis favisset ἐνυάλιος, actum
erat de nobis. De professore nihil habeo, quod pol-
liceat. Hic unicus erat Erasmi nostri præceptor.
Is clam demigravit Argentoratum amore sectæ.
Omnia studia hic deficiunt, excepta Iurisprudentia.
Titulos tantum vidi constitutionum. Hoc agunt,
ne nihil egisse videantur χρηματολόγοι. Quid ego
audio? Evenit nobis illud, πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον.
Equidem mirabar, sed non audebam tibi tam clare
affirmanti ἀπιστεῖν. Hic est ludus Curtisano-
rum. Commendavi te Valdesio non indiligenter,
quam-

quanquam nondum etiam scio apud quos agatur causa. Libenter & Campegio te commendarem, nisi vererer, ne per occasionem officerem tuo negotio. Sed brevi expecto fore, vt vigilans audiam, Vicimus.

Caminga totos quatuor? Atqui summæ deerant plures quatuordecim, ni fallor. Nihil vnquam vidi illo iuvene vanius aut morosius. Suspicor offensum proximis litteris meis, quibus significavi me nihil fugere, de adita Italia, quum interim ad me scriberet velut e Frisia. Et hæc quidem ioco. Hortatus autem sum hominem, vt cum amico simplici simpliciter ageret. Nec alter Hayo Hermannus scribit quicquam, Alardi, ni fallor, opera. qui nuper scripsit Hieronymo Frobenio, se venturum Basileam cum commentariis suis in opera Rodolphi Agricolæ, si vellet mittere viaticum, & de cæteris æqua mercede pacisci. In me concepit odium capitale, quod in Ciceroniano sit præteritus. Quæ portenta gignit hæc ætas? Caminga nec irritandus est, nec curandus. Quatuor illi floreni tui sunto, qui tuo sumptu miseris huc medicum Theodrinicki famulum; nec quicquam dedit Hieronymus, licet tota res ad illum pertineret.

Quas appelles proximas literas, nescio. Non enim omnes ad me perferuntur. In quibus hoc peris, quum fuerint scriptæ XVI Cal. Augusti, sub finē Novembris mihi sunt redditæ. Ad quas respondi per Galterum quondam Canonicum Traiecti superioris & Leodii. Valdesio non scripsi, quod non videbatur aditurus aulam brevi. Per eum & Martino Lypsio

scripsi,

scripsi, &, quando ipse hoc flagitabat, Hezio, qui quum Romæ me impotenter amaret, reversus in patriam videtur factus alius. Demiror, quur Levinus tantopere ambiat cubicularij locum apud Reginam Mariam, quum magis illi congruat secretarij munus: obsecutus sum illius animo, sed meo reclamante animo. Primum adhæsit Sceppero, cui, ut audio, dedit L coronatos mutuo. Nunc Scepperus eum mihi tradit, scribens se illi nulla in re posse prodesse. Levini ingenio nondum satis fido. Maluissem dare bonam pecuniæ summam, quam eam commendationem. Miseret me Erasmi nostri qui tantum vulnerum passus pro literis, nunc meditatur esse negotiator, ut sit aliquando famulus eorum, quorum poterat esse dominus. Hieronymus constabilivit rem suam. Opto ut fæliciter discat linguam, qui sic hæsitat, & bonus fiat negotiator, qui duo verba recte scribere ne tot quidem annis discere potuit. Levinus scribit hunc rusticum ab se conducendum, at is prima voce statim questus esse sibi non esse obulum. Agnosco Levini mores. Scribere debebat quanti, & quibus conditionibus, ab eo pactus esset. Alioqui mos est illis geminam solutionem flagitare. Per illum duas epistolas, alteram tuam, alteram Arnoldi, misi Hieronymo, si quid forte vellet in Brabantiā. Interim dum ille abest Basilea, ego adorno literarū fasciculos. Essutivi apud Camingā, quod Hayo Hermannus in Italia laborasset scabie Gallica. Hoc ille fortasse narravit odiosius apud plures. Fieri potest, ut ea res offenderit illum

rit illius animum. Viglius hic nos invisit, Italiam petens. Nihil hoc invene vivit amabilius. Fasciculum universum iussi tibi tradi, vt ipse reddas, si voles, quæ videbuntur. Vale Friburgi. XIIII. die Decembr. CIↃ IↃ XXXI.

Iulius Cæsar Scaliger scripsit Orationem pro Cicerone adversus Dialogum Erasmi Ciceronianum. Eius orationis auctorem negat Erasmus Iulium Scaligerum esse in quadam epistola, quam ad amicos scribit, qui eam Scaligero miserunt. Scaliger ea lecta, statim secundam orationem scripsit adversus Erasmi epistolam, vt se prioris auctorem esse assereret. Ea epistola excusa est simul cum posteriore oratione apud Vidoveum Parisijs. Sed Erasmus per emissarios omnia exemplaria colligi & cremari curavit. Itaque hodie nuspiam ea oratio reperiri potest.

Comitabantur porro superiores ad Goclenium litteras sequentia hæc, Theologis Lovaniensibus inscripta, cum hoc initio:

IESVS MARIA.

Detur Theologis Lovaniensibus.

QVum res rumore tantum, sed probabili, ad me delata est, solum in hoc respondebo nunc, ne quid per calumniam temere fiat, me non audito. Iactitat quidam in novis Colloquijs esse tria aut quatuor loca, in quibus sentiam cum Luthero, videlicet de Confessione & Ieiunio. Id secus esse intelliget, qui libellum integer legerit.

Id priusquam efficiam, tria præfari visum est. Primum, non posse mihi obijci contemptum Edicti Cæsarei, quod audio publicatum sexto die Maij anno 1522. quum hic libellus multo ante fuerit excusus Basileæ: vbi tamen nullum adhuc Cæsaris edictum, vel publice vel privatim, fuit exhibitum. Secundo, quod in eo libello non trado dogmata fidei, sed formulas loquendi Latine; tametsi quædam admixta sunt obiter, quæ faciunt ad bonos mores. Quod si Grammaticus præscripto themate Gallico, sic docet hunc sensum Latine reddere: Vtinam nihil exhalant præter allia, qui nobis hos dies osculentos invexerunt; *non opinor deferretur hæreseos, qui sententiam improbam doceret emendate reddere. Tertio, videndum esse, qualis sit persona, cui sermonem tribuam. Non enim illic facio Theologum concionantem, sed pueros aut bellos homuncu-*

los inter se nugantes. Quod si nolint mihi suffragari personæ qualitatem, mihi igitur imputent, quod illic Augustinus (opinor) quidam contemnit Honestum Stoicorum, & præfert Sectam Epicureorum, quod summum bonum posuerūt in voluptate: mihi imputent, quod illic miles quidam inter multa, quæ militariter loquitur, ait se velle quærere sacerdotem, cui quam minimum sit bonæ mētis. Hæc si mihi absurde tribuerētur, quur in cæteris non debet respici personæ qualitas. Nisi forte, si Turcam loquentem facerem, mihi imputandum putent quicquid ille dixerit.

Nunc de locis pauca. In primo loco (puto) quidam sedecim annorum, ait se confiteri peccata duntaxat certò mortalia, aut vehementer suspecta: Lutherus docet non esse necesse confiteri peccata mortalia omnia, sed tantum manifesta. Proinde sermo pueri multum dissonat a dogmate Lutheri. Deinde puer rogatus, an ipsi sufficiat confiteri Christo, respondet satis futurum animo suo, si idem visum fuisset Ecclesiæ proceribus. Ex hoc colligunt, me affirmare hanc Confessionem, qua nunc vtimur, non esse institutam ab ipso Christo. Et istorum collectio posset esse probabilis, si Christus non esset vnus primatum Ecclesiæ, quum sit princeps pastorum. Ergo qui proceres Ecclesiæ dicit, non excludit Christum, sed complectitur & illum cum Apostolis & Apostolorum successoribus. Iam vt ex superfluo demus hoc dictum de puris hominibus Pontificibus, an puero non est satis, quod in confitendo sequitur autoritatem illorum, etiamsi non habeat

certum

certum, an Pontifices hoc potuerint instituere de suo, an tradiderint ex institutione Christi, quum illi sit animus parere, quocumque modo tradiderint. Mihi nondum ad plenum constat, quod Ecclesia definierit hanc Confessionem, vt nunc fit, esse ex institutione Christi. Sunt enim multa argumenta mihi insolubilia, quæ suadent contrarium. Et tamen hunc animi mei sensum vbique submitto iudicio Ecclesiæ, libenter sequuturus, vbi claram illius vocem audiero. Quod si maxime hoc expreßisset Bulla, & ego vel nescirem, vel non meminissem, sufficeret interim obsequi autoritati Ecclesiæ, cum animo parendi, si etiam illud constaret. Non sequitur, hæc Confeßio est ex institutione hominum, ergo non est ex Traditione Christi. Et tamen quod confitemur semel in anno, quod tempore Paschæ, quod tali aut tali sacerdoti idoneo, certum est esse ex constitutione Pontificum.

Non fit ibi mentio de Ieiunio, nobis per Euangelium & Apostolicas literas commendatum est, sed de delectu ciborum, quem contemnit Euangelium, & sæpe damnant Paulinæ litteræ: præsertim superstitiosum. Nec illic quisquam dicit hoc quod docet Lutherus, constitutiones Pontificum non obligare nos, nisi accesserit contemptus: imo concedit Pontificem hoc posse, tantum quærit, an hic fuerit animus Pontificis, obligare ex æquo omnes ad carnium abstinentiam, sub pœna gehennæ, nisi adsit perversus animus. Et qui hoc dicit, ait se non aliter odisse pisces, quam angues.

Si omnis constitutio Episcoporum obligat ad pœnam gehennæ, dura est conditio Christianorum. Si quædam obligant, quædam non obligant, nemo melius declarabit mentem suam, quam ipse Pontifex. Veluti si Pontifex statueret, ut sacerdotes incederent cincti, an hoc animo statueret, ut si quis ob dolorem renum deponeret cingulum, esset obnoxius gehennæ? Itidem, si quis cum ægrotante uxore vesceretur carnibus, quo lubentius illa comedat, an Pontifex velit illum obnoxium esse gehennæ? Hoc tantum ibi quæritur, neque quicquam asseveratur.

Nec illic nec alibi damno Indulgentias, quamquam hactenus plus satis indultum est eis, tantum quidam ridet congerronem suum, qui quum alias esset nugacissimus nugator, tamen præsidio Bullæ putabat se posse pervenire in cœlum. Hoc ideo non arbitror hæreticum esse, ut existimem nihil esse sanctius, quam admonere populum, ne Bullis confidant, nisi studeant mutare vitam & pravos affectus.

Hæc ad rumorem delatum. ubi certiora cognoro, respondebo accuratius. Nunc vide, an ferendus sit is, qui lymphatus odio fratris, in convivijs & concionibus vocat Erasmum hæreticum ex huiusmodi lemmatis.

Erasmus

Erasmus Roterodamus ......
.... S. P.

AGunt hic duo illi Hollandi qui te adierunt, sed uterque zonam perdidit. Minor mire ambiebat esse famulus. Nam meorum alter inviserat suam Burgundiā: Sed rediijt. Expecto reditum Bebellij ex Anglia, qui nisi adfert certa, consilium est unum è meis in Angliam amandare. In literis hoc aberat, quod expectabā maxime, ut certum vigilans audirem te esse Canonicum Tanta enim vulturum turba facit, ut non vacem omni sollicitudine. Cum Aleandro per litteras expostularam de libello Iulij Cæsaris. Is, quo se liberet stolidißimi facinoris invidia, excusat se literis accurate scriptis, sed utitur lemmatibus multo frigidißimis. Exemplar ad te mitto Ut video, tibi propemodum persuasit: at ego qui domestico convictu, ac lectuli quoque contubernio, totum intus & in cute novi, tam scio esse ovum illius, quam scio me vivere. Sed huic tempori serviendum. Pro verbis dabuntur verba. Accitus est in aulam Alfonsus Vervesius monachus, qui scripsit ad me septem collationes, ut multa paucis dicam, valde monachales. Eas aiunt iam excudi Lutetiæ. Ipse scripsit ad me ex aula amice, sed (quod est monachorum proprium) non absque minis Episcopus Augustensis promisit se per proprium nuncium scripturum, quid agatur in

Synodo. Non dubito, quin Aleander futurus sit sui similis per omnem occasionem. Ioannes Campensis agit motoriam fabulam. Nunc Norenberga excudit opus, nescio quod. Ioannes Danus offendit Episcopum Culmensem ob iactatam epistolam meam. De Collegio, non sine causa sollicitus est P. AEgidius. Sed in admittendo Rescio cum vxore, dormitatum est. Principijs obstandum erat. Hic quotquot callent bonas literas, amant Euangelium. Alioqui non deessem officio meo. Bene vale III. die Maij CIↃ IↃ XXXII. Adhuc ædifico sepulchro proximus. Tu fac vt litē absolvas. Fortaßis Aleander nihil tibi profuit in causa tua. Et τεχνῶν δεινῶν δεινὸς artifex. Ignosce, non relegi. Saluta D. Iodocum præsidem, & Rescium. Expostulat mecum Resendus ob editum carmen. Atqui putabam hominem esse liberum. Alioqui nunquam eram editurus. Demiror autem, quare me hoc nescire volueris. Rursum vale, ὦ φιλτάτη μοι κεφαλή.

Erasmus Roterodamus ornatißimo Viro D Ioanni Cholero, Præposito Curiensi S. P.

NEc ex tuis, nec ex aliorum literis hactenus scire potui, an fasciculus ille, qui continebat epistolas ad Ioannem Paumgartnerum, ad filium illius, ad Antonium Fuggerum, ad Anselmum, & Viglium,

gium, & alios nonnullos, sit redditus. Magna autem in hisce rebus perfidia. Nuper Basileæ Monachus quidam septuagenarius duxit uxorem monacham, & paulo post famulam fecit. In civitate quadam, zorst opinor dicitur, æqualis Argentorato, ditionis Ducis Iuliacensis, Lambertus Campester, qui olim Lutetiæ edidit Colloquia mea velut a me emēdata, persuaso typographo rem esse vendibilem, & sub nomine meo præfatus, & admixtis per totum opus miris emblematibus, quibus meipsum accusabam, omnia plena scurrilis cuiusdam stoliditatis, quo peracto fugit Lugdunum; & simulans se summum Erasmi amicum, reperit patronum, cui mox suffuratus trecentos coronatos fugit & in fuga deprehensus est inter aliquot puellas, suffigendus in crucem, nisi sacra cucullà Dominici servasset eum: Is, inquam, multis alijs flagitijs ac sceleribus designatis, tandem in ea civitate excussa cuculla docet Euangelium, hoc est meras seditiones. Dux petijt, ut hominem eijcerent. Responderunt, se non posse carere suo ecclesiasta. Et ista pestis serpit indies. Ac minimum abfuit, quin in Angliam irrumperent, hoc est tyrannidem occuparent. Basileæ in locum Oecolampadij surrogatus est Myconius homo ineptus, & quondam ludi-magister frigidus. Demiror, quid sperent, aut quid sibi proponant magistratus. Ego nihil video, nisi funestum exitum. Moliuntur manifestam ἀναρχίαν, ut improbis liceat, quod libet. Principes tandem cogentur extremis uti remedijs.

Sed opinor Morum meum impetrasse ab humanißimo Rege, vt gravißimo Cancellarij munere exoneraretur. Lutherani iactant illum vere depositum, & suffectum illi quendam nobilem, qui statim quadraginta Euangelicos liberavit a carcere, quo Morus eos detruserat. Habent suos veredarios, per quos nihil non explorant. Sperabam illos, clade Lutetiana doctos, revocaturos sese ad statum aliquem tolerabilem. Sed moliuntur duriora prioribus. Basilea renovarunt suas constitutiones; negant se quenquam velle cogere, sed si quis alibi acceperit Eucharistiam, mulctabitur libra: si iterum, duabus: si tertio, quatuor: si quarto, exilio. Et hoc non est cogere.

Quid Luscinio acciderit nescio, sed nuper apud Cartusianos in convivio dixit, Erasmum esse nebulonem, & omnes qui legunt ipsius libros fieri nebulones. Instigatus est, vt opinor, a Pelargo Dominicano, qui multis beneficijs a me affectus, quum dare desiissem degustato hominis ingenio, tentavit mecum agere iniuriarum, quod in epistola quadam Floridarum ad Morum inessent hæc verba: Hunc tumultum nobis excitarunt duo monachi, quorum alter concionabatur apud summam Ecclesiam, alter apud Dominicanos. Et illi quidem fugerunt, nos autem malo ferimur, *&c. Quum omnes deterrerent ab agendo, supplex petijt eleemosynam, & dedi.*

Si saccarum vobis petitur e Francfordia, iam illius

mihi

mihi providi. Sed est quale solet mitti in Germaniã.

De famulo ne sis anxius, nisi forte obtigerit idoneus. Nam Gallum habeo fidelem, & alterum aque fidelem amandavi in Angliam, in Novembri rediturum. Sed neuter bene scit Germanice. Polyphemus, quum isthinc discederet, noluit quenquam scire, quo iret. Ivit autem recta ad Lutherum & Melanchthonem; ac literis commẽdatitijs onustus, venit ad Ioannem Saxoniæ Ducem, fingẽs se esse famulum & intimũ amicum Erasmi. Magnifice tractatus est aliquot menses. Tandem abeunti Dux dedit elegantem equum & aureos quadraginta. Inde Coloniam. Illic apud Tielmannum summum amicum meum potavit aliquot menses. Post huc venit futurus custos domus meæ. Ego extrusi illum in Legationem ad Ratisbonam. Illic bibit sex hebdomadas, & extorsit multum pecuniarum. Ratisbona rediens obiter invisit ipsum Augustensem. Ab eo extorsit equum & coronatum. Decreverat cum suo claudo equo commorari in meis ædibus. Equum exclusi, ipsum exceptum decem ferme dies dimisi non admodum volentem. Voluit adire Angliam. Dissuasi. Deinde Poloniam. Ita rediit Coloniam, unde decessit cum pessima gratia Tielmanni hospitis, qui dicit multa fœda illic de eo spargi. Venit Francfordiam cum literis meis, petiturus Poloniam. At ego curaram, ut literæ committerentur negotiatori. Hoc ubi videt Polyphemus, rediit in Hessiam, & petiit commendationem Cancellarij Ducis, qui syncerissime me amat.

Res illi nebuloni rediit ad incitas; nec dubito, quin brevi sit habiturus miserum exitum.

Non dubito, quin Conradus Heresbachius fuerit apud te, per quem scripsi paucis. Is per quem promiseram scripturum fusius, mutato consilio repetiit Flandriam. Iuvenis doctus ac veri studiosus; sed vereor, ne sectarum contagio infectus. Hoc isti agunt, ut literæ cum secta aut stent aut cadant. Basileæ instaurant Academiam scilicet.

Gumpenbergius mihi videtur homo sedulus ac simplex. Suspicor esse negotium, de quo mihi scripsit Card. Caietanus, ut pauca quædam in scriptis meis explicarem. Respondi, me hoc agere, & si qua ostendat vera errata, me non defuturum officio hominis Christiani. Est quidam mirificus artifex scelerum, qui molitur Erasmo exitium, & tamen se simulat summum amicum. Et si quem ad Gumpenbergium mitterem: quid tum postea? Si tibi communicavit arcana, per te scire possum, res est non magni impendii. Fautores pii moliuntur vindictam. Nam Sepulveda fatetur in suis ad me literis, se per illos fuisse compulsum addere quædam libello suo atrociora, quam vellet. Moliantur quæ velint, non tamen efficient, ut me sectis adiungam. Scripsi libere; an hic nuncius certus sit, nescio. Vale. V. die Octobris, CIↃ IↃ XXXII.

Erasmus Rot. tuus ex animo.

Erasmus

Erasmus Roterodamus eruditissimo Viro Quirino Talesio, inclytæ civitatis Harlemensis Pensionario,
S. P.

QVod bonis avibus uxorem nactus ex animi sententia, mi Quirine, mirandum in modum gaudeo: qui mihi hoc nomine videre fælicior, quod iuxta Poëtam Epigrammaticum, quod es, esse velis. Precor autem, vt quemadmodum hic Iunonem habuisti propitiam, ita faveat & Ilithya. Quod viduam duxisti; non est, quod te pœniteat. Id malunt, qui vxorem ad vsum rei domesticæ ducunt potius, quam ad voluptatem. Et qui equos ad vsum quærunt, malunt domitos, quàm indomitos. Quod si illa genuit priori marito, tu magni mali metu liberatus es, ne sterilem duxeris. Morus mihi sæpenumero narrare solet, se, si centum uxores esset ducturus, nullam ducturum esse virginem; nunc habet vetulam nimium vivacem; quæ si migrasset, potuisset ille opulentissimæ clarissimæque fœminæ maritus esse. Hoc incommodi est, quod Episcopus nunquam esse poteris, nisi prius fias Monachus. Nactus & Levinus meus vxorem, verum vt neglectis amicorum monitis, ita parum fæliciter. Res calidè peracta est magis, quam callide. Noster Hilarius Lugduno migravit cum uxore sua,

sed nondum liquet quò. Quidam aiunt in Italiam. Non refert, ubicunque erit, Hilarius erit. Pro munusculo tuæ coniugis gratiam habeo maximam; libenter relaturus, si detur occasio. Scripsisti noctu, reclamante uxore. Hic risum non tenui. At Montioius, omnibus pedissequis male precantibus, solet post medium noctis venire ad lectum. Saltem ibi gustasti servitutem, sed illa ius suum merito postulat. Quod adhuc spiras Galliam amore studiorum, ubi sic pupugeris τὴν ζύνοικόν σου, *ut illi turgescant ilia, facile impetrabis a Magistratu, ut menses aliquot agas Aurelij. Quod si Magistratus ille haberet aliquid negocij, eadem opera studijs & illis servieris. Versor nunc in molestissimo pistrino Proverbiorum, quæ denuo excuduntur. Apophthegmatum opus auximus duobus libris. Auximus & declarationes nostras. Colloquia rursus efflagitantur, opus ut mihi vehementer invidiosum, ita typographis bene lucrosum. Hieronymus excuditur Lutetiæ, vix credendis vigilijs a me recognitus. Itaque non vacarat accuratius scribere, quibus tunc volebas. Nonnihil etiam metuo captantis notam: verum eam notam tu dilues, qui huc perpuleris. Scis opinor Leum esse factum Archiepiscopum Eboracensem. Morum magnis precibus a Rege impetrasse, ut Cancellarij munus liceret deponere. Fortasse metuebat invidiam repudij, quod semper dissuasit. Cantuariensis concessit in fata mense Augusto, ubi mihi perijt vere sacra anchora. Aleander gemina mitra*

insignitus.

insignitus. Nam Brundusinus & Oretinus est. Apud Cæsarem agit legatum Anglicum. Amici mei decrescunt; inimici crescunt. Scripsi, quibus volebas. Tu improbitatem excusa; ego excusabo cætera. Tibi cum dulcissima coniuge, parentibus ac sororibus precor omnia læta. Datum Friburgi prid. Cal Non. CIƆ IƆ XXXII. Salutat te Gilbertus meus. Nam Iacobum obtrusi Sapientiæ. Hic cum nova famula orsus fuerat miram comœdiam. Si diutius potuisset εἰκονομεῖν cum illa, fecisset vacua dolia, scrinia, denique totam domum. Recepta est Margareta furax, rapax, bibax, mendax, loquax.

Erasmus Roterodamus Ornatissimo Viro D. Petro Vulcanio, inclytæ Reipub. Brugensi a pensionibus S.

PRo isto tuo candore verius, quam iudicio de me, mi Vulcani, gratiam habeo plurimam, nec minorem, quod meas ærumnas amica consolatione mitigare studes. Sic est ut scribis, hoc seculum prodigiose ingratum est. In altero quærenda merces. Amicorum alij moriuntur, alij mutant animum. Christus seipsum abnegare non potest. Istam fortunam tibi gratulor, nec minus isti Reipub. quæ sibi virum tot dotibus instructum atque ornatum asciverit. Nam profiteor me civitati vestræ plurimum debere.

Carolus Blontus a tuo discessu mutavit stilum, ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ βέλτιον. Aberat enim ὁ ϑησεύς. Sapiunt Brugenses, qui tibi compedes iniicere cupiunt, utinam gratas & aureas. Precarer Vulcanio Venerem, ni me terreret Martis omen. Sed extra iocum, ubi contigerit te digna, quod opinor iam esse factum, non gravabimur epithalamium canere: nec est quod tu de præmio cogites. Non sum Simonides, præsertim erga doctos & candidos amicos. Leonardum Casimbrotum ipsius caussa semper amavi plurimum, idque me fecisse mutuo credo. Quare per Quirinum meum nihil scripserit, demiror. Vir est multis virtutibus perpolitus. Cupio scire, an fortuna meritis ipsius respondeat. Bene vale. Friburgi, Octava Paschæ, Anno CIↃ IↃ XXXIII.

Erasmus Rot. mea manu ex tempore.

Erasmus Roterodamus D. Conrado Goclenio S.

QVo modò te saluto? ὄνου ἢ βασιλεία. Terret me omen exusti templi Antverpiæ, si verus huc rumor advolavit. Ioannes Dantiscus Episcopus scribit oppidum, cuius erat dominus, & ubi habebat arcem, sic conflagrasse, ut præter rudera & mœnia nihil supersit. Antea conflagravit Culmum μητρόπολις illius. Narrantur diversis locis diversa ac prodigiosa incendia. Hoc quid sibi velit, nescio. nisi quod, quemadmodum olim Africa, ita nunc Euan-

gelium

gelium hoc quotidie adfert aliquid novi. Ioannes Campensis iam, ut opinor, reliquit Poloniam, per ambages visurus Venetiam, ut colloquatur cum Iudæo quodam, cuius copiam illi promisit Aleander, qui nunc Venetiæ plane vivit Epicureum, non sine dignitate tamen. Campensis mentionem feci in proximis ad Dantiscum literis honorificam. Eo nomine mihi gratias agit ingentes, non dissimulans se suspicatum me implacabili in illum odio teneri, quod toto quinquennio nunquam iusserim illum salvere. Hic risi satis, quum de odio in illum ne somniarim quidem unquam. Sentio Parisiis esse sodalitium Germanorum, cui præsidet Carinus, declamans quam atrocia commissa mihi condonarit ob Christum. Est illis Guinterius Andernacus, è cuius literis intelligo Paschasium frequenter ad ipsum scribere. Tibi prudenti non est opus monitore. Obruent te tandem, si frequenter ad illos scripseris.

Melanchthon vocatus est in Polöniam. Id ad me scripsit Episcopus Plocensis, qui eum vocavit. Et ipse Melanchthon in Commentario Epistolæ ad Romanos, & in privatis ad me literis, satis declarat se suorum pigere. Sub finem mensis Septembris accepi literas Delfi, mense Maio scriptas in Hispania, una cum literis Ioannis Vergaræ. Vterque promittunt pecuniam ab Archiepiscopo Toletano. Neuter tamen summam exprimit. Ad me ne umbra quidem pecuniæ pervenit. Quirino famulo, quum isthic esset, nihil dixit Delfus, nec per eum scripsit verbum.

Imo

Imo ablegavit, pollicitus ſe per proprium famulum miſſurum literas ad te. Hic ſuccurrit illud e tragœdia πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων. Quæ per Levinum ſcripſi, puto tibi bona fide eſſe reddita. Redeundi propoſitum non depoſui. Qui rumor ſparſus eſt, ſecus quam volebam. Facile ſentiuntur animi quorundam. Doleo Collegium iſtud tam cito frigeſcere, & periturum video, niſi Præſidis & Exequutorum cura vigilet, ut Profeſſorum adſit diligentia. Campenſis abeſt. Tu litigas, quamquam celebs. Reſcius varias perſonas ſuſtinet. Hæc ſcripſi per Viglium, qui mihi apud te prolixæ epiſtolæ inſtar erit. Vale. Friburgi VII. die Novembris CIↃ IↃ XXXIII.

Eraſmus Roterodamus Ornatiſſimo Viro Domino Ioanni Cholero, Præpoſito Curienſi S. P.

DVas eodem die & per eundem abs te epiſtolas accepi, quarum altera ſcripta eſt decimo Ianuarij, altera Calendis Februarij. Ad utramque reſpondeo, & paucis & aliena manu, nam dextram iam dudum totam occupat chiragra, ſic ut ne chartam aut calamum poſſim tenere manu. Quod ſcribis meam Concordiam Romæ Cardinalibus quibuſdam diſplicuiſſe, demiror ſiniſtra quorundam hominum iudicia. Sed ut videtur, illis decretum eſt, hoc publicum orbis malum ſuis remedijs curare. Ego autem

ſperabam

ſperabam auctoritate Synodi rem minoribus incommodis poſſe ſanari. Ad hoc meus libellus videbatur ſatis appoſitus. Quid Lutherus ſcripſerit in Miſſas, neſcio: nam audio illius libellum ante meum prodiiſſe. quod ſi contumelioſe tractat Miſſam, qui potuit ex meo libello ſumere anſam, quum ille nullum articulum tractet aut diligentius aut reverentius, quam de Miſſa? Sed hæc fatalia ſunt, nec dubito quin Anti-Ciceronianus, de quo ſcribis, plurimum habeat veneni. Stunica periit: ſed illi ſucceſſurus videtur Sepulveda, Alberti Pii alumnus, & Stunicæ ſodalis, Hiſpanorum omnium glorioſiſſimus, cuius libellum in me opinor te vidiſſe, inſigniter ſtultum & contumelioſum. Itali quum inſaniunt, inſaniunt luculenter. Auguſtinus Eugubinus reſpondet Epiſtolæ meæ, ſed furioſe & indocte. Equidem putabam, me cum homine philoſopho rem habere. Nauſeam unico tantum colloquio & aliquot epiſtolis novi. Is de offenſis Romanis mea Concordia pertulit in aulam Ferdinandi, ut conjicio ex epiſtola Ioannis Fabri, Epiſcopi Viennenſis. Demiror autem, quæ negotia commiſerit illi Cardinalis Tridentinus, quum, quantum ego poſſum ex libris & epiſtolis ipſius cognoſcere, non admodum præcellit ſapientia. Nam priuſquam vocaretur ad aulam regiam, per literas a me petiit, ut aliquod opus dicarem Cardinali, & in præfatione teſtarer neminem eſſe, cui negotia ardua rectius committerentur. Videtur tamen noſtri ſtudioſus. Video res Principum ac Regum ſupputatas, ſi vera

si vera narrant de Comite Mirandulano cum liberis in Italia necato; de arce Mediolanensi Gallorum insidijs impetita, de Vayvoda contra fœdus multa moliente, de classe Turcarum a Venetorum triremibus per ignorantiam male vexata, præter ea, quæ literis tu tuis commemoras, Lutetiæ terribili edicto proposito sævitur in Lutheranos, aliquot in carcerem coniectis, nonnullis metu profugis, quorum de numero quidam suspicantur esse filium Copi, qui nunc agit Basileæ, quum esset Rector Academiæ Parisiensis. Hoc an verum sit, nescio, sed Basileæ esse certum est, nam ad Berum scripsit e Basilea. Bedda cum collegis suis revocatus est, ac triumphat serio. Ante menses aliquot hic rumor fuit, aliquot certas lucubrationes meas Parisijs fuisse vetitas distrahi auctoritate cum Theologorum, tum Senatus: sed hoc mihi non fit verisimile, neque quisquam amicorum tale quiddam ad me perscripsit. Regnum Franciscanorum floret sub hoc Cæsare. De me quid sit futurum, Dominus viderit; nihil enim nunc curæ est, nisi ut synceram conscientiam præstem Christo, brevi hinc migraturus. Romæ est quidam Franciscanus, nomine Nic. Herborn, amplissimæ ditionis, quippe commissarius Cismontanus. Is Antverpiæ emisit librum Sermonum Quadragesimalium, quasi eos habuerit apud populum, quum scribat Latine, nec in his quicquam sit populare, tantum autem ineptiarum, ut nullus populus laturus fuerit talia deblaterantem. In eo libro nulla mica est nec ingenij, nec facundiæ,

facundiæ, nec ullius eruditionis, ac ne piæ quidem mentis ullum vestigium. Videtur in hoc tantum ea coacervasse, ut sub religioso titulo haberet occasionem effundendi sua venena. Ex officina miserunt ad me tres pagellas, in specimen gustumque magnifici operis. In una, præter alia convicia, hæc scribit: Lutherus magnam Ecclesiæ partem ad se traxit; nonnullam Zuinglius & Oecolampadius; maximam Erasmus. Et addit, bonum esset, si natus non fuisset homo ille. In altera vocat Lutherum Zuinglium & Oecolampadium milites Pilati, qui crucifixerūt Christū, me illis annumerans; addens, me eodem spiritu eodemque consilio scripsisse, quo scripserunt illi; nihil interesse, nisi quod ego iocor, illi rem serio agant. Adijcit dictum de Monachorum dictis melioribus, me posuisse ova, Lutherum & cæteros exclusisse pullos. Nec dubito, quin totum opus eiusmodi flosculis respersum sit. Scribunt amici synceriores, hoc genus animantium nihil non posse in aula Cæsaris. Maria nihil aliud est, quam alumna nostræ patriæ. Montegnius, qui plurimum valet, totus est a Franciscanis. Card. Leodiens. anceps & amicus; acerrimus inimicus, si quid offendatur. Archiepiscopus Panormitanus Χριστέλογος est, præterea nihil. Quod si tumultus oriantur in Germania, ego hic pulchre sedeo inter sacrum & saxum. Sed de me non admodum sum sollicitus, ego enim iam propemodum in portu navigo. Si licebit isthic commodum commorari, etiam mutata religione,

religione non suaserim migrationem. De Fuggero ex animo doleo, quod ipse sibi plus nocet, quam fortuna aut inimici. Debebat animum erigere in hac rerum tempestate, spe fortunæ melioris. Equidem libens adhortarer hominem, sed quum non novi morbi circumstantias, periculum esset, ne, ut imperitus chirurgus, vulnus sinistra curatione magis exacerbarem. Rogas, ut per hunc nuncium rescribam; verum qui duas epistolas reddiderit, fatebatur se non eas accepisse Augustæ, sed alicubi in propinquo. Puto in hoc oppido. Ex Anglia nihil omnino affertur novi: ne ex Brabantia quidem, nisi quod rumor est nimis verus, summum ibi templum magna ex parte conflagrasse. Si quid hisce nundinis novarum rerum afferetur, faciam te participem. De valetudine mea utinam possem lætiora scribere, adeo crebro me repetit hæc sive podagra, sive chiragra, sive panagra, omnes tentans artus, & aliunde alio migrans, ubi satis priorem locum excarnificavit dolor intolerabilis durat, fere quatriduum; deinde tumore oborto, fit aliquantum mitior, sed more ducum, qui multas arces occupant, relicto præsidio occupat aliud membrum, ibi de integro sæviens, rursus inde aliud levissima occasione vel redit vel incrudescit. Ne levem quidem contactum patitur, ut dicas anagyrim esse, quam Græcorum proverbia vetant moveri. Vereor autem, ne tam crebris cruciatibus hoc senile corpusculum, ac tot malis tortum, non diu sufficiat. Quirinus meus, de quo quæris, hic vivit, auditor

Zasii,

zasii, pulchre vestitus pecuniis Britannicis, habet suos consusurrones, de quo alias per otium plura, quæ partim videbis. Hæc ad primam tuam epistolam, Calend. Febr. scriptam.

Venio ad alteram prius scriptam, sed eodem die redditam. In literis ad Paumgartnerum nullam facio mentionem epistolæ, qua illius laudes prædico, tamen mitto librum De præparatione ad mortem. Civilius enim arbitror, ut se laudatum ex te cognoscat potius, quam ex me. Quoniam autem significas te languere desiderio eius libri, statim amandavi hunc puerum meum suapte sponte propensum ad iter, ne tu desiderio moriaris. Tantum vereor, ne dicas tibi pro thesauro repertos carbones. Novi Paumgartneri benignitatem semper paratam, tamen curabis, ne huic puero præter literas aut similia aliquid committatur, nisi forte velit uno aureolo augere viaticum. Nam quemadmodum apud me non diu fuit, ita non videtur diu mansurus. Si Episcopus adest Augustæ, cura ut recipiat ea, quæ per hunc mitto; si iam concessit Dilingam, iube puero, ut illac faciat iter rediens; si obambulat per varias arces, tu recipe a puero omnia, & cura ut primo quoque tempore ad eum perferantur. Idem si forte Paumgartner abest longius, non est opus, ut eum sequatur puer, sed per Christophorum Geringum famulum illius ad eum perferantur. Multi negant hoc malum esse podagram, sed sui generis esse morbum, quem vulgo Souch appellant. Eo dicuntur multi

hic labo-

hic laborare. Doleo tibi mecum tam multa mala esse communia. Verum sic est, non minima fœlicitatis pars homini fidus & aptus famulus. Fatale est, mundus impletur sceleratis hominibus sub Euangelij titulo: Et ego præter hunc duos famulos receperam, sed mature me ab illis absolvi. Curabis, ne libellus isthic excudatur, ne ea res fraudi sit Frobenio. Spero fore, ut hic puer mihi læta referat de tua valetudine. Amicos, si qui isthic resideant, meo nomine saluta. Si dextra manus fuerit reddita, scribam ad te copiosius. Vale. Datum Friburgi Brisgoiæ XIX. die Februarij, Anno a Christo nato CIↃ IↃ XXXIIII.

Erasmus Rot. tuus voce propria, manu aliena.

Erasmus Roterodamus eruditissimo Viro Cornelio Grapheo S.P.

DAmianus exhilarat me, nuncians te & animo & corpore melius habere, atque etiam fortunam esse commodiorem. Me discruciat novum malum podagra, seu panagra verius. Adeo pertentat omnes artus, aliunde alio migrans, ut vix vnquam detur respirare. Negant esse podagram, sed sui generis esse malum, quo nunc hic laborent complures. Vulgo Such *appellant. Tot cruciatibus, tot modis fractum senile corpusculum non poterit diu esse par. Maxime opus esset aliquo fideli famulo nostrate. nam Germani, si-*

ni, sicut poëta, Εὔθυμον γένος. Mallem provectiorem, quam adolescentem: eruditionem nihil moror, modo sciat Latine, & scribat utcunque: dein nulli morbo sit obnoxius, scabiei aut comitiali. Non superstitiosum ferre possum: addictos sectis non fero. Dabitur salarium quantum tu praescripseris, viginti aut viginti quatuor floreni Carolei in singulos annos. Pro vestitu hinc, ut ex liberalitate spontanea aliquid accedat, in ipso situm erit. Quod si mihi aliquid acciderit humanitus, efficiam, ut non male collocarit officia sua. Veniat sumtu meo, &, si illi forsitan displicebunt omnia, remittetur sumtu meo. Hac de re poteris communicare cum Scheto. Damianus videtur recusato officio, quod Rex offert, ad nos reversurus. Spero illum prudenti usurum consilio. Tu cura valetudinem tuam, cui cum uxore & liberis precor omnia laeta. Datum Friburgi III. Id. Martias, Anno a Virginis partu CIↃ IↃ XXXIIII.

Erasmus Roterodamus Clarissimo Iuveni Damiano a Goës Lusitano S. P.

PRandenti oblatae sunt tuae litterae, vir amicissime. Mox a prandio scripsi praeter solitum, properante nuncio. Quod tam magnifica reliqueris, precor, ut sit faelix faustumque. Ego totus sum tuus. Valetudo est afflicta, cui servire cogor. Tradam tibi partem domus satis elegantem ac semotam, ubi vivas

vitam

vitam Anachoriticam. Quod si mea non placebit, Comites a Renneborg fecerunt partem domus vacuam, in qua prius habitavi. Habebis Erasmum paratum ad omnia. De vestibus non magni refert, isthic noves an hic. Cætera coram. Vale vir amicissime. Friburgi XI. die April. CIↃ IↃ XXXIIII. Bibemus de poculo tuo quod perendie advehetur.

Quandocumque venies, invenies paratum locũ. Opinor, te nolle alere equos: Stabulum habemus elegans, sed occupatum. Etiam atque etiam vale.

Erasmus Roterodamus Nobili Viro D. Damiano a Goës Lusitano S. P.

DOleo tibi istud iter parum ex animi sententia succedere. Tua causa nihil non alacriter facturus est Erasmus. Scio, quid tibi debeam. Si tuus Matthæus caret contagiosa scabie Gallica, a qua ego semper non secus atque a morte abhorrui, tota hæc domus illi serviet: sin secus, nec illi expedierit hic esse, nisi haberet famulum proprium. Melius fuerit, ut donec convalescat sit apud chirurgum. Non sinam illum egere pecunia. Utcunque fuerit, dabitur opera ut bene curetur. Has duas epistolas ad me misit Thomas Blaurerus, quem salutabis Constantiæ, si illuc appuleris. Est vir probus, & unus e senatu. Quod literæ diu hæserunt in itinere, in causa fuit is, cui Ne-

cui Melanchthon eas commisit. Ad me venerunt XXII die Augusti, quum tu quatriduo ante discessisses. Volitarunt per manus multorum fortassis resignatæ, ut fit. Mihi reddita sunt per publicum nuncium Schapphusiensem. De domo paranda Patavij, nemo tibi melius consulet, quam Anselmus Ephorinus, & fortassis non gravabitur tecum ire Patavium. Bononiæ roga, num vivat Paulus Bombasius. Consultissimum est, ut de sectis neque bene neque male loquaris, quasi ista non cures neque intelligas. Variæ sunt hominum simulationes. Nec multum erit in rem tuam, si crebræ epistolæ inter Melanchthonem aut Gryneum & te commeent. Bene vale patrone & amice incomparabilis. Postridie Bartholomæi.

Erasmus Roterodamus Nobilissimo Viro D. Damiano à Goës Lusitano, S. P.

ACcepi tres epistolas tuas per Lucam Remium, quod tamen ignoraturus eram, nisi tu significasses. Quid actum sit de cæteris epistolis, quas tibi commendaram abeunti, non liquidò novi. Botzemus accepit suam. Sed an Io. Comes primus & Alciatus acceperit suas, nescio. Miror è Lusitania nihil venire responsi. Nescio an expediat Lazarum grandævum magnæq; autoritatis onerare domesticis professionibus. Magis conveniret tibi iuvenis, qui te

domi exerceret, tuaq; scripta corrigeret. Debes honorare studia, vt illa vicißim honorent te. In Italia turpe non est etiam canos audire publice profitentes. Si mihi capitalis esses inimicus, non potes quicquam facere inimicius, quam si schedas, quas vni tibi notavi, patiaris excudi. Quare cura ne fiat, magno mei nominis dedecore. Petro Bembo salutem plurimam, cui profecto te charum esse gaudeo. A Natali Domini gravißime decumbo, nec per cœli inclementiam possum respirare. Hæc ægre scripsi in lecto semivivus. Friburgi XI. die Ianuarij.

Erasmus Roterodamus doctissimo ac ornatissimo patri D. Petro Cursio, Rhetori in Academia Romana clarissimo, amico singulari S.P.

CVm Reverendißimus in Christo pater & Dominus D. Mathæus tt. S. Angeli Cardinalis Româ in Germaniam revertisset, nihil mihi prius fuit, quam vt ex suis familiaribus, inter quos nonnulli sunt, quibus-cum trecentos salis modios, vt est in proverbio, consumpsi, intelligerem, quid nam bonæ spei de componendis dißidijs, & resarcienda concordia Christiana afferrent, eamq; ob causam ad quærendum præstantißimum mihiq; charißimum illius aulæ principem virum literas e vestigio dedi

vt mihi

vt mihi hunc scrupulum eximeret: eram enim inter sacrum & saxum, quod aiunt, dum spe ac metu huc illucq; iactarer, constitutus; verebarq;, ne causa publica in privatis affectibus omnino desereretur. Qui cum primum epistolam aperuisset, & manum meam iam diu suis oculis familiarem agnovisset, ad Cardinalem statim accurrit, nunciatq; literas esse ab Erasmo. Quo audito Cardinalis suaviter subridens, egregie, inquit, nobiscum agitur, quod Erasmus literis suis invisat, nam annus mihi esse videtur, ex quo ne apicem quidem ab eo literarum conspexi. Quid multis? recitari eas iußit, & sub finem earum magna mea cum laude, quod de pacando religionis statu sollicitus essem, plane regia & tali principe digna verba in frequentißimo illius aulæ theatro protulit, nihil se vsquam habere, quod doctorum virorum proprium esse nolit; multaq; alia de me adiunxit, quæ molestiæ causa prudens omitto. Sed vnum tamen hoc præterire non possum, quod aureum poculum artificiocißime cœlatum, quod tum congerronibus suis forte ostentabat, transmitti ad me, veluti μνημόσυνον animi erga me sui, voluerit, vt declararet gratam sibi fuisse sollicitudinem meam. Quo ego profecto ita fui ob Phidiacum plane artificium delectatus, vt professus sim inter doctißimos & scitißimos compotores meos, qui tum aderant, inter quos fuit D. Rhenanus, & Henricus Glareanus, hic poëticæ, quæ bibax esse solet, ille historiæ deditus, me non alio

poculo vel pharmacum adversus calculum, vel ad extinguendam sitim liquorem sumpturum esse. Nam operculum, quod paulo infra crepidinem AEsculapium tornatilem habebat, medicinæ propinandæ fabrefactum, data opera, videbatur: Cyathus ipse non mediocris capacitatis, σκιρτῶντας circum habebat Satyros, & in eorum medio Bacchum ebriosulum, tanta (ita me Deus amet!) elegantia, ut iam Praxitelis opera mihi sordere perfacile possint. Sed hæc præter rem. Perlectis literis meis, respondere mihi iussit, Paulum III. Pont. Max. ab ipsa statim electione pollicitum esse sibi, & Reverendissimo in Christo patri & Domino D. Bernardo Cardinali Tridentino, concilium se congregaturum, ut infinita malorum examina apud Germanos funditus extirpentur & eradicentur. Reliquum esse, ut ipsi homines eruditos & cordatos passim in Germania cohortentur, ut Religioni ferre suppetias velint. E quibus plusquam monogrammum amplissimus Præsul me primum nominare decrevit. Sed tamen committere non voluit, quin me de nonnullorum impudentia, de quibus Romæ intellexerat, admoneret, qui Theoninis dentibus famam meam arroderent & lacerarent. Idq; eo consilio fecit prudentissimus & hoc prope facto illustrissimus princeps, ut labes mihi aspersas prius abstergerem, quam huic studio me præpararem. Equidem non ignorabam Romæ esse, qui nomen meum sugillarent; sed tamen qui mihi tam manifestam calumniam impingeret,
quam

quam a te fieri audiebam, hominem esse natum ne nunc somniare quidem potui. Aiunt enim te detorquere, nescio quam voculam impressorum incuria depravatam, ad meam ignominiam, adeoque fulmina quædam orationum scribere, & misellum Erasmum in sacerrimis studijs desudantem ita traducere, ut nunc omnia fora, omnia templa, omnia compita, omnia convivia, nihil aliud crepent, quam sacrilegum Erasmum, & sexcentis tauris Phalaridis dignum. Quo audito mirari principiò, deinde obstupescere, postremò etiam obstipescere cœpi, quid te induxerit, ut mihi non alia ratione, quam iniuria notus esse velis, nomen enim tuum alioqui nunquam audieram. Age mi Petre, te oro obtestorq́ per viscera Christi, cogitemus quanto in discrimine versemur, quot hæresum diluvia, quot bellorum tumultus, quot dißidiorum incendia Christianum orbem inundent. Missas faciamus has tam insignes calumnias, cuiusmodi multas obijcere etiam diligentißimis & sanctißimis Doctoribus poßis. Nam, ut tandem ad rem veniamus, quid obsecro flagitij commisi, quod Attalum ceu imbellem notaverim, quem Hecatæus in Dionysium ἀπόλεμον καὶ ἄμαχον adpellat. An mihi dependendum est, quod typographorum ignavia commisit? At si non eram ego in Anticyram relegandus perpetuò, qui bellicosißimæ omnium nationum Italiæ auferre hanc gloriam conarer; certe nominis mei oblitus esse videri possem, si Latinorum Græcorumq́ hominum scripta omnia Italiæ lau-

dibus amplissimis scatere non meminissem: præcipue vero his, quæ ad literarum & militiæ gloriam spectant. Verum adeo nullam in me suspicionem inferendæ iniuriæ extare nunc, aut extitisse unquam testis est mihi animus meus, cum haud recte meminerim, vbi de Attalis *ista scriptis meis prodiderim, neque eram id vnquam animadversurus, nisi amanuensis meus recordatus fuisset in* Proverbio Miconius calvus, *tale quippiam esse, vbi statim deprehendi formularios, quibus non satis familiare erat* Attalorum *nomen, ex eo* Italum *fecisse. Atque vtinam mihi non quotidie huiusmodi tragœdiæ excitarentur! Nuper enim cum inter imprimendum excusores aliquot conquesti fuissent me sibi xenia nondum persolvisse, exortus est inter eos quidam cæteris vinolentior, qui profiteretur se pœnas a me exacturum, ni darem: atque id profecto veterator tam egregie effecit, ut aureis nummis trecentis redimere eam ignominiam voluissem. Cum enim in* Vidua *mea, quam* Serenissimæ Hungariæ Reginæ *dedicaveram, ad laudem cuiusdam sanctissimæ fœminæ inter alia liberalitatem illius in pauperes referrem, hac verba subiunxi:* Atque mente illa vsam eam semper fuisse, quæ talem fœminam deceret *Vnde scelestus ille animadvertens sibi vindictæ occasionem oblatam esse,* ex mente illa mentula *fecit. Itaque volumina mille fuere impressa. Quid igitur mirum, si istorum hominum quispiam vel per errorem vel sciens volensque fefellerit? Hoc*

profecto

profecto constat in archetypo meo Attalum *scriptum esse. Sed, nescio quo fato, bis iam hæc vox magnos mihi tumultus peperit. Reprehensum enim à Lovaiensibus Theologis in me fuit, quod Actor.* 14. *ex* Italia *mutarim ad fidem Græcorum codicum* Attalia, *atque ob eam causam me prope impium esse proclamabant, quod negarem Paulum unquam in* Italiam *venisse, quasi vero non tota fere Apostolorum historia id pertractet. Nunc vero rursum, quod librarij* Attalum *in* Italum *commutarint, me omnino inscio, novum a te mihi bellum indicitur, adeoque* ἄσπονδος, *ut aiunt,* πόλεμος. *vix arbitror usquam aliàs calamitosissimam* Aten *infestiorem mihi sese exhibuisse, quam in* Attalia *cognata sibi voce, vel ipso etiam sono metuenda. Cæterum, charissime frater, admonitum te velim, ne vel tuo ipsius iudicio vel instinctu aliorum reipsum in huiusmodi præcipitia abijceres, in quibus prope semper plus inest incommodi, quam gloriæ, si hac via adgrediaris aucupandæ gloriolæ rationem, nihil efficies aliud, quam ut totum te deridendum propines alijs. Respondere debes tuis, qui nomini tuo isthic officiunt conanturq́; tenebras offundere. Comperi enim postea te Archilochum habere, quem in nomen tuum proprio rabies armavit* Iambo. *In eo tu conficiendo olei plus debes consumere, quam in appetendo* Erasmo, *qui iam depontanus senex tot exantlatis molestijs, nihil aliud est, quam asinus non omnino iners*

 inter si-

inter simias. Illi rursum, qui mihi insultant, canes videntur esse in præsepi, qui armenta a fœno invidis latratibus abigunt, quo ipsi non vescuntur. Quod si cognovero, quod equidem non spero, te vel tantillum contra me publicare, experieris (ni fallor) Erasmum, iam LXX annos natum, neque edentulum esse omnino, neque exunguem. Si verò modestus (ut spero) fueris, tibi gratias quoque sum habiturus, qui me librariorum ignaviæ commonefeceris. Sunt enim Chiliades meæ auctæ multis decurijs, quæ tamen ad centuriam non perveniunt, revocatæ sub prælum, ubi literulas has mutari curabo, quæ mihi, ni mature pervenissem, magnæ tempestatis causa futuræ fuissent. Quod reliquum est, dare operam debemus, ne bonæ literæ apud imperitos male audiant propter inanes digladiationes, quæ tandem, nisi dimicare in frivolis rebus desierimus, non modò putribus ovis a plebe promiscuâ dirimentur, sed etiam cathenis, quibus vesaniam nostram coërceant. Deus Opt. Max. faxit, ut submißis animis nostris suscipere illius gratiam poßimus, cuius præsidio nefarios Ecclesiæ hostes prosternere valeamus. Vale, & nomine meo Genesium Sepulvedam, & Augustinum Eugubinum, viros insignes, cohortare, ut studijs suis labefactis rebus succurrere potius velint, quam Pantalobi esse. Datum Friburgi Brisgoiæ, V. Id. Ianuarias, CIↃ IↃ XXXV.

Mitto amicis aliquot meis urbanis unum atque alterum huius epistolæ exemplum, ut alienati a me

accusa-

accusatione tua, eo celerius atque facilius fiant de innocentia mea certiores.

Erasmus Roterodamus Clarissimo D. Damiano a Goës Lusitano S.P.

VTinam in rem tuam esset, Damiane charissime, his ædibus vel nunc tuo uti arbitrio. Nunquam mihi visæ sunt neque tutiores, neque ornatiores, quam te hospite. Sæpius tamen scripsi quam semel, sed non semper perfertur quod traditur. Negotiatores gravatè recipiunt literas studiosorum. Lucæ Remo gratias egi, & ille pollicetur operam suam prolixe. Non dubitabam, an tu bona fide commisisses literas meas famulo tuo, sed an ille omnes reddidisset, dubitabam, & adhuc subdubito. Scripsi per eum ad Schetum & Vtenhovium. Nullo vestigio deprehendere possum, eas esse redditas. E Lusitania nihil ad te redire valde miror. Mea valetudo semper vergit in peius. Animus meditatur ex hoc misero domicilio emigrare: quod utinam fiat favente Christo! Aliquot amici nos præcesserunt in Brabantia; Viandulus egregie doctus, Martinus Davidis hospes quondam meus, Bruxellæ; Petrus ÆEgidius Antverpiæ, & Franciscus Delfus; hîc Botzemus: perierunt & senes aliquot mense Aprili. Multæ gravidæ abortierunt. Ego graviter discruciatus sum,

ita ut iam vultures aliquot excitarim. Arbitror vertiginem tuam iam abisse. A lectione temperandum est. Multum discitur litteratis confabulationibus. De schedis supprimendis, habeo gratum, & ut pertendas rogo Sigismundus Gelenius tuo nomini dicavit Annotationes in Plinium iam tertiò ab ipso castigatum. Sed mire inposuit illi codex manu descriptus, in quo sciolus aliquis è suo capite mutavit quicquid libuit, & quodam modo novum Plinium nobis dedit. Admonui, ne fideret illi exemplari, sed auditus non sum. Hermolaus non ausus est mutare lectionem Plinianam. Gelenius se putat rem mirificam præstitisse, ego censeo crimen esse inexpiabile. Ecclesiastes meus iam exeuditur, nondum dedolatus, sed quum flagitaretur; hoc malui, quam posthumum esse partum, non ignarus qua fide tractentur opera defunctorum. Libris quatuor absolvetur. Itali paßim in me debacchantur maledicis libellis. Romæ excusa est Defensio Italiæ adversus Erasmum, dicata Paulo III. Rixa nata è duobus verbis meis non intellectis. Ea sunt in proverbio, Miconius calvus. Veluti si quis Scytham dicat eruditum, Italum bellacem. Hoc interpretantur, quasi notarim Italos quod sint imbelles, quum his verbis Italia laudata sit, non vituperata. Edere, bibere, loqui verba sunt media, edacem, bibacem ac loquacem esse, sonant in vitium. Ita bellacem esse, non est laudis, sed vituperij. Scythæ ob barbariem & naturæ inmanitatem

nitatem contemnunt omnes disciplinas liberales, ad arma tantum intenti. Itali colunt philosophiam, disciplinas, & eloquentiam, quæ pacis alumnæ sunt, Scytharum ex diametro dissimiles. Vides egregiam apologiæ materiam. Prodiit & alius libellus cui titulus, Cicero relegatus, & Cicero ab exilio revocatus, qui tamen me non magnopere petit. In eo Cicero odiocissime laceratur, frigide defenditur. Et alius paratus, cui titulus, Bellum civile inter Ciceronianos & Erasmicos, quasi ego sim hostis Ciceronis. Aiunt & Doletum quendam in me scribere. Minitatur nescio quid & Iulius Scaliger. Sunt aliquot iuvenes male feriati qui conspirarunt in Italia & Ciceronis hostem. Nec desunt artifices, qui instigant partim odio mei, partim ut aliena fruantur insania. Romæ sparserunt epistolam, quasi a me scriptam, plenam iocis scurrilibus. Augustini Eugubini monachales nænias arbitror te vidisse. Ego ista nec lego. Lutherus iam nihil edit, in quo non perstringit Erasmum papistam & Christi adversarium. Homo simpliciter furit, concepitq; parricidiale odium. Salutem dixi quibus iusseras, excepto Bero, qui Romæ agit: cuius reditum expectamus hoc mense. De Bombarba scribet ipse Gilbertus. Mihi si vivere velim in totum abstinendum est à scribendo, imo à studiis omnibus. Quanquam mihi sane non videtur vita, vivere sine commercio studiorum & in assiduis cruciatibus. Sed Dominus est, in cuius manu sumus omnes. Ex literis Beri cognovi

te lustrare Italiam. Cupio te quam prosperrime valere, Damiane charissime. Friburgi XXI. die Maij CIϽ IϽ XXXV.

De Plinio depravato ideo admonui, ne sinas eum autorem edi rursus ad hoc exemplar: alioqui bene volo Gelenio, ut promeretur.

Erasmus Rot. mea manu.

Erasmus Roterodamus M. Conrado Goclenio S. P.

BAlthasar Austriacus tuus discipulus affirmat se proprium famulum missurum Lovanium, ei commisi literas ad te, & ad Iodocum Sasboutum, apertas, ut, si videtur, cures ad illum perferendas. Illud ne te fugiat, Cannium nihilo esse synceriorem Hagio furioso. Quicquid veneni hauserat ex Alardo, in sinum huius effudit, aspis viperæ. Idem fecit scurræ Polyphemo. Miror unde aut quò Cannius, quum isthac faceret iter. Hagij colloquio & Quirinus Talesius infectus est, & vicissim suum virus in huius sinum effudit. Nihil enim reticuit Hagius, nec posset. Suspicor quod & Gandavi Carolum Vtenhovium alienarit. Nihil enim scribit, solitus crebro me litteris appellare. Delphus nihil ad me scripsit, nec puto illum esse syncero in me animo. Quemadmodum nec Morillonum. Ex quo repetijt Hispanias, verbum

verbum ad me non scripsit. Hic paulo melius habeo. Itaque fortaßis hybernabo, proximo vere, volente Deo, Burgundiam vicinam petiturus. Quod tibi narravit Theobaldus de pensionibus per Bodyllum ad me mißis, puta ἀνεμώλιον εἶναι. Mitto epistolam ad Sasboutum apertam, ut, si videtur, illi transmittas. Bene vale.

Placet Lambertus, quem misisti, iam alterum e-ram nactus Antverpiensem. Tres habebo, donec Gilbertus abeat, iam factus Canonicus. Cum neutro famulorum novorum pactus sum. Si opus eo, quem commendas, significabo. Pro officio tuo habeo gratiam. Est Friburgi quidam fucatus amicus, per quem non licuit nec famulam nec famulum habere frugi. Eius nomen tibi prodam aliàs, ut caveas. Nam post Nundinas forte mittam proprium nuncium. Aleander denuo emisit librum furiosum sub nomine Doleti: quo & Morum, quem acceperat esse in carcere, ulciscitur; & Villenovanum mendicum mortuum, facit imperiosum, Morum timide loquentem. Furia Romæ subordinavit Cursium, qui scripsit in me. Exceditur nescio quid Mediolani. Romanenses velim nolim pertendunt me censu onerare, quo mox fiam Cardinalis. Nam id serio fuit agitatum. Pontifex est mire propensus in me, & sex Cardinales cum oratore Lusitaniæ sedulo moliuntur. At ego scripsi, me nec sacerdotia, nec pensiones recepturum. Breve Pontificis ad te mitto. Iterum vale. Postridie Cal. Sept. CIↃ IↃ XXXV.

Saluta Rescium, & Hebrææ linguæ Professorem. Balthasar à Khieveringe tuus discipulus apud me fuit. Visus est iuvenis perhumanus, ac bene Latinus, tuiq; amantißimus.

Erasmus Roterodamus nobili cum primis & omni Virtutum genere perpolito Viro D. Damiano a Goës, Lusitano S. P.

VEtra mensem iam perpetuo lecto sum affixus, cruciatu vix credibili, certe intolerabili. Nec spes est recreandæ valitudinis eius, ob vrgentem hyemem. Non horreo mortem, sed opto magis, si Domino placeam. Ad vetus malum, quod ex intervallis solet recurrere, acceßit exulceratio extremæ spinæ, cui cogor incumbere, sive iaceam, sive sedeam. Huic crudelißimo dolori nullum est remedium, quod oporteat ipsi vulneri semper incumbere. Vtinam cruciatus sint tolerabiles, sed Dominus est, hic secet atque vrat, modò parcat in æternum.

Erasmus Roterodamus Nobili viro Damiano a Goës S. P.

Amice magne, Scheda addita literis meis suppeditabit causam iustiorem, quam vellemus, qua me excuses egregijs illis literarum heroibus Bembo, Bonamico, & Cœlio, quos ego toto pectore suspicio venerorq́ꝫ. Epistolam tuam accepi per Lucam Remum, sed serius XV die Decembris: non ipsius culpa, sed nuncij. De Rensendo, non possum satis mirari. Valeat ille tam rustice ingratus. Ecclesiastes iam opinor isthic prostat. Excusa sunt duo milia voluminum & sexcenta. Nunc denuo excusus est minore forma. De Commentarijs Iacobi Sadoleti, mihi tale quiddam præsagiebat animus. Admonui illum literis, quatenus licuit tantum admonere Præsulem. Insumpsit in hoc opus inmensos labores. Audio nec à Sorbonicis probari. Gelenio, viro bono ac docto, optarim fortunam aliquanto commodiorem. Divitias vix optarim. Nunc penia adigit illum ad honestos labores. Adolescens, quem mihi commendas, nondum me adijt: curabo, vt accipiat epistolam suam. Gilbertus me reliquit, iam Canonicus. Cantabit missam. AEdes vendidi ac suppellectilem distraxi, non magno lucro meo, nec tamen prorsus infæliciter. Italice non intelligo, sed curabo vertendum, quod vertit Polus. Mitto

vicißim

viciſsim hiſtoriam bonæ fidei; in qua qui ex Anglia redeunt, & actis interfuerunt, negant quicquam eſſe falſi; niſi quod pauciores Carthuſiani fuerunt affecti ſupplicio. Cupiebam tecum pluribus agere, amicorum dulciſsime, ſed vix credas quam hæc ægre pararim. Vale, & ſaluta amicos. Baſileæ XV. die Decembris, CIↃ IↃ XXXV.

Eraſmus Roterodamus Conſiliario cuidam S. P.

OMnes boni publice tibi debent plurimum, Vir clariſsime, qui in iſta conſtitutus dignitate, conſtanti animo ſtamen vſque rerum teneas. Nam ſynceri iudicis præcipuæ partes ſunt, vt malos coërceat, bonos ab improborum iniuria vindicet. Ego vero privatim etiam tibi debeo, quod olim in Goclenij cauſa effeceris, vt ille iuſta conſequeretur, & poſt eodem animo conatus ſis manifeſtam iniuriam ab eo depellere. Huiuſmodi rixas nobis ſuſcitant Harpyæ Romanenſes, vt nec apud Gallos, nec apud Scotos, nec apud nos vllum ſit ſacerdotium, pro quo non ſit annis aliquot litigandum. Optarim Anglos cum Pontifice concordes eſſe. Illud tamen iam olim bene proviſum eſt ab illis, ne quid litium apud ipſos excitet Romana Curia. Etiamſi Goclenij cauſa aliquâ ex parte laboraret, tamen vir ille, qui ſua doctrina & iuvat & ornat Cæſaris ditionem, dignus

erat, qui

rat qui iudicis favore sublevaretur. Nunc quum causa sit iustissima, quam indignum est, talem virum a publica utilitate ad istas turbas avocari, cum summo studiorum detrimento. nec sine iactura autoritatis, qua Concilium istud semper polluit apud Brabantos. Spero Goclenium bonorum virorum auxilio iam tranquillitati studijsq; redditum esse. Quod si nondum contigit, etiam atque etiam rogo, ut illi eum animum præstare pergas, quem hactenus præstitisti. Hoc officio tibi devincies omnes, qui vel liberalibus studijs, vel istius Concilij favent autoritati. De me nihil dicam, qui iam olim sum in ære tuo totus. Vale. Datum Basileæ IIII. Calend. Iunias Anno CIↃ IↃ XXXVI.

Erasmus Roterodamus M. Conrado Goclenio S.P.

SCribe inquis Cancellario, quasi habitem Mechliniæ. Hic vix intra quatuor menses contingit, cui literas recte committamus, si tamen contingit ullus. Si literæ tuæ venissent ad nundinas, potuissem per nundinas respondere. Nunc quando hæc epistola ad te perveniet? Interim spero tua causa feliciter catastrophen sortita fuerit. Scripsi tamen. Quum epistola tua mihi redderetur, sic eram afflictus, ut nunquam in vita gravius. Itaque per dies aliquot, ne legere quidem potui. Mihi nunquam

arrisit Antverpiensis præbendæ negotium. Id posteaquam viceras, credebam nihil non successurum. Quod si nunc quoque successerit, suaserim tamen, vt aliqua commoda conditione te submoveas ab illo grege. Ad absentem non multum redibit emolumenti; si præsens, erit tibi vivendum in loco pestilenti, serviendum convivijs, desidendum totos dies in Capitulo, simulandum ac rixandum. Si quæ te vrget necessitas, scito meam pecuniam esse tuam. Suspicor harum molestiarum τεχνίτην esse eum, qui Scaligeros, Doletos, & Merulas in me subornat. Non sat habet homo, Iudaice vindex, impetere me, nisi & meos impetat. In furioso Dialogo Doleti vexatur Morus: habet Leodij, qui suffundit frigidam, & hominem ad maliciam instruit. Heroinam à Nassauwen Hispanus quidam huc venientem suis literis commendarat. Me iubes ad illam scribere, & ego nescio vbinam agat. Significabas enim discessuram. Si mea bene novisses, debebas illi respondere, me necessariò valetudinis causa reliquisse Friburgum, hoc animo, vt Ecclesiastà absoluto Besontium peterem, ne non essem in ditione Cæsaris, sed hîc ingravescens valetudo cogit hybernare. Hîc enim, quamquam sum apud amicos sincerißimos, quales Friburgi non habebam, tamen ob dogmatum dissensionem malim alibi finire vitam. Vtinam Brabantia esset vicinior. Nescio an mihi fuit commodum causam tuam Cancellario commendare ob Panormitanum, quem alienare

non ex-

non expedit. Opinor tibi redditas literas, quas per nundinas superiores misi, tibi, Rutgero, Andreæ, Lypsio, & Scheto.

Quid necesse fuit, Rutgerum interpretari Græcas Institutiones e Latino versas? Conducibilius erat interpretari Demosthenem, Lucianum, si quid haberet asti, Tragœdias gravibus sententijs refertas, ac similes autores, unde discitur Græci sermonis elegantia. Sed ille totus ad quæstum spectat, & graviter perdit istud Collegium. Vale. Basil. IIII. Cal. Iulias CIƆ IƆ XXXVI.

Erasmus Rot. ægra manu.

Epistolæ Erasmianæ Fragmentum.

Vtraque pars sic tendit funiculum, vt vtriusque malo rumpatur: & hinc hic orbis tumultus. Tollunt omnes imagines, rem cum primis & elegantem & vtilem. Tollatur colendi superstitio, tollantur imagines templis indecoræ aut immodicæ, idq; paulatim, & sine tumultu. Volunt eijcere sacerdotes; dent operam, vt sint sacerdotes docti & pij, nec temere admittatur ad hoc honoris, nisi probatus & dignus. Erunt pauciores: quid tum? Præstat habere tres bonos, quam trecentos inutiles. Non placet illis cultus Ecclesiasticus. Multa canuntur ac fiunt in templis inepta; corrigantur vitia idq; paulatim,

paulatim, maneat cultus. Execrantur Missas odio sordidorum sacrificulorum, qui nihil aliud didicerunt quam missare, cætera Laïcis prophaniores. Submoveantur illi conductitij, ac more veterum unum sacrum celebretur in templo, aut in festis diebus duo: mane unum privatum, ob famulos & hospites; alterum circa decimam. Indulgentiæ iam explosæ sunt, quibus aliquot seculis impositum est mundo, adiuvantibus monachis, conniventibus Theologis. Qui putant Missas & parentalia nihil prodesse defunctis, erogent in pauperes vivos, quod vulgus a morte iubet fieri. Ne molesti sint ijs, quibus persuasum est vivorum bona opera prodesse defunctis, quæ vivi curarunt ut fierent. Quibus persuasum est, sanctos nihil agere apud Christum, invocent bona fide Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Divos colant ac venerentur imitando, ne obstrepant qui pio affectu colunt & invocant eos. Superstitio reprehendatur, affectus probetur, quem puto Christo non esse ingratum, etiamsi sit erroneus. Non sentiunt Sancti vota nostra: at Christus sentit, ac pro illis donat quod petimus. Quibus persuasum est, Confessionem non esse partem Sacramenti, nec a Christo institutam, servent tamen eam ut rem salutarem, a patribus inductam, & multorum seculorum consensu probatam, donec aliud de ea statuat Ecclesia. Et in confitendo adsit synceritas, absit superstitio. Non multum gravabitur Confessione, qui deligit idoneum sacerdotem, qui non confitetur nisi manifesto

mortalia,

mortalia, & qui cavet ne quod facinus capitale admittat. De Purgatorio in suo quisque sensu abundet, non est quod ob hæc scindatur Christiana Charitas. De Libero Arbitrio disputent in Sorbona Theologi, Laïci simpliciter ambulent & confidenter. Sive iustificent Bona Opera, si ue non, nihil refert, modo conveniat, ad salutem non sufficere Fidem sine Bonis Operibus. De Baptismo servetur, quod tot seculis servavit Ecclesia. Posset tamen vnicuique parenti relinqui liberum, vtrum malit statim tingi infantem suum, an differri vsque ad adolescentiam, modo interim diligenter instituatur in dogmatibus orthodoxis & sanctis moribus. Anabaptistæ nullo modo ferendi sunt. Apostoli iubent nos obedire magistratibus, & isti gravantur obedire Principibus Christianis. Communio bonorum sit ex charitate, possessio & ius dispensandi maneat penes proprietarium. Si de Eucharistia sic inter se ambigunt, vt quotidie pariant novas & absurdas opiniones, quanto consultius erat manere in vetere sententia, donec vel Synodus universalis, vel revelatio divinitus aliquid aperiat certius. De adorando scrupulus facile solvitur. Nemo adorat Eucharistiam, nisi ibi sit totus Christus. Nec quisquam tam demens est, vt humanam Christi naturam adoret pro divina. Divina autem nusquam non est præsens. Abusus huius sacramenti possent corrigi. Olim non ostentabatur, sed servabatur inclusum in loco mundo. Nec circumferebatur in ludis, aut per agros

ab equite

ab equite sacerdote. Volẽtibus sumere, porrigebatur. Nunc in Anglia nulla est domus, nulla caupona, pene dixeram Lupanar, vbi non sacrificetur. Hæc vendũt Cortisani. In cæteris item si vtrinque adhiberetur moderatio, fortaßis hi tumultus paulatim redirent in aliquem tranquillum statum. Hoc consilium sequutus est Dux Iuliacensis, & fatetur prospere cedere. Nec dubito, quin idem futura sit vestra civitas, si per Ecclesiastas liceret. Vereor, ne illi suum agant negotium, vt sint in tuto.

FINIS.

Justi Lipsi
POLITICORUM
Sive
CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI SEX;
Qui ad Principatum maximè spectant.

Cum Ordine & Indice, non solùm Auctorum, sed etiam sigillatim Librorum & Capitum.

FRANCOFURTI.
Typis Egenolphi Emmelij.

M. DC. XV.

IMPERATOR, REGES, PRINCIPES,

AMPLUM & illustre vestrũ munus est, quod sustinetis. Quid majus inter homines, quã unum pręesse pluribus; leges & jussa ponere; maria, terras, pacem, bella moderari? Divinitas quædam videtur hæc dignitas: & est profectò, si salutariter atque ex usu publico administretur. Sed hoc quàm arduum sit, cum ratio nos docet, tum exempla. Illam si inspicimus, quantæ molis, ab uno capite tot capita coërceri, & univer-

ſam illam multitudinem, inquietam, diſcordem, turbidam, leniter redigi ſub commune quoddam Obedientiæ jugum? Si hæc; quam pauci ab omni ævo reperti, qui laudabiliter hoc munere functi & defuncti? Nimirum majus quiddam eſt quàm imperiti ſuſpicentur, curſum rectũ in undoſo illo mari tenere, & in ſumma Fortuna non abripi licentiæ ventis. Quàm multis virtutibus opus eſt, quibus velut anchoris hæc navis firmetur! quàm variâ prudentiâ, quo velut clavo gubernetur! Ut veriſſimè dixerim, difficile eſſe homini in hominẽ imperium: nec unius mente unquam dirigendum. Ideò meritò laudandi Sapientes, quibus olim

& hęc nunc cura, ut ſalutarium monitorum face prælucerent imperanti. Qua enim in re melius mereantur de genere humano? In moribus aut ſcientiis aliquid præcepiſſe, laudem & uſum habet: & non magis in regno & adminiſtratione civili. cùm illic unum aliquem civem meliorem doctoréve faciās; hîc, in uno omnes. Nam ita profecto eſt. arctâ quadam cathenâ devincti ſumus, qui imperamur, cum imperante. & ut in corpore mens ſana aut inſana eſſe non poteſt, niſi ut pariter vigeant aut langueant ejus functiones: non item in hac ſocietate, Princeps. Ad virtutem ille præit? ſequimur ad vitia? inclinamus. Benè beateque agit? floremus. impro-

 ſperè?

ſperè? labimur aut ruimus cum illo. Atque ut à Sole in ſubjecto hoc orbe lux aut tenebræ: ſic à Principe apud ſubditos prava pleraq; aut recta. Cæſar ille non animosè magis, quàm verè dixit:

Luc.1. —— *Procerum motus hæc cuncta ſequuntur.*
Humanum paucis vivit genus.

Ergo eximia hæc ratio de Republica benè merēdi, de Principe benè mereri, id eſt, ducere eum & dirigere ad metam illam Publici boni. Nam hic, ne erretis ô Principes, veſter finis. Præeſtis hominibus, ſed hominum cauſâ: nec domini modò & arbitri rerum, ſed tutores & adminiſtri eſtis. Mali improbique illi, qui in imperio non

niſi

nisi imperium cogitant; superbi, desides; & qui se non civibus datos arbitrantur, sed sibi cives. Nā sicut sidera illa splendorem habent; sed ut usibus mortalium deserviant: sic vos dignitatem, sed cum munere officioq́ue devinctam. Collata est in sinum vestrum à Deo hominibusq́ue Respublica: sed nempe in sinum, & ut foveatur. O verè justum & legitimum illum Principem, qui in summo fastigio, non magnus magis quàm bonus audire desiderat: & duas res diversissimas, Potētiam ac Modestiam, miscet: Quem prodeuntem, certatim velut beneficum & salutare quoddam numen aspiciunt; inter amorem timoremq́ue metij; & alternis judi-

judicijs ambigẽtes Dominum, ſalutent an Patrem. Hæc illa ſunt, Principes, præclara tuta: ad quæ veteris: & ego vos vocamus. audite. nec ideò conſilia noſtra aſpernemini, quia eſtis ſupra juſſa. Nam ut illud in principatu beatiſſimum eſt, non cogi: ita miſerrimum, non ſuaderi. Sunt apud vos fateor, qui conſilii tui copiam aſſiduè faciant: ſed utinam conſilii fidi ſemper & recti! Alphonſus olim eximius ille regum, interrogatus, Qui eſſent optimi conſiliarii? Mortui, reſpondit. libros ſcilicet & hæc talia monimenta intelligens, qui nihil blandientes, nihil celantes, puram meramque propinant veritatem. Ea ut ſenſibus veſtris inſideat; & quæ
optima

optima ſunt aut per me cogno-ſcatis; aut mecum recognoſca-tis: te qui Æterna Veritas es, ex imis ſenſibus precor, Valete

IMPERATOR,
REGES,
PRINCIPES,

& ſalubriter diu regnate.

AD LECTOREM

De

CONSILIO ET FORMA

Nostri Operis.

QUISQUIS es *Lector, paullùm in vestibulo hoc siste. Non diu te morabor, nec ambitiosè addam muneri meo pompam: saltem Consilium instituti operis nosce, & ejus Formam. Quod nunc tibi damus, Politica esse vides. in quibus hoc nobis consilium, ut quemadmodum in Constantiâ cives formavimus ad patiēdum & parendum, ita hîc eos qui imperant, ad regendum. Quod fecisse ante me alios*

Finis hujus scripti.

alios nihil abnuo: & eximie fecisse, inprimis illos veteres: inter quos Plato praecellunt & Aristoteles: sed hic magis. Quo minor est, quisquis maximus est hominum. *Sed hi tamen de Rep. universa & communiter scripserunt: ego velut partem aliquam magni hujus agri colendam mihi sumpsi,* PRINCIPATUM. *Quod ipsum etsi inter veteres suavissimus scriptorum Xenophon fecit: tamen parum profectò, si verum amas, distinctè, aut plenè, & addo, quod in priscis aut barbaris illis ritibus, haud usquequaq; conuenienter ad hoc ævum. Nam qui nuper aut herè id tentarunt, non me tenent aut terrent. in quos, si verè loquendum est, Cleobuli illud vetus conveniat:* Αμυσία τὸ πλέον μέρος λόγων τε πλῆθος, Inscitia in plerisque, & sermonum multitudo. *Nisi quòd*

Priscii quoq; in hac materie.

Sed nō tàm presè.

Nec tā nobis aptè.

Laërt. in Cleobul.

Novitii plerīq; futiles.

Machiavellus mihi vir est. Sed interdũ haud rectus.

unius tamen Machiavelli ingenium non contemno, acre, subtile, igneum: & qui vtinam Principem suum recta duxisset ad templum illud Virtutis & Honoris! Sed nimis sæpe deflexit, & dum commodi illas semitas intentè sequitur, aberravit à regia hac via. Cum venia igitur nos quoq; hæc scribimus: præsertim alio quodam & novo planè modo.

Forma nova nostri operis. Cõcinnata ab aliis; Maximè ab Historicis.

Nam inopinatum quoddam stili genus instituimus: in quo verè poßim dicere omnia nostra esse, & nihil. Cum enim Inventio tota & Ordo à nobis sint, verba tamen & sententias variè cõquisivimus à scriptoribus priscis, idq; maximè ab Historicis: hoc est, vt ego censeo, à fonte ipso Prudentiæ Civilis. Nec huc ambitio nos aut novitatis vẽtus impulit (ingenuè adtestor:) sed tuus fructus.

Usum hoc habet.

Quid vtilius potui, quàm tot Sententias in unum conduce-

ducere, pulchras, acres, &, ita me Salus amet, ad salutem natas generis humani? Nam quod ego eadem dicerem: ecquando mihi eadem vis, aut fides? Ut in uno aliquo telo aut gladio multnm interest, à qua manu veniat: sic in sententia, ut penetret: valdè facit robustæ alicujus & receptæ Auctoritatis pondus. Atq; ea veteribus adest. Nec verò nudas aut sparsas Sententias dedimus, ne diffluerent, & esset, quod dicitur, Arena sine calce: sed eas aut inter se haud indecenter vinximus, aut interdum velut cæmento quodam commisimus nostrorum verborum. Ad summam, ut Phrygiones è vario coloris filo unum aliquod aulæum formant: sic nos, è mille aliquot particulo uniforme hoc & cohærens corpus. Quod ipsum figuris etiam & vario sermonis ductu ornare ausus sum:

Et fidē.

Centonem quendā fecimus.

Sueton. Calig.

Figuras ver-

ut non

Eorum sententiarũq; miscuimus. *ut non colorem solum haberet, sed quasi spiritum & vitam. Hoc totum quam arduum, in ardua ista materie, mihi fuerit, frustrà dixerim apud non expertum.*

Scripti hujus moles & molestia. *Si quis volet per tentamentum & jocum pauca aliquot Capita concinnet in Populi aut Optimatium statu: nam eos non libavi.* ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα: Ecce Rhodus, ecce saltus. *Atq; eò major mihi molestia, quod per hæc aliena vestigia sic iverim tanquam in liberrimo cursu.*

Politica nos in artẽ redegimus. *Definivi, divisi, excepi: & nihil omisi, quod faceret ad formam faciemq; perfectæ artis. Rationes imò dictorum etiam addidi: non ignarus, plerosq; hominum, ut Catonem illum affici, qui jam tum puer ita præceptori suo credebat, ut tamen identidem posceret & caussam.*

Brevitati studuimus. *Atq; hæc omnia, pro rerum quidem magnitudine, breviter præstiti.*

Nec

Nec enim ad disputationes aut amœnitates me diffudi, sed pressis habenis currũ hunc, ut sic dicam, continui intra orbitas Usus & Actionis. Ea mihi in oculis; ideoque nec ad tenuium rerum monitiunculas abij, contentus Communia quædam præcepta dedisse, & velut decreta. Nam legem brevem esse oportet, *ait Romanus noster Sapiens*; quæ jubeat, non disputet, *atq; hoc servavi. Quid autem opus aliter?* Ut *is, qui jaculari alium docet, satis habet manum oculósq; ejus dirigere ad certos quosdam scopos: ille deinde arte eâ utitur in quocunq; loco aut intervallo: sic animus, qui semel principia ista firmiter hauserit, facilè ad alia transferet, nec monitorem in singulis requiret. Semen quamvis exiguũ in bono solo sparsum facilè comprehendit & se explicat: breve item moni-*

Et usui non põpæ.

Communia nostra dogmata.

Seneca in Epist.

Trahẽda ad res singulas.

Quæ cito placēt, nō diu placēt.

monitum in bona mente. Hæc Formæ nostri operis, quæ in aspecta statim placeat, haud voveo: magis, ut inspecta. Πλάτων τὰ πολλὰ ἂν τινες συγγράφωσι, τοῖς ἀδωνικοῖς κήποις εἴκαζεν, οἳ τὴν ἀρχὴν ἐφήμερον ἔχοντες, ῥαδίως μαραίνονται. Plato pleraq; scriptorum cum Adonidis hortis comparabat; qui subito & die uno nati, celerrimè pereunt: *spero haud id eveniet huic nostro. quod laboriosè satum, vires magis à tempore capiet, &, poeta verbis,*

Apud Stob. in Ethic. Eclog.

Ne mihi hoc esto.

Hora. 1. Carm.

Crescet occulto, velut arbor, ævo.

Sed jam addo.

MONITA QVÆDAM, sive Cautiones.

NAm futurum, ut in varia judicia sive voces hic labor noster incurrat, valdè temporum & mo-

rum ignarus sim, nisi sciam. Omnes hodie in Politica ista re aliquid sapiunt aut vident: atque etiam ii, qui nihil vident. Occurrendum igitur breviter his talibus est, si quid quærent aut carpent: & tu simul, Lector, instruendus, ut magis ex tuo meoque usu me legas. Ac primum, nisi fallor, Calumniæ telum erit in Obscuritatem hujus scripti. Tenebrosum est, inquient, nec omnia in eo liquent. Credo, sed quæ mea hic culpa? scriptorum illa est, à quibus hausi: quorum, nescio quomodò, ut quisque prudentissimus, ita astrictissimus est, & pauci sermonis. Ego quid facerem? ponere illa talia, lex mei operis jussit, mutare aut addere, religio non permisit. Tamen huic rei subsidia hæc cape.

Curiosi hodie in alienis scriptis, aut carptores.

Obscuritas mihi obiicitur.

Quæ faciant ei pellendæ.

I. Ut sæpius legas. Nam quod

gla-

Repetitio. *gladiatoribus imperari ſolet, utiliter ego hic tibi, Repete.*

Diſcretio. II. *Ut diſcrimina verborum, quæ mea, quæ aliena ſint (nam litterarum figurâ diſparavimus) seriò obſerves: Ad fidem cujusque Sententiæ hoc faciet, tùm etiam ad intellectum.*

Diſtinctio. III. *Ut diſtinctiones multò magis: id eſt, in fine cujusq; clauſulæ colæ poſita, ſemicola, puncta, aut bipuncta. Nam pro his, ſententia tibi tota terminanda eſt ſcilicet, aut ſuſtentanda: videbisq; univerſam orationem per membra ſua & periodos curiosè à nobis ſic diſcretam. Nec enim finis ſemper ſententiæ in fine clauſulæ, ſed pendet ea ſæpè ac hæret.*

Notulæ. IV. *Ut capitum ſummas præfixas non neglegas. Quas necti inter ſe reperies & magno tuo commodo, ſemper in iis Breviculum materiæ*

totius.

totius. imò & astringi sæpè ab iis aliquid aut explicari. Quæso observa. atq; etiam hoc, ut Capitum summas præfixas non neglegas eidē huic fini.

V. Denique, ut ne quid in legendo asperum te præbeas aut morosum. Hoc aut illud non capis? ne damna, aut abijce, sed quod olim Socrates, cùm obscurum Heracleti librum legisset, tu dicito: Ἃ μὲν συνῆκα, γενναῖα οἶμαι, καὶ ἃ μὴ συνῆκα. Quæ intellexi, probа sunt, credo, & quæ non intellexi. Modesta benignitas. *Laert. in Socrat.*

Calumnia altera futura videtur, aut potiùs jam fuit, in meam Fidem. Non rectè, inquiunt, nec ex scriptorum mente quædam citas. Quàm risi, cùm hoc audivi: Nam revera culpant insciti homines, quod elegantior aliquis mihi det in laudē, Qui aliter potui, aut debui, in hoc scripto? Nonne enim Centonem quendam Fides nostra suggillatur. Sed ab ignaris hujus scriptionis.

Centonum mos & jus.

concinno (tale omnino noſtrum opus) in quo liberi ſemper & laudati à ſententia iſti flexus ? Conſulant Poetas , qui olim & nunc ſic luſerunt. Id unum modò ſpectandum eſt, ne quid in ſententiam improbam aut falſam flectatur , quod neque iſti dicunt , nec verè unquam in me dicetur. Etſi profectò levicula hæc tota calumnia imò vana. Nam nos amœnitatis iſto genere, [illegible] licet [illegible], nimis quàm raro uſi ſumus & , de induſtria, locum ei non dedimus , niſi forte in connexionibus , aut ad utilem aliquam ſententiam explendã. Nam tunc, cum nihil aliis directe ſic dictum præ manu : quidni leviter aliquid nec indecore torquerem ? Licuit ſemper in hoc genere & licebit.

Nos vix uſi ſumus.

Nam illud omnino non excuſo, quòd, Auctorum verba non rigide ſemper, & ut ab iis poſita, repono : ſed in caſu aut

Et quatenus.

ſu aut tempore, pro orationis meæ conformatione, pauxillum inflecto. Conſtare aliter non potuit hic textus.

At tertia Calumnia in ipſam Rem erit: idque varie. cùm hoc illi, hoc alteri diſplicebit: quoniam Solonis veriſſimo verbo, In re carpimur.

Ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν·

Omnibus, in magnis, difficile eſt placeas. *Apud Plutar. in Solone.*

Huic adhuc incertæ quid opponam? preces. Tria hæc rogo, quicunque me leget. Noſtra hic rogatio.

I. *Ut nemo temere me arbitretur aut judicet, niſi ſermonis Latii bene peritus. Nam qui leviter tantum, (jam ante denuncio) potiſſimam non capiet ſcripti hujus partem.* Ne linguæ ignari judicent.

II. *Ut nemo, niſi qui rerum etiam peritus.*

Ne rerū Civilium ignari. *peritus. Non tu aliquis è plebe: non tu etiam liberalior mea juventus. Nam etsi capere hæc potestis, non potestis judicare.*

Ne quisquam properè. *III. Ut etiam qui utriusq; peritus, cunctanter tamen pronunciet & lente. Hoc aut illud offendit? sustine paullisper nigrum calculum,*

Notas adeunto. *& ad NOTAS meas diverte. Nam eas duplici hoc fine ad finem adjeci, ut & ambigua quædam definirem,*

Commodè ipsi interpretator. *& obscuriora illustrarem. Quòd si ne ibi quidem tibi satisfacitur, tamen ut in ludo pilæ, alterius est commode mittere, alterius etiamsi quid erratum est, quàm bellissime excipere & arte corrigere: sic æqui Lectoris putabis, flectere quædam in benigniorem partem.*

Suspicionibus *Iam quarta & ultima Calumnia non in Rem dirigitur, sed in Opinionem: imò & est ab Opinione, cùm homines*

homines scilicet male acuti & callidi, sensisse aut scripsisse me volent, quæ per somnium non sensi, non scripsi. Periculosum ita me Deus amet, genus: sed nimis per hæc dissidia civilia crebrum, Referunt pleraque omnia ad unum hoc ævum: & quæ nos communiter diximus, sic volunt accipi quasi in Titium aut Sejum dicta. Imò vates etiam agunt, non lectores: nec sumunt à nobis sensum, sed adferunt, & mentem aliquam adfingunt ex sua mente O angues, ô viperæ! Fugio vos, fugio. premimur. Malū id hujus seculi.

Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet? Sen. Oedip.

Et tamen vix effugio. Nam quid hîc remedi? nisi forte à votis: quæ ab imo pectore concipio, Abite à me Ophiogenes abite Psylli. nati venena tantùm exsugere librorum, Vos contra Nos detestamur

Juvari volumus. *tra adeste mites & candidi, qui parati non impellere lapsantem, sed benigna potius aliqua interpretatione levare. Nam ego me labi & errare non posse solùm fateor, sed debere.*

Et debemus in hoc morbo. *Nónne homo sum? nónne æger sum? ut nihil mirum, si in tam diutino isto languore (per eum hæc scripsimus) mens etiam & judicium langueant alibi aut vacillent. Sed valebit hoc mihi, spero, ad veniam, imò & ad gratiam. quoniam*

Idem Troad.

> Ut esse Phœbi dulcius lumen solet
> Jam jam cadentis:

sic nostra debent abeuntium scripta. Triste omen hoc est? ne tu movêre, non ego. Et hac lege, longum vale mihi Lector.

AUCTO-

AUCTORUM SYLLABUS.

AUctores uno aspectu, si lubet, vide, è quorum scriptis hoc opus. Inter eos eminet Cornel. Tacitus extra ordinem dicendus: quia plus unius ille nobis contulit, quàm ceteri omnes. Caussa in prudentia viri est, & quia creberrimus sententiis: atque etiam quia familiaris nobis, & offerebat se non vocatus. Ceteri in classe duplici. Quorundam verbis frequentius & libentius utimur, uti sunt isti:

E LATINIS.

C. Sallustius | M. Cicero.
T. Livius | Q. Curtius.
Annæus Seneca | C. Plinius Junior.
H. Vegetius, *sed in materie militari.*

E GRÆCIS.

Aristoteles | Plato.
Thucydides | Xenophon.

Aliorum rarius: usi sunt isti

E LATINIS:

Acta Apoſtolorum
Adagia
Æmylius Probus
Afranius
Agellius
Ambroſius
Ammianus Marcellinus
Apulejus
Attius
Auguſtinus
Auſonius.
Bernardus
Boethius.
Cæcilius
Cælius ad Cicer.
Cæſar
Capitolinus
Caſſiodorus
Cato Cenſorius
Claudianus
Columella
Corn. Nepos
Cyprianus,

Eccleſiaſticus.
Eccleſiaſtica Hiſtoria
Egeſippus
Feſtus Pompejus
Florus
Frontinus,
D. Gregorius
Guil. Neubrigenſis.
Horatius.
Jeremias
Iſidorus
Juſtinus
Juvenalis.
Lactantius
Lampridius
Lucanus
Lucretius.
Manilius
Martialis.
Origenes
Ovidius.
Pacuvius
D. Paulus
Perſius

Petro-

E GRÆCIS:

Iſocrates.	Plutarchus.
Lucianus.	Polybius.
Menander.	Serenus.
Mercurius Triſmegi-ſtus	Sophocles.
	Stobæus.
	Syneſius.
Philo Judæus.	Theocritus.
Pindarus.	Theognis.

ORDO

ORDO ET INDEX LIBRORUM SINGILLATIM, & CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

DICENDA proponit. Duces duos sive Directores dat ad Vitam civilem. Virtutem cum Prudentia. Utriusque naturam, & quæ adnexa, explicat: & universo operi substernit fundamenta. Seriem Capitum hanc habet:

nita ea, & divisa in Sensum ac Cultum. Illic de Sensu dictum.

III. De altero Pietatis Membro, Cultu. Is definitus, & duplex factus. Pluria ad religionem monita.

IV. Fatum, appendix Pietatis. Quid illud, & à quo sit? quam vim habeat, & quem usum?

V. Etiam Conscientia, Pietatis lacinia. Definio eam, divido. tormentum ejus, si mala, ostendo; quietem, si pura.

VI. Alterum Virtutis membrum. Probitas. Quid eam hic appello? Brevia & universalia ad hanc praecepta.

VII. Ad Prudentiam Transitum, quo Rectorum alter. Necessitas ejus ostensa. Definitio posita, & exposita. Partes ejus, & utilitas.

IIX. Quid gignat Prudentiam? Usum esse, & memoriam. Quid ea utraq;? Vis & firmitudo illius praelata; sed raritas & difficultas item ostensa.

IX. Memoria rerum, sive Historia, fructus. Facilem hanc, ad Prudentiã viam: etiam ad Probitatem.

X. Appen-

X. *Appendix de Doctrina: quæ utriq; Rectori utilis. Quis legitimus usus ejus, finis, modus.*

LIBER SECUNDUS.

Distinctè ad rem venit. Imperia partitur, Principatum præfert, & definit. Virtutes ei adtribuit, & seorsim pręcipuas ponit. Seriem Capitum hanc habet:

I. *De imperio universè dictum, ejus necessitas in Societate ostensa, & fructus.*

II. *Divisio Imperii. Principatus, prima & optima ejus pars, id variis argumentis ostensum.*

III. *Principatus definitio, per partes declaratio. & primùm, utrius sexus ille sit?*

IV. *Quomodo capiendus Principatus? duos legitimos modos esse, Electionem & Successionem. & de utraque aliquid dissertum.*

V. *Initia Principatuum plerumq; laudabilia; sed id non satis, perseverandum esse.*

Justitiæ leniter: nec tamen solvere vim Imperij, sed vincire lento nodo.

XIV. *De fide adjunctum, quæ Justitiæ origo aut suboles. Ea commendata, ut columen humani generis. Gloriosam hanc Principi esse utilem. Spreti ab Etruria doctores novi.*

XV. *De Modestia præscriptum, quæ Clementiæ assidet. Instillata Principi, & in Sensu & in Actione.*

XVI. *Ex occasione, de Majestate adnexa lacinia, quid ea, & quî, & quatenus paranda?*

XVII. *Minores aliquot virtutes positæ, quæ Principem deceant; sed sparsim, & breviter.*

LIBER TERTIUS.

DE Prudentia distinctè agit. Alienam primò Principi commendat. Consiliarios & Ministros seriò format. Seriem Capitum hanc habet:

I. *Prudentiam Principi pernecessariam, sine ea vim & opes inutilia. miscenda esse, sed primam illam in gubernatione præpollere.*

XI. Ad-

XI. *Administris ipsis præcepta tradita, eorum tutela. Primum Minoribus, inde Majoribus. Ancipitem omnem Potentiam esse in Aula.*

LIBER QUARTUS.

PRudentiam propriam ingerit, dividit, & de duplici Togata differit, quæ circa res Divinas versatur, & quæ circa Humanas. Pleraque omnia quæ firmando aut infirmando Regno sunt nova nec adhuc usitata methodo proponit. Seriem Capitum hanc habet:

I. *Propriam Prudentiam, id est, eam quam inesse Principi volumus, præceptis difficilè alligari. Latè fusa esse, Instabilem, & Obtectam. Itaque aliquid de ea, non plenè, à nobis præcipi.*

II. *Divisa Prudentia propria in Togatam, & Militarem. Illa rursus in Humanam & Divinam. De hac ostensum, curam Principi esse. Unam religionem retinendam ei, & defendendam.*

IX. An-

IX. *Auctoritas cõmẽdata valdè. Tria ostensa, quæ ad eã dicunt. in quibus quia Imperij præcipua vis est, accuratè & enucleatè de his dissertum.*

X. *Ad ea transitum quæ Vertendo regno faciũt; in quibus prima Vis est. Ea duplex ostensa; Insidia & Proditio. Utraq; quomodo cavẽda, aut punienda, ostensum.*

XI. *De vitio duplici, eversore regnorum. Primùm de Odio; cujus pestis subjecta oculis. Fugienda quæ eò ducunt; imò & imago eorum, qualis est in Suppliciis, Tributis, Censurâ. In his singulis quomodo se gerat Princeps, dictum.*

XII. *Definitio & vituperatus Contemptus. Ostensa quæ illum gignũt, à rege, si sapiet, fugienda.*

XIII. *Quæsitum an Prudentia mixta locum apud Principem habeat? id est, ea in qua fraudes. Dictum, & doctum, aliquem habere.*

XIV. *Quo modo, & quatenus fraudes admittendæ. Triplex earum genus factũ, & distinctè aliæ in Regnum receptæ, aliæ exclusæ.*

LIBER

LIBER QVINTUS.

DE Militari Prudentia agit. eam in Bello duplici elucere ostendit: & primùm ac potissimùm in Externo, Quæ militum, quæ Ducum munia; quæ consilia in bello usui sint, docet. Seriem Capitum hanc habet:

I. *Transitio ad Militarem Prudentiam, cum excusatiũcula aliqua mei, quòd de ea disseram non miles.*

II. *Prudentiæ hæc pars commendata Principi; quæ necessaria ad tutelam salutemq; regni.*

III. *Materies & ordo dicendorum. Bellum externum definitum, & remota ab eo suscipiendo Injustitia.*

IV. *Ordine & partite posita, quæ ad Justum bellum requiruntur; & maximè, quibus in caussis capiendum.*

V. *Temeritas remota à bellorum initiis, & summatim, quæ in susceptione omni cogitanda sint.*

VI. *Ad gerendum bellum tria requisita.*

ſita. Primò Apparatus triplex. Pecuniæ, Commeatuum, Armorum.

VII. *Milites terreſtri quidem Bello neceſſarii, duplices: Equites, peditésque, quæſitum breviter, utrorum major uſus.*

VIII. *Utroſq; bonos eſſe debere: alioqui pro nihilo omnis copia. Fieri bonos dupliciter, Dilectu & Diſciplina. Ea negligi hodie, & ſuper hac re juſta veraq; querela.*

IX. *De Dilectu cœptum dici, ſed primo quæſitum. Exteri an Domeſtici præferendi, nos iſtos cenſemus, cum cauſſa.*

X. *Obiecta & reiecta ea, quæ contra Domeſticum militẽ dicuntur. Hũc Regum eſſe, illum Tyrannorum.*

XI. *Qui legendi in milites? Duo genera facienda: Ordinarios & Subſidiarios, atque utique ſeorſim deſcripti.*

XII. *Verè cum Dilectu utriq; capiendi: & Notæ quinq; ordine poſitæ, germanæ in milite virtutis.*

XIII. *De Diſciplina vera & ſevera dictum. Ea laudata. partes eius*

(idq;

(idq; docendi caussa) quattuor facta. Singula explicata.

XIV. *Transitum ad Duces. Eos necessarios, non solùm utiles. Duplices esse. Semper in iis Peritiam magis quàm Virtutem spectari. & unum in uno bello esse debere.*

XV. *Boni Ducis τεκμήρια sive Notæ. quinq; eas videri: quas ordine explicamus.*

XVI. *Consilia necessaria bello esse. Eorum specimen sive gustus; itemque monita, quæ usui Ante pugnã, & In pugna.*

XVII. *De callidis consiliis sive Stratagematis: An uti iis jus & fas? Nostra sententia, non utilia ea solùm, sed gloriosã.*

XVIII. *Quid post pugnam faciendũ videatur: & in Victoria sive Clade. quomodo Princeps salubriter & decorè se gerat.*

XIX. *Ad Pacem ex animo adhortatio. Ac primùm illuc inclinamus eos, qui Victi; sed ad Tutam & Bonam.*

XX. *Victores ad pacem provocati, argumen-*

gumento triplici : quia id Decorum, Utile, Tutum. atque adeò ad Pacem mitem : sed cum exclusione fraudis, Pro ea auctor ipse Pacis invocatus.

LIBER SEXTUS.

CIvile bellum tangit, & detestatur caussas ejus, & in eas remedia satis diffusè explicat. Finiri id suadet & vovet. Seriem Capitum hanc habet:

I. *Ad Civile bellum ventum. & ejus miseria breviter oculis subjecta.*

II. *De caussis Civilium bellorum. Eæ factæ duplices, Longinquæ & Propinquæ. Priùs de prioribus dictum.*

III. *De caussis Propinquis belli Civilis. Eæ tres. Factio prima est: ejus pernicies in omni statu, & sintné dissidia unquam usui?*

IV. *Caussa altera è Propinquis, Seditio. ejus Origo, Progressus, Remedia, distinctè explicata.*

V. *De Tyrannide, quid ea sit, & ejus inge-*

ingenium? mala subiecta oculis: quæsitúmque, tollenda ea an toleranda?

VI. *Quæstiuncula per occasionem inserta. An misceat se bellis Civilibus vir bonus? utrimq; ea agitata, & cum discrimine aliquo personarum definita.*

VII. *De Finiendo Civili bello, & Operis mei finis.*

JUSTI LIPSI POLITICORUM

Sive CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI PRIMI.

CAP. I.

Scopus & materies mei scripti. Vita Civilis definita. Virtus communiter laudata.

SUMMARIA.

1 *Vita civilis quid?*
2 *Duo ei necessaria: Prudentia & Virtus.*
3 Virtus *solius hominis.*
4 *Ea non interit.*
5 *Ceteris omnibus praeminet.*
6 *Bona omnia continet.*
7 *Familiaris natura.*
8 *Exposita.*
9 *Asylum in turbis.*

Vitæ

VItæ Civilis iter, qui rectè ineas, rectè peragas, præcipere mihi est animus: nec id meis, sed veterum monitis, imò & verbis. Tu mihi dux magne DEUS: & manũ hanc mentemque dirige, ut salutaria videam, dijudicem, promam. Vitam Civilem 1
definio, QUAM IN HOMINUM SOCIETATE MIXTI DEGIMUS, AD MUTUA COMMODA SIVE USUM.
Huic duos Rectores tribuo, Pruden- 2
tiam & Virtutem. Illam ex plurium mente, sed & hanc, ex mea. quia civẽ verè bonum nullum arbitror, nisi & virum. Sine Virtute, Calliditas ea sit & Malitia, & quidlibet potius quàm Prudentia. cujus clavus etsi propriè Vitam Civilem dirigit, non tamen sine usu & auxilio illius magnetis. I-
gitur de Virtute jure præmittam, 3
quæ

Tac. IV. Hist. — *Proprium hominis bonum.*

Salust. — Cetera humana pereunt, & *divitiarum ac formæ gloria, fluxa & fragilis est: Virtus clara æternaq; habetur.* 4

Senec. Epist. — *Hoc unũ cõtingit immortale mortali.*

Itaq;

5 Itaque jure, *quæ homines arant, navigant, ædificant, Virtuti omnia paret.* Salluſt.

6 Nam *ea omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona, quem penes eſt Virtus.* Plaut. in Amphor.

7 Nec aliena à nobis, ultro ſe ingerit & *in omnium animos lumen ſuum immittit, etiam qui non ſequũtur eam, videt.* Senec. lib. 4. de Benef.

8 Obvia eadem & facilis, *in medio poſita, neminem dedignatur, qui modò ſe dignum illa iudicaverit.* Idē de brevit. vitæ.

9 Confugiamus igitur ad hanc, ut in aſylum, quia ſola ea quieta, tuta, & *in ſua poteſtate eſt. omnia præter eam ſubjecta fortunæ dominanti.* Cornific. ad Heren.

Adverſus virtutem autem *hoc poſſunt calamitates, quod adverſus ſolem nebula poteſt.* Senec. in Epiſtol.

CAP. II.

Pietas Virtutis prima pars: definita ea & diviſa in Senſum ac Cultum. Hic de Senſu dictum.

SUMMARIA.

1 Virtutis *diviſio.*

2 *Quid*

2 *Quid pietas?*
Ejus duo membra: Sensus & Cultus. ibid.
3 *Sensus totius pietatis initium.*
4 *Deus unus.*
5 *Æternus.*
6 *Descriptio eius.*
7 *Periculosum rimari.*
8 *Potentia divina.*
9 *Iustitia.*
10 *Arbitrium & ubiq; præsentia.*
11 *Curatio, & præmij aut pœnæ distributio.*
12 *Gubernatio.*
13 *Ignorantia horum, caussa scelerum.*
14 *Credenda tamen plura, quàm scienda.*

HAnc in duos velut ramos divido, Pietatem & Probitatem. Illa est: RECTUS DE DEO SENSUS, RECTUS IN DEUM CULTUS. Duobus enim his Pietas constat, sine altero, mutila aut manca. Nosse ante omnia summum illud numen (quatenus homini datum) oportet: & cognitum, piè pureque vene- 1

venerari. Utriq; rei vera lux à sacris literis: sed & in prophanis sparsas quasdam scintillas video: quas colligam. De Sensu, istas.

Excipio Augustinum, & si quos citotales.

3 Illum necessarium: quia *de Deo optimè existimare, pietatis est exordium.* Augu. lib. 1. de lib. arbit.

4 Constet igitur tibi, *Unum esse regnatorem omnium deum.* Taci. 7. Histor.

5 Ita appello, *Summum illud & æternum, neq; mutabile, neq; interiturum.* Ibidē.

6 Quem in parte descripserim (infinitum enim illud quis definiet?) MENTEM *solutam quamdam & liberam, & segregatam ab omni concretione mortali, omnia sentiētem, & moventem, ipsam præditamq; motu sempiterno.* Cic. 1. Tusc.

7 Nec plura addam, quia *de deo etiam vera dicere periculosum est:* Cypr. in Sym.

Qui *melius scitur, nesciendo.* Augu. lib. 11. de Ord.

Effectus tamen ejus & affectus (si ita appellare fas) licet ingeram, a-
8 mori tuo & admirationi. Ille maximus est:

--- *immensa est, finemq; potentia cœli* Ovi. 8. Meta.

Non

Non habet, & quidquid superi voluere peractum est.

Plato in Theæteto. Ille justissimus. & θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' οἷόν τε δικαιότατος: *Deus nunquam & nunquam injurius, sed quantum potest justissimus.* 9

Ovi. 13. Meta. *Aspiciunt oculis superi mortalia justis.*

Senec. Ille arbiter & inspector operum, consiliorum, mentium. *Nihil Deo clausum est, interest animis, & mediis cogitationibus intervenit.* 10

Plau. in Capt. *Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus, auditq; & videt.*

Boet. de Cōsol. *Quem, quia respicit omnia solus,*
Verum possit dicere Solem.

Nec inspector solùm, sed judex idem & vindex. 11 Sallust. ad Cæs. *Namq; mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi: neq; bonum neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi, sed ex natura diversa præmia bonos malosq; sequi.*

Hic qui gubernat omnia: 12

Hor. 3. Od. *Qui terram inertem, qui mare temperat*
Ventosum, & urbes, regnaq; tristia.

Nec

Nec enim secura quies illum, similisq; sopori,
Detinet. Ovid. 1. de Arte.

Sed ille est, *qui viget, qui sentit, qui meminit, qui regit & moderatur.* Cicer. in Somnio.

3 Hæc talia non fas solum, sed necesse tibi scire: quia revera.

--- *primæ scelerum caussa mortalibus ægris*
Naturam nescire deum. Silius 4.

4 Sed scire temperanter. quoniam & hoc verum, *Sanctius ac reverentius esse, de actis eorum credere quàm scire.* Tacit. in Germa.

CAP. III.

De altero Pietatis membro, Cultu. Is definitus, & duplex factus. Pluria ad religionem monita.

SUMMARIA.

1 *Quid cultus?*
2 *Is duplex: Internus, Externus.*
3 *Imperiosa* Religio.
4 *Omnibus cara.*

5 *Pervicaciter insidet.*
6 *Optima ea habenda omnibus.*
7 *Et in omni sorte.*
8 *Sed citra superstitionem.*
9 *Ad quam inclinamus, aut trahimur.*
10 *Telum hoc ad regendum.*
11 *Sed tormentum iis, qui habent.*
12 *Timor eius nota.*
13 *Spernanda nobis.*
14 *Intro revocanda Religio.*
15 *Et animus excolendus.*
16 *Sine Ritu alium tamen abiectu.*
17 *Si qua legibus aut moribus iussa.*
18 *Non in subtilitate Religio.*
19 *Sed in factis.*
20 *Capitalis hic sermo.*

DE Cultu insequor. qui non a- 1
liud, quàm COGNITI NUMINIS VENERATIO, CERTIS LEGIBUS CEREMONIISQUE DEVINCTA. Coli enim postulat, & huic fini homo natus: idque cultu duplici, Interno, Externo. Ille est, qui *in ani-* 2
mo, & ex animo, Deo vero preces concipit, laudes, grates. Iste, qui *hac eadem,*

per

per ritus, & gestus, expromit. Totum istud, nec malè, Religionem vulgò appellamus: de quâ ſana quædam à ſanis hæc habe.

3 Magnum ejus in animos imperiũ. *Religione* enim *vita conſtat.* Plin. 14. Nat. hiſt.

4 *Omnes religione moventur, & deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter & retinendos arbitrantur.* Cic. 5. in Verr.

5 Itaq; qualiscunq; ea hauſta, ægrè educitur. quoniam *ſua cuiq; optima videtur; ut quæ non ratione, ſed affectu dijudicetur à ſingulis.* Philo Jud. ad Cajũ.

6 Hæc publicè & privatim habenda. *omnia* enim *proſpera eveniunt colentibus deos, adverſa ſpernentibus.* Livius lib. 5.

7 Idq; in utraque fortuna. & videndum, *ne ritus ſacrorum inter adverſa culti, per proſpera obliterentur.* Tacit. 11. Ann.

8 Sed habenda cum modo: ne fiat illud, *Gens ſuperſtitioni obnoxia, religionibus adverſa.* Idem 5. Hiſtor.

9 In quam naturæ vitio nos proni: & trahunt etiam ii, *quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi.* Livius lib. 4.

10 Nec impediunt potentes, quoni-

am, ut judicant, *nulla res multitudinem efficacius regit, quàm superstitio.*

At tu fuge. nam *superstitione qui* 11
est imbutus, quietus esse numquam potest.

Discrimen hoc habe: *Deos à reli-* 12
gioso vereri, à superstitioso timeri.

Placeat ille versus, sed saniter in- 13
tellectus:

Religentem oportet esse, religiosum nefas.

In Cultu ipso, ad interna semper 14
prævertere; & cense, *Cultum deorum esse optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce venereris.*

Aureum tibi dictum imprimo: O- 15
ptimus animus, pulcherrimus Dei cultus est.

Nec sic, ut externa omnia spreve- 16
ris. etsi *pleraque ex iis*, ut ille quidem vult, *magis ad morem, quàm ad rem pertineant:*

Nam *sapiens servabit ea tanquam* 17
legibus jussa, non tanquam diis grata.

Nisi si planè impia. aliàs, *religioni paren-*

Curt. lib. 4. — Cic. 1. de Finib. — Varro apud Aug. lib. 6. de Civit. — Apud A. Gell. lib. 4. cap. 9. — Cic. de Natura deor. 2. — Senec. — Senec. apud Aug. lib. 6. de Civ. — Ibid.

parendum est, nec patrius mos contumaciter repudiandus. Cicer. de Divin. 2.

18 In verbis etiam aut quæstiunculis ne nimium mihi pruri. ad facta abi: quia *Christianorum omnis religio, sine scelere & sine macula vivere.* Lactāt. lib. 5. cap. 9.

19 Moysen illum Ægyptium audi, qui *de fide cuiusque, magis oculis quàm auribus credit.* apud Ruffin. Eccles. histor. lib. 2. cap. 6.

20 Sed abstineo. & Platonem insusurrantem audio: ὄντοί γε οἱ λόγοι χαλεποὶ. *difficiles, & cum discrimine, hi sermones.* quod oraculum in hoc quidem ævo. Lib. de Repub. im [illegible] ipsa re.

CAP. IV.

Fatū, appendix Pietatis. Quid illud, & à quo sit? quam vim habeat, & quem usum?

SUMMARIA.

1 Fati *origo ex Sensu.*
2 *Quid sit?*
3 *Quis auctor ejus?*
Nempe ipse Deus. ibid.

4 *Vis eius in humana.*
5 *Cui prudentia omnis impar.*
6 *Nec vitatur ullis monitis.*
7 *Aut prodigiis.*
8 *Ideo, quia mentem DEVS adimit, aut obnubilat.*
9 *Adeò, ut caussa eius à nobis videatur.*
10 *Invenit & invenitur, qui fugit.*
11 *Remi tamen movendi in hac cymba, Deo ad clavum sedente.*
12 *Ignavos ille spernit.*
13 *Fortes juvat.*
14 *Quis è Fati noticia fructus. Præcipuus Patientia. ibid.*

PIetatem sevi. pango nunc duos surculos, qui sub arbore hac, imò ex ea nati: Fatum, & Conscientiam. Quorum illud, ex Sensu: hæc, ex 1
Cultu originem clarè ducunt. Si enim gubernat & dirigit DEUS; providet etiam & decernit: idque æternus ipse, ab æterno in æternum. hoc est Fatum:

Livius lib. 25. *Cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur.* 2

Nec

2 Nec id aliud (ut non nemo etiam è priscis sensit) quàm SANCTIO ET VELUT VOX DIVINÆ MENTIS. *Natur. hist. vide lib. 5. de Civi. c. 9.*

—— *grave & immutabile sanctis*
Pondus adest verbis, & vocem Fata sequuntur. *Stat. I. Theb.*

5 Nam quod alii *Fatum quidem congruere rebus putant, sed è vagis stellis, alii apud principia & nexus naturalium caussarum:* Tac. 4. Annal.

Delirant. nos à caussa principe id petimus: id est, deo, *ex quo suspensa sunt omnia, à quo sunt omnes caussæ caussarum.* Senec. 2. quæst. Natur.

—— *Condita pergunt*
Ordine cuncta suo, rerumq́ à principe caussa
Fixa manent. Valer. Flac.

4 Mihi quidem sedet (pio illo sensu) *ab omni æternitate fataliter omnia destinata.* Cic. I. de Div.

Et *eludant licet, quibus fortè ac temerè humana negotia volvi agiq́ persuasum est: equidem æterna constitutione crediderim, nexuque caussarum latentium, & multò antè destinatarum,* Curt. lib. 5.

ſuum quæq; ordinem immutabili lege percurrere.

Cui cõſtitutioni humana omnia ſubjecta:

Man. 4. *Fata regunt orbem: certa ſtant omnia lege.*

Etiam actiones, & quæ circa eas: tempora dico, & modos.

Stat. 3. Theb.
--- manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello. populique in prælia nati.

* Volũtas e-nime-ximia.

Quin ipſi homines, tamen *in parte. Πάντες οἱ ἄνθρωποι εἱμαρμένῃ ὑπόκεινται, καὶ γενέσει, καὶ μεταβολῇ: *Omnes mortales fato ſubijciuntur, & initio, & mutationi.*

Mercu. Trism. cap. 12.

Adeò ut nullis conſiliis vel auxiliis id vitemus, aut mutemus. *Nec cõſilio prudenti, nec remedio ſagaci, divinæ providentiæ fatalis diſpoſitio ſubverti vel reformari poteſt.* 5

Pœma. Apul. Met. 9.

Ovi. 9. Meta.
-- Tantumne aliquis ſibi poſſe videtur,
Fata quoq; ut ſuperet?

Taci. 1. Hiſtor.

Nec ſi prædicitur quidem. Nam *quæ fato manent, quamvis ſignificata, non vitantur.* 6

Quodq;

Quodq; divinitus contingere debet, homo à se nulla arte cispellet: ac ne verisimilia quidem dicenti fidem habebit. Herodotus.

7 Non si monstra eum moneant aut prodigia.

Heu vani monitus, frustraq; morantia Parcas Silius lib.5.
Prodigia! heu fatis superi certasse minores!

Invicta enim *leges necessitatis, pectus etiam ab amentia remotum, prodigia justa æstimatione perpendere non patientur.* Valer. Max. lib.1. cap.6.

8 Mentem scilicet tunc hominibus adimit supera illa Mens, quæ *cuiuscumq; fortunam mutare cõstituit, consilia corrumpit.* Vellej. lib.2.

Videmus ipsi quotidie, *manum injicientibus fatis, hebetari sensus hominum & obtundi.* Ammia. Max. lib.14.

9 Ita *efficitur, quod est miserrimum, ut quod accidit, etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat.* Vellejus 2.

10 Adnecto amplius, *Fugiendo in media sæpè ruitur.* Livius 8.

--- Multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent. Senec.

Oedip. ——— *Multos in summa pericula*
Lucanus 7. *misit*
Venturi timor ipse mali.

11 Quid ergo? inquies. nihil agam, & permittam omnia fatis? Stulte, imo viã inibis, quæ ad fata ducit: & hoc quoq; ex fato. Felicia illa vis? al-
Sallust. Catil. labora. *Non enim votis neq; supplicijs muliebribus auxilia deorũ parantur. vigilando, agendo, prosperè omnia cedunt.*

12 Liv. 7. Nec exspecta, *nihil agenti in sinum de cælo devolaturam Victoriam* aut Fortunam *esse*.

Græco. Adag. Θεοὶ τ' ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται: *dii bona laboribus vendunt*.

13 Tac. 4. Histor. Et hac mente verum, *Deos fortioribus adesse*.

Liv. 6. Simile in tristibus. *Dii prohibebunt hæc, inquies. sed nunquam propter te de cælo descendent: tibi dent mentem oportet, ut prohibeas.*

14 Nec plura de grandi hoc profundo: quod tentandum semper homini, numquam explorandũ. Tibi quis hîc fructus? iste, ut verè pius sis, &
Sen. de Provid. fata sequare, id est, Deum. *Quid enim est viri boni? se præbere fato.*

Φέρειν

Φέρειν τε χρὴ τά τε δαιμόνια ἀναγκαίως, τά τε ἀπὸ τῶν πολεμίων ἀνδρείως: *Ferre quæ divinitus immittuntur, necessariò oportet: quæ ab hostibus, viriliter.* Thuc. lib. 2. in orat. Peric.

Optimum est pati quod emendare non possis: & deum, quo auctore cuncta eveniunt, sine murmure comitari. Malus ille miles, qui imperatorem suum gemens sequitur. Senec. in Epistol.

CAP. V.

Etiam Conscientia, Pietatis lacinia. Definio eam, divido. tormentum ejus, si mala, ostendo, quietem, si pura.

SUMMARIA.

1 Conscientia à *Religione oritur.*
2 *Et vix est, ubi non illa.*
3 *Definitio eius.*
4 *Divisio.*
5 *Altera definitio arctior.*
6 *Altè hæc infixa.*

7 *Utilis homini in peccata.*
8 *Acris & violenta.*
9 *Bona quidem in solatium.*
10 *Mala in tormentum.*
11 *Testis ea non fallax.*
12 *Carnifex assiduus.*
13 *Indefessus.*
14 *Quem temnunt tamen quidam.*
15 *Nunquam vir bonus.*

JAm & conscientia, ut dixi, Pietatis suboles est: & origo ei palam à radice Cultus. Ubi enim ille floret & viget: hæc pariter. ubi arescit & languet: etiã ista. 1
Quin vbi nulla religio aut divinus metus; exiguum in animo hujus germen, & à mala terra velut oppressum. 2
Est autem Conscientia, RELIQUA IN HOMINE RECTÆ RATIONIS SCINTILLA, BONORUM MALORUMQUE FACINORUM JUDEX ET INDEX. 3
Igitur & bipartita ea, Approbatio scilicet, & Opprobatio: illa in benè; hæc in secus factis. Sed istius vis (ut vita & vitia sunt) creberrima, ideoq; ferè obtinuit, ut hæc 4

pars

pars veniat in generis sui nomen.
5 Nam Conscientiam vulgo appellamus, VIOLATI NUMINIS AUT PERPERAM CULTI TRISTEM COGITA-
6 TIONEM ET MORSUM. Qui sensus infixus homini; & vivit quamdiu ille, non vi exstinguendus, non fraude.

Conscientiam à diis immortalibus accepimus, quæ divelli à nobis non potest. Cic. pro Cluēt.

7 Utiliter autem ea data, ut *corrector adfectuum & animæ pædagogus.* Origenes.

Flagrum post peccatum: quia *perfectò demum scelere, magnitudo ejus intelligitur.* Tacit. 14. Anal.

Frenum ante peccatum: *quia infixa nobis ejus rei aversatio est, quàm natura* aut lex *damnavit.* Senec. in Epist.

8 *Et magna* sanè *vis ejus est in utramque partem, ut neque timeant ij, qui nihil admiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt.* Cic. p Milone.

9 Itaque *bona* illa, *semper metu vacua est:* Bias apud Stobæum.

10 Imò in gaudio. *Et vis nunquam tristis esse? benè vive.*

Mala

Isid. *Mala* autem *etiam in solitudine an-* 10
Soli- *xia & solicita est.*
loq. *Potest* enim *nocenti contingere ut la-*
lib. 2. *teat, latendi fides non potest.*
Sen. E- Et qui celes?
pistol. *Nocte dieq; tuum gestas in pectore*
Idem *testem:*
eisdẽ. Qui non fallit, non fallitur. & ex 11
Juve- oraculo hoc est, *Suus cuiq; animus ex*
nal. *conscientia spem præbet.*
Sallust. *O te miserum, si contemnis hunc te-*
ad Cęs. *stem!*
Sene- Imò & Tortorem: Urit enim, cæ- 12
ca. dit, lancinat: eo gravius, quia sine
Epist. morte. Græcorum adagium verum.
Ἡ συνείδησις τὴν ψυχὴν πλήττει:
Conscientia animum verberat:
Et quidem assiduo illo & surdo 13
Sallust. verbere. *Namq; animus impurus, diis*
Catil. *hominibusq; infestus, neque vigiliis, ne-*
que quietibus sedari potest. Ita conscien-
tia mentem excitam vastat.
Plin. 3. Sic tamen hodie vivitur, ut *multi* 14
Epist. *famam, conscientiam, pauci vereantur.*
Cic. ad Aliter vir bonus, cui fixum *in omni* 15
Att. 13. *vita transversum unguem à recta con-*
scientia non discedere.

Etiam

Etiam tibi: qui hoc imbibe, *Tranquillitate conscientiæ nihil excogitari beatius posse.* Aug. 21. de Civ.

CAP. VI.

Alterum virtutis membrum, Probitas. Quid eam hîc appellem? Brevia & universalia ad hanc præcepta.

SUMMARIA.

1 *Quid probitas?*
2 *Pietatis ea comes.*
Si modo vera sit. eod.
3 *Interna Probitas, sola proba.*
4 *Et spernendi fuci.*
5 *Opes non nimis amandæ.*
6 *Non corpus.*
7 *Pudor induendus.*
8 *Cum constantia.*
9 *Animus solus colendus.*
10 *Qui magnus.*
11 *Qui æternus.*

RAMUS Virtutis mihi alter superest. Probitas: quem tamen

men levi dolabra expolio, quia in hoc Civili ædificio propriè non ei locus. Ad morale pertinet. nec Pro- 1
bitatem aliud hic intelligo, quàm RECTAM IN MORIBUS ET ACTIONE OMNI VITAM, EX HONESTI NORMA. Mihi tamen non omittenda, ut necessitatem videas: & quia Pietati adnexa ea; aut verius innexa: Sine moribus 2
Pietas, quidquid vultu, voce, calore præferas. vana est, imò nulla. Ut poma, in Judæa: non poma nascuntur, quæ contacta in fumum abeunt & vaporem: talis verbosa illa Pietas, sine vitali hoc operum succo. Jure 3
ergo mores ama, quisquis amas illam; & factis magis: quàm specie; seriò, nec ad pompam.

Sallust. Catil. *Esse quàm videri, probus malis.*

Vellejus li. 2. Et cum laudato illo Catone, *nunquam rectè feceris, ut fecisse videaris.*

Cicero. *Conscientia virtuti satis amplum theatrum est.*

Tacit. 4. Histor. Non tu mihi *inter claros magis, quàm inter bonos.*

Non inter eos, quos *ambitio falsos* 4
fieri

fieri subigit. magisq; vultum, quàm in- Sallust.
genium bonum habere. Catil.

5 Opes quid curas? *Fortunam velut* Apul.
tunicam, magis concinnam proba, in A-
quàm longam. pol 1.

6 Quid cultum aut corpus. *Hone-* Seneca
stum civile est, cui corpus nimis carum Epist.
est. Taci-

Tu à te laudem tibi sume; inter- tus An-
na veráque virtute, *non specie inanium* nal. 15.
validus. In A-

Esto mihi *cultu modicus, sermone* gric.
facilis. Sallust.

7 *Ore probo, animo verecundo.* in Frag.

8 *Opum contemptor, recti pervicax,* Tac. 5.
constans adversum metus. Histor.

9 Unius animi cultor: qui *dux atq;* Sallust.
imperator vitæ mortalium. Jugurt.

10 *Rector humani generis, atque habet* Indi-
cuncta, neque ipse habetur. dem.

Præclara enim *facies, magnæ divi-* Indi-
tiæ, ad hoc vis corporis, & alia hujusmo- dem.
di omnia brevi dilabuntur: Indi-

11 *At ingenii præclara facinora, sicuti* dem.
anima, immortalia sunt.

CAP. VII.

Ad Prudentiam transitum, qui Rectorum alter. Necessitas ejus ostensa. Definitio posita, & exposita. Partes ejus, & utilitas.

SUMMARIA.

1 Prudentia *virtutem ipsam ducit. Quæ sine ea, haud recta. ibid.*
2 *Quid Prudentia?*
3 *Sagacitas ejus.*
4 *Discretio.*
5 *Duplex ea Privata, & quæ foras spectat.*
6 *Ars & norma totius vitæ.*
7 *Munia ejus.*
8 *Vis ejus.*

VIæ tuæ Ducem unum habes, Virtutem: adjungo nunc alterum, quem Prudentiam dixi. Is non 1 tuus solùm, sed si inspicis, Virtutis ipsius rector. certè director. Sine Prudentia enim quæ potest esse virtus? Plato verè ait: ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖται

In Menone.

τὸ

τοῦ ὀρθῶς πράττειν: *Prudentia sola prait & ducit ad rectè faciendum.*

Et Sophus alter: οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως, ἄνευ φρονήσεως. *Fieri non potest, ut quisquam verè probus sine Prudentia audiat.* Caussa hæc; quod Virtus omnis in Electione & Modo est: non hæc sine Prudentia: ergo nec Virtus. Atq; ut architectis opus nullum rectè processerit, sine libella & linea: non itē nobis, sine norma hac directrice. Quam definio INTELLECTUM ET DILECTUM RERUM, QUÆ PUBLICE PRIVATIMque FUGIENDÆ AUT APPETENDÆ. Arist. 6. Ethic. cap. 5.

2

3 Intellectum dixi: quia hæc est quæ videt omnia, ideoq; ὄμμα τῆς ψυχῆς, *oculus animæ,* jure dicta. Arist. & Jāblic.

4 Dilectum addidi. quia eadem, quę seligit: & recto judicio, *honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernit.* Tacit. 4. Annal.

5 Privatim etiam & publicè, inserui. quoniam species ejus velut duplex, Domestica & Civilis: quarū illa sibi, hæc aliis prodest. Φρονίμους οἰόμεθα εἶναι, οἳ τὰ αὑτοῖς ἀγαθὰ, καὶ τὰ τοῖς ἀνθρώ- Arist. 4. Ethicor. cap. 5.

ἀνθρώποις δύνανται θεωρεῖν. Prudentes censemus, qui ea, quæ sibi, quæque aliis conducunt possunt dispicere.

Plato Alcib. 2. Φρόνιμον γε φήσομεν ἀποχρῶντα ξύμβουλον καὶ αὐτὸν αὑτῷ καὶ τῇ πόλει. *Prudentem dicemus, sibi & reipublicæ consulere potentem ac validum.*

Itaque usus ejus multiplex. & recte Ille, qui dixit: *Artem vivendi esse Prudentiam, ut medicinam valetudinis.* 6

Cic. 5. de Finib.

Seneca. Hæc enim est, quæ *præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.* 7

Idem. Hæc quæ *fallere non vult, & falli non potest.*

Menander. Cui omnia subjecta. 8

ἅπαντα δοῦλα τοῦ φρονεῖν καθίσταται: Famulatur omne, quicquid est, Prudentia.

Plautus Trin. Etiam ipsa Fortuna. nec vanè dictum: *Sapiens pol ipse fingit fortunam sibi.*

Sophocles Antig. Igitur jure Tragicus.

Πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
Πρῶτον ὑπάρχει.

Longè Prudentia felicitatis.

Primas

Primus tenet.

At contrà, imprudentia infelix, quæ *pleraq; & se, præcipitat.* Salluſt. ad Cęſ.

Cap. VIII.

Quid gignat Prudentiam? Uſum eſſe, & Memoriam. Quid ea utraque? Vis & firmitudo illius prælata: ſed raritas & difficultas item oſtenſæ.

Summaria.

Duo Prudentiam faciunt:
1 *Uſus & Memoria.*
2 Uſus *certiſſimus doctor.*
3 *Longè ſupra alios magiſtros.*
4 *Is bona malaq; novit.*
5 *Artes omnes genuit.*
6 *Civilem perficit.*
7 *Incommodus tamen, quia ſerus.*
In extima ætatis proprius. *ibid.*

1 PRudentiæ autem parentes duo, Uſus & Memoria rerum. Nam quod

quod Poeta vetus in Sapientiam scripsit:

Afran. *Usus me genuit, mater peperit Memoria.*

abnuo: & verius est in istam. Usum intelligo, NOTITIAM HUMANARUM RERUM EX VISU VEL TRACTATU. Memoriam, NOTITIAM SIMILEM EX AUDITU VEL LECTU. Usus haud paullò firmior, & ideò jure pater. 2
Per sua enim, non per aliena Pericula discit: per propinqua exempla, non remota. quin plerisque eventibus ipse adest: interest, præest. Itaque verè scriptum.

Plin l. 26. Idē, lib. 17. *Usus efficacissimus rerum omnium magister.*

Et, *experimentis optimè creditur.*

Cicer. de Orat. Imò ampliùs: *Usus omnium magistrorum præcepta superat.* 3

Homer. Odyss. Quem qui multum habet, glorietur jure: 4

——νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρηα.
----novi & scio singillatim

Qua

Quæ bona; quæ mala sint.

Hic ad omnem artem utilis sive necessarius.

Per varios usus artem experientia fecit. Manil.

Exemplo monstrante viam.

Sed ad hanc civilem imprimis. Aristo. Eth. 10. ca. ult.
Καὶ τοῖς ἐφιεμένοις περὶ πολιτικῆς εἰδέναι προσδεῖν ἔοικεν ἐμπειρίας: & *quisquis in re civili intelligens haberi volet, opus ei experientia.*

In quo tamen hoc mali, quod præceptis non traditur, sed *ætas eum denique affert.* Cic. 2. de Orat.

Nam ut Poeta ait:

---- seris venit usus ab annis. Ovid. 6. Metam.

Hinc *Prudētia senū* in vulgi verbo:

Hinc illud sapientis.

Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Solon.

Assiduè addiscens ad senium propero.

Cap. IX.

Memoriæ rerum, sive Historiæ, fructus. Facilem hanc, ad Prudentiam, viam: Etiā ad Probitatem.

Sum-

SUMMARIA.

1 Memoriæ dotes.
Facilitas. eod.
Crebritas. ibid.
2 *Ea vivit in libris historicis.*
3 *Per eam virtutibus & vitiis suus honos.*
4 *Vitam instruit privatam.*
5 *Publicam dirigit.*
6 *Ad consilia præit.*
7 *Consiliarii mortui, boni, liberi, sine fuco.*

AT Memoria, parens altera est. 1
quam Usui non appono solùm, sed in parte propono. Magis enim obvia hæc & facilis. diffusa latius, & quæ plura ad Prudentiam & in plures confert. In quosvis enim ea, & quovis tempore, cadit: cumque iter illud per propria particula, longum, nec sine periculis sit: hac via tutior, ideoque tritior, & haud paullò

Tacit. 4. Annal. *Plures aliorum eventis docentur.*

Id est, Historia. quæ non aliud, 2
quàm anima & *vita Memoriæ.*

Exempla

Exempla enim *omnia jacerent in te-* Cic. 2.
nebris, nisi literarum lumen accede- de O-
ret. rat.
3 Hæc eſt illa φυλακὴ τῆς τῶν ἀξιο- Idem
λόγων ἀρετῆς μάρτυς τῆς τῶν φαύλων p Ar-
κακίας, εὐεργέτης τοῦ κοινοῦ τῶν ἀνθρώ- chia.
πων γένους : *Cuſtos illuſtrium virorum* Dio-
virtutis, teſtis malorum ſceleris, benefi- dor.
cia in omne humanum genus. Sicul. 1.
4 Hæc *lux veritatis, magiſtra vitæ.* Biblio.
Verè Magiſtra. In hac enim tibi Cicer.
fas, ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ κοσμεῖν καὶ ἀφο- 2. de
μοιοῦν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον: Orat.
tanquam in ſpeculo ornare & compone- Plutar.
re vitam ad alienas virtutes. in Ti-
In qua *hoc præcipuè ſalubre ac frugi-* moleo-
ferum, omnis te exempli documenta in onte.
illuſtri poſita intueri : ut inde tibi tuæq; Livius
reip. quod imitere capias ; inde fœdum 1.
inceptu fœdum exitu, quod vites.
5 Eadem ad Civilem hanc partem libro 1.
utiliſſima: nec temerè Polybius: ἀλη-
θινοτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς
τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστο-
ρίας μάθησιν, dixit; *veriſſimam diſci-
plinam exercitationemq; ad res Civi-
les, Hiſtoriam eſſe.*

Arist. 1. Rhetor. cap. 5.

Et ad consilia. χρήσιμοι πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς, αἱ περὶ τῶν τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι : *utiles ad publicas deliberationes, rerum gestarum historiæ.* 6

Lamprid. in Alex.

Quo aspectu Imperator Alexander, consiliis togæ & militiæ *litteratos adhibebat, & maximè eos, qui historiam norant.*

Alphonsus Sicil.

Et rex alius, *optimos consiliarios Mortuos* ajebat, intelligens hos ipsos Historiæ libros. 7

CAP. X.

Appendix de Doctrina, quæ utrique Rectori utilis. Quis legitimus usus ejus finis, modus.

SUMMARIA.

1 Doctrina *prudentiam promovet.*
2 *Virtutem ornat aut perficit.*
3 *Et propriè animos ei purgat ac præparat.*
4 *Usus ejus, verè usus.*

5 *Nec*

5 *Nec enim in verbis nudis: sed bonis factis.*

6 *Abutuntur, qui non tales.*

7 *Quod genus ferè tincti ea, non imbuti.*

8 *Finis ejus verus:*

9 *In ea modus.*

10 *Nec enim sapit, qui nimis sapit.*

11 *Quin frænanda immodica discendi cupiditas.*

12 *Vitium hodiè & in senibus crebrũ.*

UTrumque Rectorem dedi, & ab eo ab his præloquiis: nisi quod de Doctrina etiam breviter attexo. id est, ipsis adjutoribus tuis do ad-
1 jutorem. Nam hæc est, quæ non ad Prudentiam solùm facit validè (clarum id quidem) sed & Virtutem.

2 Quæ *etsi quosdam impetus à natura sumit, tamen perficienda doctrina est.* Quinctil. lib. 12.

Non enim plenè satis *contingit ea, nisi animo instituto & edocto.* Seneca.

3 Eo tamen sensu; *non quia literæ Virtutem dare possint, sed quia animum ad accipiendam illam præparant.* Epist. Idem.

Avidè igitur hæc haurienda, sed

Cicero Tusc. ad usum. *Non enim paranda nobis solùm, sed fruenda Sapientia est.*

5 Ego cum Poeta

Pacuvius. *Odi homines ignava opera, philosopha sententia.*

In Jugur. Et cum Salustiano Mario, *parum mihi placeant ea literæ, quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.*

Tacit. 15. Annal. Imò nocuerunt, quia multi vitia sua tegunt & inumbrant hoc velo, *animo perfidiosi & subdoli, avaritiam ac libidinem occultantes.* 6

Indidem. *Specie bonarum artium falsi, & amicitiæ fallaces.*

Indidem. Sed ii ferè ex eo genere, *qui doctrina oretenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt.* 7

4. Hist. Tu contra habeto eam non ad pompam aut speciem, *nec ut nomine magnifico segne otium veles, sed quò firmior adversum fortuita rempublicam capessas.* 8

Seneca Et habeto etiam cum modo. quia *plus scire velle quàm satis sit, intemperantiæ genus est.* 9

Æschylus. Ο χρήσιμ' εἰδὼς, ὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός.

Qui

Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.

0 Atq; adeò verissimè dictum: *Plus sapit interdum vulgus, quia tantum, quantum opus est, sapit.* Lactāt. lib. II. Instit.

1 Imitare igitur Agricolam: qui *studio scientiæ flagrantem animum coercuit, tenuitq́ue, quod est difficillimum, ex Sapientia modum.* Tacit. in Agric.

2 Nam nos plerique hodie, *ut omnium rerum, sic litterarum intemperantia quoque laboramus: nec vitæ, sed scholæ discimus.* Quo veriloquio claudo & consigno hunc librum. Seneca Epist.

Justi Lipsi POLITICORUM

sive

CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI SECUNDI.

Cap. I.

De imperio universè dictum. ejus necessitas in Societate ostensa, & fructus.

Summaria.

1 *Definitio* Imperii.
2 *Vis ejus.*
3 Utilitas.
4 *Vinculum rerum.*
5 *Regimen hominum.*
6 *Contrà, Inobedientia confusionum parens.*

Vix

VIæ hujus Rectores ostendi tibi: sed cõmuniter, & ostendi tantùm ipsam mihi, sodes, ingredere: ego qui sequare atque assequare eos, dicam, nec id per stadia solùm singula, sed pænè passus. Vita Civilis in Societate est: Societas in duabus rebus, Cõmercio & Imperio. Illud * alterius argumenti est, hoc mei. quod definio, CERTUM ORDINEM IN JUBENDO ET PARENDO. Cujus tanta vis sive necessitas potius, ut hoc unum fulcrum sit rerum humanarum.

* *Nempe Moralis aut Oeconomici.*

2 Sine imperio enim *nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Cic. 3. de Leg.

3 Et quod sequitur, magna ejus utilitas. *τὸ γὰρ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, οὐ μόνον τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν συμφερόντων: Regere enim & regi, non solùm inter ea quæ necessaria, sed & utilia.* Arist. 1. Politic. c. 3.

4 *Istud* sane *est vinculum, per quòd respublica cohæret: ille Spiritus vitalis, qui hæc tot millia trahunt: nihil per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur.* Sen. 1. de Clem.

Deniq; hæc Circæa illa virga, qua 5
tactæ feræ hominesque mitescunt,
quæ *è ferocibus universis, singulos, suo quoque metu, obedientes facit.* Livius lib. 6.

At contra, ruunt omnia, ubi non 6
hoc firmamentum: diffluunt, ubi non hoc coagulum, & nimis pro vate, ille vates:

So-phocl.

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν.
Αὕτη πόλεις ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν, ἥδε συμμάχου δορὸς
Τροπὰς καταρρήγνυσι· τῶν δ' ὀρθουμένων
Σώζει τὰ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία.

Majus inobedientia nullum est malum.
Hæc perdit urbes, ista perdit & domos
Vastasq; reddit; Martis in certamine
Hæc terga vertit. ritè sed parentium
Res atque vitam servat Auscultatio.

CAP. II.

Divisio Imperii. Principatus, prima & optima ejus pars. id variis argumentis ostensum.

SUM-

SUMMARIA.

1 *Tres Imperii formæ.*
2 *Difficile, nec certum de iis judicium.*
3 *Optimus tamen Principatus videtur.*
4 *Qui vetustissimus.*
5 *Idem ex natura maximè.*
6 *Ex ratione, & usu.*
7 *Nam plurimum imperium, ad plures trudit.*
8 *Discordiam gignit.*
9 *Contrà, Pacem Principatus.*
10 *Pro quo & Veterum Auctoritas.*

1 IMperium hoc autẽ triplex: Principatus, Optimatum, & Populi status. *Nam cunctas nationes & urbes* (ait meus scriptor) *Populus, aut Primores, aut Singuli regunt.* & quidquid scrutere, nec cœtum aliquem socialem sine ulla harum formarum reperies, nec in eo aliam præter istas. Miscentur inter se, fateor, & remittuntur aut intenduntur: sed sic, ut propendeat & præponderet semper aliqua Tacitus lib. 3.

pars, à qua jure ei nomen. Sed quæ 2
ex his optima? diu hoc in lite. quam
solvit & non solvit idem ille noster.

Ibidē.

Dilecta, inquit, *ex his & constituta reipublicæ forma faciliùs laudare quàm evenire: aut si evenit, haud diuturna esse potest.* Ego si non verius, clariùs rem 3
aperio, & præfero palam Principatum. Movent me ista;

Arist.

Quòd ille antiquissimus: *Vetustis-* 4
sima & divinissima, regia gubernatio, censet Philosophus.

Cic. 3. de Leg.

Et certum est, *omnes antiquas gentes regibus primùm paruisse.*

Sallust. Catil.

Quod etiam *in terris nomen imperii primum fuit.*

Justinus lib. 1.

Ut verissimè præfatus sit ille, *Principio rerum, gentium nationumq; imperium penes reges erat.*

Sallust. Epist. Mithridatis.

Addo, quòd ad naturam aptissi- 5
mus. Docent animantes ceteræ, in quibus imago hæc imperii: docent plerique hominum & orbem peragra; *pauci libertatem: pars magna justos dominos volunt*, sed & habent.

Tacit. 1. Annal.

Idem secundum rationem maxi- 6
mè. *Unum* enim *imperii corpus, unius* [illegible] *animo*

animo regendum videtur : ſicuti ab uno gubernatore, una navis.

Plures, quid mihi affers? turbas. non aliter, quàm *εἰ θέλουσι δύο ἥλιοι γενέσθαι, κίνδυνος πάντα συμφλεχθέντα διαφθαρῆναι : ſi duo Soles velint eſſe, periculum, ne incendio omnia perdantur.* Serinus.

Arduum enim *ſemper eodem loci potentiam & concordiam eſſe.* Tacit. 4. Annal. 1.

Itaque *pacis intereſt, omnem poteſtatem ad unum conferri.* Hiſt.

Legimus, imo ipſi vidimus, *diſcordantis* ſæpè *patriæ non aliud remedium fuiſſe quàm ſi ab uno regeretur.* 1 Annal.

Nec diſſentiunt à me prudentes, ille clamat *ὁ βασιλεὺς, ὡς θεὸς, ἐξ ἀνθρώπων : rex, deus quiſpiam humanus eſt.* Plato in Polit.

Alius, Ἐκ δὲ διὸς βασιλῆες : *Ex Jove ſunt reges.* Callimach.

Et tertius inculcat— *διοτρεφέας βασιλῆας : à Jove educatos reges.* Homerus.

Quinetiam non nemo : *Regnum res inter deos hominesq́ pulcherrima.* Livius lib 26.

Ut jure concludam & optem cum Homero :

Iliad 6. ——εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.
--- *herus unitus esto,*
Unicus & princeps.

Nam plures rationes ſcio; nec afſero: in hoc anguſto circo alienorum verborum, cui me incluſi.

CAP. III.

Principatus definitio per partes declaratio. & primùm, utrius ſexus ille ſit?

SUMMARIA.

1. *Quid* Principatus?
2. *Virorum id munus.*
3. *Vix fœminarum:*
4. *Quæ imbecillæ.*
5. *Quæ inconſtantes.*
6. *Quæ non adſipientes.*
7. *Sæpe vitioſæ.*
8. *Et lubricæ.*
9. *Nec honeſtum viris ad jugum.*
10. *In alteram tamen partem ratio:*

A com-

11. *A communione Virtutis.*
12. *Ab exemplis.*
13. *A ritu gentium.*

NEc tamē Principatum omnem confusè extollo, sed verum &
1 legitimum. quem definio, UNIUS IMPERIUM, MORIBUS AUT LEGIBUS DELATUM, SUSCEPTUM GESTUMQUE PARENTIUM BONO. in qua formula, nisi fallor, non vim solùm omnem boni Principatus inclusi, sed & ad illum viam. Diducam & explicabo. Posui primò, UNIUS IMPERIUM. viriné, an fæminæ? Utriusq;. sed illius maxi-
2 mè: quia jubet sic natura.

Τό τε γὰρ ἄρρεν, φύσει τοῦ θήλεος ἡγε- Arist. 1.
3 μονικώτερον: *Nam quidquid masculū, natura magis factum ad imperandum fæmineo.* Politic. cap. 8.

4 Etiam ratio. Nam palàm est, quòd ille conditor nostri Deus, fæminis quidem

---- pectus instruxit dolis
Sed vim negavit. Seneca Octav.

5 Nec constantiam dedit: Proper.

Nulla

2. Eleg. — *Nulla diu fœmina pondus habet.*

Ne prudentiam quidem plenè. 6
Tac. 15. Annal. & *plerumque muliebre consilium deterius.*

3. Annal. Atqui hæc imperii vera instrumẽta. 7 Sed adde & vitia. quia *non imbecillis tantùm & impar laboribus hic sexus, sed si licentia adsit, sævus, ambitiosus.*

Quid etiã si sæpe lubricus? quàm 8
4. Ann. in lubrico tunc respublica? *Nec enim fœmina, amissa pudicitia, alia abnuerit.*

Deniq; indecorum, & servum ni- 9
De moribus Ger. mis hoc servitium. Censor meus de barbara quapiã gente: *Fœminæ dominatura in tantùm non modò à libertate, sed à servitute degenerant.*

Plinius Paneg. Atq; his caussis videatur feminis *sufficere obsequii gloria.*

Ecce tamen & tela non imbellia 10 pro imbelli sexu. Pro iis hæc ratio. 11
Senec. Epist. quod *Nulli præclusa est virtus: omnes admittit.*

Idem. *Nec censum, nec sexum eligit.*

Et revera, nonne eximiæ aliquot 12 reginarum lectæ nobis, auditæ, visæ?

flæ? quæ fortes, cautæ, castæ, *virilibus curis feminarum vitia exuerant.* Tac. 6. Annal.

Pro iisdem, consensu aliquot gentes. Britanni illi veteres non regno solùm præfecere, sed bello. *Solitum quippe Britannis, feminarum ductis bellare.* In Agric.

Germani viris ipsis antetulerunt: & *inesse iis sanctum aliquid ac providum putarunt.* De moribus Germ.

Itaq; *nec consilia earum aspernabantur, nec responsa negligebant.* Ibid.

Imò *pleras q; earum* (rides, an ringeris?) *fativicas, & augescente superstitione arbitrabantur deas.* 4. Hist.

Capaces igitur sceptri: ut hi quidem censent. atq; etiam ego, nisi lex aut mos patrius aliter jubent.

CAP. IV.

Quomodo capiendus Principatus? duos legitimos modos esse, Electionem & Successionem, & de utraq; aliquid dissertum.

SUM-

SUMMARIA.

1. *Locum Principum plures adfectant.*
2. *Et id naturæ vitio.*
3. *Frenum iis duplex: Successio & Electio.*
4. Illa, *ut videtur, melior.*
5. *Pacatior.*
6. *Securior.*
7. *Ex Principum ipsorum usu.*
8. *Pro* Electione, *& sua ratio.*
9. *Quia digniores reperit.*
10. *Quia & ipsa dignior.*
11. *Ceterum extra has, & obliqua via, nec fausta.*

NAm hæc ante omnia servo, ideo addo, MORIBUS AUT LEGIBUS DELATUM: non temerè initium & velut caput Regiæ hujus viæ muniens, quia multi cal- 1
care eam volunt pede non recto.

Sallust. Jugurt. *Natura mortalium avida imperii* 2
est, ait ille:

Taci. 2. Histor. Et alter: *Vetus ac pridem insita mortalibus potentiæ cupido:*

15. An. Eaq; *cunctis affectibus flagrantior.*

Itaque

Itaque Principatum multi appetunt, nec bono ipsi, nec bono fine. quos repressit tamen mos sive lex gentium repagulo duplici, Electionis & Successionis. Hanc appello, CUM GENTILIS IS HONOS EST, ET PRINCEPS è PRINCIPE NASCITUR. Illam, CUM NATALIUM JURE SUFFRAGIIS DESIGNATUR. Electio, antiquior. tamen Successio receptior, & aspectu aliquo melior: quia verum est:

Minore discrimine sumi Principem, quàm quæri. Taci. 2. Histor.

Turbis etiam hoc obstaculum. cum alioqui *magnis* aut novis *conatibus opportuni sint transitus rerum.* 1. Hist.

Nam clarum est, *pravas aliorum spes cohiberi, si successor non in incerto.* 3. Ann.

Princeps ipse per hanc viam securior, & *pluribus* velut *munimentis insistit.* 1. Ann.

Oraculum est, *Non classes, non legiones, perinde firma imperii munimenta, quàm numerum liberorum.* 4. Hist.

Tamen aliis ratio magis placet alia. Plinius

Paneg. lia. & ajunt, *Imperaturum omnibus, eligi debere ex omnibus.*

Taci. 1. Histor. Vel ideò, quod plerumque *optimum quemq; Electio invenit.* 9

Ibidē. *Nam nasci & generari à principibus, fortuitum, nec ultrà æstimatur: cooptandi judicium integrum, & si eligere velis, consensu monstratur.*

Ibidē. Minus etiam servilis hæc species, & *loco libertatis erit, si eligi incipimus.* 10

Eodem libro. Sed utra harum rectior, non rectæ viæ aliæ: nec *quisquam imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuit.* 11

Cur. lib. 4. Imò nec diu exercuit. quia *nulla quæsita scelere potentia, diuturna est.*

CAP. V.

Initia Principatuum plerumq; laudabilia: sed id non satis. perseverandum esse.

SUM-

SUMMARIA.

1 *Principia Principum ferè bona: at non finis.*
2 *Ideo grati, novi reges.*
3 *Sed non in longum.*
4 *Caussa, quia fucus decidit.*
5 *Aut certè mutantur in regno.*
6 *Suo sæpè malo.*
7 *Quia & fortuna cum iis mutatur.*

SEd addidi etiam, SUSCEPTUM GESTUMQUE. nec geminavi temerè, quia sunt qui suscipiant rectè, non gerant & finiant. ego autem palmam hanc in meta, non in carceribus figo. Fit malo vitio, an fato humani generis, ut

1 *Initia magistratuum* aut Principū *ferè meliora sint, sed finis inclinet.* Tac.15. Annal.

2 Poeta non nescivit:

——*mitissima sors est* Lucan. lib.8.
Regnorum sub rege novo.

Imò nec ipsum vulgus. qui *accipiunt regem lætantes, ut fermè ad nova imperia.* Tac.2. Annal.

3 Spei suæ quam sæpè falsi? Nam pleri-

12. Annal. pleriq; regnantium, *suóne an servitii ingenio, dum adipiscuntur dominationes, multa caritate sunt, & majore odio, postquam adepti.*

Fit ideo, quia plurimùm simulatæ eæ virtutes: cum sciant omnes. 4

4. Hist. *Novum imperium inchoantibus, utilem esse Clementiæ famam.*

2. Hist. Aut certè non altè insitæ. ideoq; 5 peccare paulatim *indulgentia fortunæ, & pravis magistris, discunt audentque.*

12. Annal. Sive etiam Regni ipsius natura hoc fert, ut *diuturnitatem in superbiam mutent.*

At malè. *Imperium* enim *iis artibus* 6 *facillimè retinetur, quibus initio partum est.*

Sallust. Catil. Quòd si se mutant: videant, ne *Fortuna* quoq; *cum moribus immutetur.*

CAP. VI.

Quis finis, quo actiones omnes Princeps dirigat? Bonum publicum id esse, & seponenda privata.

SUMMARIA.

1 *Beatitas Civium, Principi proposita.*
2 *Et ideò eligitur.*
3 *Tyranno autem, sua.*
4 *Ut pastori cura gregis est.*
5 *Non igitur dominium finis.*
6 *Ideò curet, foveat.*
7 *Non negligat, ut fluxi illi & soluti.*
8 *Onus enim hoc, non solum munus est.*
9 *Vigilans autem Princeps firmus.*

DEnique in extremo posui PARENTIUM BONO: in iis verbis Finem ipsum veri Principatus complexus, & candidam illam metam, ad quam currat regius hic athleta, quæ

quæ non aliud, quam subditorum commodum, securitas, salus.

Cic.5. de Rep. Nam *moderatori reipub. beata civium vita proposita est.* 1

Ibidē. *Ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.*

Xenophon. in Memorab. Socrat. lib.3. Te spectas? erras. καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελεῖται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι: *nam rex eligitur, non ut sese molliter curet, sed ut per ipsum, ii qui elegerunt, bene beateq; agant.*

Hac una in re maximè abit ille à 3
Arist.8. Polit. cap.10. Tyranno. quod ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς, τὸ τῶν ἀρχομένων: *Tyrannus suum ipsius commodum spectat; & quærit at rex subditorum.*

Qui verè est Homericus ille ποιμὴν λαῶν: *Pastor populorum.* 4

Scias igitur, quisquis hoc nomi- 5
Senec. de Clē. ne, *civium non servitutē tibi traditam, sed tutelam.*

Indidē. *Nec rempublicam tuam esse, sed te reipub.*

Vatem audi: 6

Tu

Tu civem patremq; geras, tu consule cunctis, Claudi. ad Hon.
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.

Malus ille, qui *ex magna Fortuna licentiam tantum usurpat:* Tac. 4 Histor.

Qui *non ad curas intentus, sed stupris & adulteriis Principem agit.* Ibidē.

At verus bonusq; noster intendit, vigilat; & scit, *Maximo imperio maximam curam inesse.* Sallust.

Omnium somnos illius vigilantia defendit; omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Senec. de Clē.

Ideo *remissum aliquando animum habebit; numquam solutum.* Ibidē.

Hoc subditorum bono fiet, hoc ejus. quia *illius* demum *Principis magnitudo stabilis fundataq; est, quem omnes tàm supra se esse quam pro se sciunt.* Ibidē.

CAP. VII.

De via recta quam Princeps ingrediatur: & primum de Virtute. o-

sten-

ſtenſum hanc ei, ſua cauſſa neceſſariam.

SUMMARIA.

1 *Ad finem Boni publici duo conducunt: Virtus & Prudentia.*
2 Illa *Principi convenit ex decoro.*
3 *Ex fama.*
4 *Ex utili.*

VErum ecce Principem definivi: formabo tibi nunc eundem, & qui perveniat ad ſalutarē illam metam, velut manuducam. Incluſa ſanè hæc via in ipſo Boni publici fine, fateor: (nemo enim ſic geret, qui non ipſe bonus: nec id ſolum, ſed & prudens:) verum incluſa occultè. ego educam, aperiam, & totum hoc imperandi iter tenuiore quodam, ut ſic dicam, ſabulo ſternam ſalubrium præceptorum. Duo ſunt, quæ legiti- 1
mum & numeris ſuis abſolutū Principem faciunt: Prudentia & Virtus, illa ut in Actionibus ejus eluceat, hæc in vita. De Virtute præmittam: quæ prorſus & Regi aſſumenda, & per

2 per eum his qui regnantur. Regi: quia ita decorum est, ut probitate emineat, qui dignitate: Cyrum lubẽs audio: qui

Οὐκ ᾤετο προσήκειν μηδενὶ ἀρχῆς ὅστις μὴ βελτίων τῶν ἀρχομένων: non censebat convenire cuiquam imperium, qui non melior esset iis quibus imperaret. Xenophon. Pæ. 8.

Vulgo ita judicamus; & ubi suffragiorum res, plerumq; *ὁ βασιλεὺς καθίσταται ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ' ὑπεροχὴν τῆς ἀρετῆς, ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. Rex constituitur ex idoneis, aptisq; ob eminentiam virtutis, aut actionum quæ à virtute.* Arist. 5. Polit. cap. 10.

Meo sanè & Poëtæ puncto. Auson. in Monosyl.

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.

3 Sed & fama ejus hoc postulat: quæ parum pura si non vita. *Omnia* enim *facta dictaq; Principis rumor excipit:* Sene. 1. de Clẽ.

Nec magis ei, quàm soli latêre contingit. Indidẽ.

Ut jure *cavere debeat qualem famã habeat: qui qualemcumq; meruerit, magnam habiturus est.* Indidẽ.

Eo magis, quod *invisum semel* Tacit.

1. Hist. *Principem seu benè seu malè facta premunt.*

Etiam regni firmitas sic poscit. 4 quia

Seneca —*ubi non est pudor*

Thyest. *Nec cum juris, sanctitas, pietas, fides,*

Instabile regnum est.

Sit ante oculos Nero, & qui alii ty-

Tac. 1. rannorum: *quos sua immanitas, sua*

Hist. *luxuria, cervicibus publicis depulere.*

Senec. Ad exitium natæ voces,

—*sanctitas, pietas, fides.*

Privata bona sunt. qua juvat, reges eant.

Et usu disces.

CAP. VIII.

Subditorum etiam caussa Principi virtutem induendam, & ipsis instillandam. sine qua probus aut diuturnus nullus cœtus.

SUMMARIA.

1 *Infirmus Reip. status sine Virtute.*

2 *Cum*

2 *Cum ea firmus & felix.*
3 *Prava quorundam opinio.*
4 *Ejusq; ratio.*
5 *Sed hæc subversa.*
6 *Quo quis melior, hoc jugi patientior.*

1 IAm & Principi cura altera, ut cũ ipse bonus, subditi etiam tales. Ubi virtus abest, quæ societas non dicam laudabilis, sed firma? Quod de opido Poeta, de statu omni dixeris:

Si incolæ benè morati sunt, pulcrè munitum arbitror. Plaut. Persa.

Sin aliter, profectò

—— *centuplex murus rebus servandis parum est.* Ibidẽ.

2 Audi Prudentiæ alumnum: *Ille reip. status optabilis & firmus est, in quo & privatim sanctè innoxieq; vivitur, & publice Iustitia ac Clementia vigent.* Polyb. lib. 6.

Audi & Sapientiæ: Εἰ μέλλεις τὰ τῆς πόλεως πράξειν ὀρθῶς καὶ καλῶς, ἀρετῆς σοι μεταδοτέον τοῖς πολίταις: *Si rempub. rectè laudabiliterq; instituis gerere, virtus tibi cum civibus communicanda est.* Plato Alcib. I.

3 Hos, inquam, potiùs, quàm illos

Salluſt. ad Cęſ. malè callidos. qui *eò munitiores reges cenſent, quò illi quibus imperitant, nequiores fuere.*

Plinius Paneg. *Quod patientiores ſervitutis arbitrātur, quos non deceat niſi eſſe ſervos.* 4

Salluſt. ad Cęſ. Sed profectò hac ipſa in re errant. Nam *peſſimus quisq; aſperrimè rectorem patitur.* 5

Idem, in Jugurth. Contrà, boni mites & obnoxii, *metuentes magis quàm metuendi.* 6

Et ab ore veritatis illud eſt,

Plaut. Mil. ——*facile imperium in bonos.*

Salluſt. ad Cęſ. Jure igitur dabis operam, *cùm ipſe bonus atque ſtrenuus ſis, uti quàm optime imperites.*

CAP. IX.

Subditos probos fieri maxime à Principis exemplo. cuius incredibilis vis in utramvis partem.

SUMMARIA.

1 *Subditi ad Principem ſe formant.*
2 *Ejus cauſſa.*
3 *Duci natura mavult, quàm cogi.*

4 *Facta*

4 *Facta Principum, jussa.*
5 *Et eo bono, plerique boni.*
6 *Malo, mali.*

HOc duplici via assequere, Legum & Exempli. De illa, mox tangam: de hac nunc habe.

1 *Quales in republica principes sunt, tales reliquos solere esse cives.* Cic. in Epist.

——componitur orbis
Regis ad exemplum. Claud.

2 Nec caussa occulta. quoniam ad alta illa versæ plerumq; mentes & oculi: *nec tam imperio nobis opus, quàm exemplo.* 4. Cons. Hono.

3 Quod urget efficaciùs, quàm ipsæ leges. *Obsequium* enim *in Principem & æmulandi amor validiora, quàm pœnâ ex legibus.*

4 Quanquam illud ipsum tacita quædam lex est quoniam *hæc conditio principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur.* Quinctil. Declã. 4.

5 Vis tuos bonos? ipse esto. *Rectè facere princeps cives suos, faciendo, docet.* Vellej. lib. 2.

Rex velit honesta, nemo non eadem volet. Seneca Thyest.

Cic. 3. de Leg. Solutos & malos? te solve. Nam 6 *vitia non solùm ipsi Principes concipiũt, sed etiam in civitatem infundunt: pluraq; exemplo, quàm peccato nocent.*

Tac. 3. Annal. Et benè noster: *Unius invidia* (addo ego, *& culpa*) *ab omnibus peccatur.*

CAP. X.

Distinctius de Virtutibus Principis dictum. & primum, de Iustitia, quàm ea necessaria: etiam in ipso Principe.

SUMMARIA.

1 *Duplices virtutes principis: Majores, Minores.*
2 Justitia, *inter majores.*
3 *Ejus descriptio.*
4 *Principi in se exercenda.*
5 *Isq; legibus illigandus.*
6 *Ne quid vis ei liceat.*
7 *Quæ obstrictio Imperium non minuit.*
8 *Imò firmat.*

9 *Et sa-*

9 *Et facit verè Regnum.*
10 *Voci contrariæ & improbæ Opposita meliores.*
11 *Malitioso item dogmati.*
12 *Dogma simplicius ac verius.*
13 *Gloria Iustitiæ adsecla.*
14 *Et penè divinitas.*

ERgo Virtus Principi decora & utilis. omnisne? ita censeo: sic tamen ut species ejus quasdam magis necessarias fatear, quæ eminēt & propriè regnum sibi postulāt in Re-
1 gno. Hæ mihi duorum generum: & sunt quædam ut minuta sidera, quę-
2 dam ut magna. Inter magna luminaria habeo, Justitiā & Clementiam, è quibus illam veluti Solem facio: qui nisi Imperiorum omne corpus illuceat, tenebræ in iis, tempestas, nimbi. *Tanta enim hujus vis est, ut nec ii quidem, qui scelere ac maleficio pascūtur, possint sine ulla particula Iustitiæ*
3 *vivere.* Quam in hac mea re definio, VIRTUTEM JUS ET ÆQUUM IN SE INQUE ALIIS FIRMITER SERVANTEM. In se, dixi:

Cic. 2. Offic.

quia Principem ipsum huic alligo: 4
quem legibus placet subiici, etsi 5
(quorundam sensu)

Plinius *Principi eas nemo scripsit.*
Paneg. Nam ἄνομος sanè μοναρχία χαλε-
Plato πὴ, καὶ βαρυτάτη ξυνοικῆσαι. *Ille x*
in Poli. *Principatus molestus, & cui haud facilè subsis.*

Juliæ Turpe illud, *Licet si libet.*
Augu. Hoc pulchrius:
dictum *Minimum dicit libere, cui nimium*
Sene. in *licet.*

Troad. Et meminerit Princeps, *non solùm* 6
Cicer. *quantum sibi commissum, sed etiam*
pro Ra- *quatenus permissum sit.*
bir. Lu- Poëtæ illud falsum & improbum: 7
canus. *Sceptrorum vis tota perit, si pendere*
lib. 8. *justa*
Incipit.

Cicer. Oratoris hoc verius: *Jus & aequi-* 8
para- *tas, vincula civitatum.*
dox. Item illud divini viri: *Remota Ju-* 9
Aug. 4. *stitia, quid sunt regna, nisi magna latro-*
de Civ. *cinia?*
Tac. 15. A barbaro istud barbarum: *In sum-* 10
Annal. *ma fortuna id aequius, quod validius.*

Contra, à rege illud regium, *Cùm*

omnia

omnia possimus, sola credimus licere nobis laudanda.

Poëta etiam sapienter:

Οὗ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν, ἃ μὴ χρεών:

Non fas potentes posse, fieri quod nefas.

Theodebad. apud Cassio. Var. lib. 10. Euripid.

1: Denique nec Euphemi illius sermo: Εὔφημος· Ἀνδρὶ τυράννῳ, ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ, οὐδὲν ἄλογον ὅτι ξυμφέρον. *Viro aut urbi principi nihil iniustum censendum, quod fructuosum.*

In Thucyd. lib. 6.

2: Apage. ab ore aureo aurum illud purius: Ἐγὼ δ' οὐδὲν νομίζω γε ἀνδρὶ, ἄλλως τε καὶ ἄρχοντι, κάλλιον εἶναι κτῆμα, οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης: *Ego verò nullas opes viro, ac præsertim Principi, pulchriores honestioresque censeo, quà Virtutem & Justitiam.*

Xenophon. de Cyri Exped. lib. 7.

13: Et fructum Regi quid ingerunt? gloriam potiùs. *Fundamentum* autem *perpetuæ commendationis & famæ Justitia est: sine qua nihil potest esse laudabile.*

Cic. 3. de Offic.

4: Præclarè Principum princeps: *Pietate & Justitia, Principes dii fiunt.*

Aug. apud Senec. de ludo.

CAP. XI.

Iustitiam administrandam Subditis esse æquabiliter: temperanter: & sine cumulo legum. remoto etiam litium studio.

SUMMARIA.

1 *Ius reddere primum Principis munus.*
2 *Hac caussa creatus maximè.*
3 *Ut suum cuique detur, servetur.*
4 *Ius sit æquum:*
5 *Sine pretii aut gratiæ aspectu.*
6 *Ex legum præscripto.*
7 *Novæ aut multæ leges fugiendæ.*
8 *Et fori hæc litigia.*
9 *Quod inter caussas (mihi quidem) corrupti hujus ævi.*
10 *Ideo novo & diverso Iustiniano opus.*

EAm igitur in se Princeps servet: nec id solúm, sed, ut addidi, IN 1 ALIIS. quia Divam hanc asserere, unà cùm regni munere ei munus. Originem sceptri si repetis:

Fruen-

2 *Fruendæ justitiæ caussa* reperies *olim benè moratos reges constitutos.* Cic. 2. de Offic.

Quid enim aliud quàm contra vim & manuariam illam legem inventi & invecti isti? ut essent, qui *summos cum infimis pari jure retinerent.* Ibidē.

3 Benè Sapientiæ filius: βούλεται ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηθὲν ἄδικον πάσχωσιν· ὁ δὲ δῆμος, μὴ ὑβρίζηται μηθέν. *Rex debet & vult esse custos, ut nec opulenti injustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat.* Arist. 5. Politic. cap. 10.

Benè & Musarum filius:

Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκεν ἄλλοις Hesio.
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι:

Hæc una reges olim sunt fine creati:
Dicere jus læsis, injustaque tollere facta.

4 Jus ergò noster dicat, reddat: & id habeat *supra omnem iniuriam positum.* Senec. de Clement. 1.

Nihil in penatibus eius venale sit, aut ambitionis pervium. Tac. 13. Annal.

Caussas reosq; audiat. quia *inau-*

1. Hist. *diti atq; indefensi: tanquam innocentes pereunt.*

Arist. Rhet. 1. cap. 3. Leges ne violet. ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως: *nam in legibus salus civitatis sita.* 6

Colũ. lib. 1. Interdum tamen temperet. quia haud frustrà *Summum jus*, *antiqui summam putarunt crucem.*

Tac. 4. Annal. Novas parcè ferat. nam & illud verum, *corruptissima republica, plurimæ leges.*

Ibidẽ. Hoc ævum si vides, fateare, *ut antea flagitiis, sic nunc legibus laborari* 7

Ann. 1. inde litigandi ars & studium: *ut quemadmodum vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat.* 8

Ibidẽ. Inde *publicæ mercis nihil tàm venale, quàm* hodie *advocatorum perfidia.*

Colũ. lib. 1. Et cur dissimulem? pestis Europæ *caninum* hoc *studium.* quod haud temerè quispiam *concessum latrocinium* dixit. 9

Plutar. Catonis prisci voto meum adsonet, *Forum muricibus sterni.*

Plinius. Et medeatur noster Princeps: vi- 10

deatq;

deatque *ne legibus fundata civitas, legibus evertatur.* Paneg. Colũ. lib. I.

*Sine * caussidicis satis felices olim fuere, futuraq; sunt urbes.* *Capiorabulas.

CAP. XII.

Clementia definita. Principi commendata, quæ amabilem eum, quæ firmum, quæ illustrem facit.

SUMMARIA.

1. Clementiæ *munera.*
2. *Ejus descriptio.*
3. *Convenientissima Principi.*
4. *Qui largiter exercere potest: & debet.*
5. *Quia gratiam ei parat.*
6. *Tutelam:*
7. *In regno firmitatem.*
8. *Nec crudi aut immites unquam diuturni.*
9. *Sed & gloriam parat: imo velut divinitatem.*
10. [illegible]
11. [illegible]*auat, recondat Princeps.*

11 *Rex esto, non Dominus.*
12 *Imo pater.*
13 *Ut illi timeant, non illum.*

PRæfero nunc Principi lumen al-
terum, Clementiam: id est, ut e-
go appello, Imperiorum Lunam.
Mitis & mollis ea Diva: quæ lenit, 1
quæ temperat; noxios eripit, lapsos
erigit; & servatum it eos ipsos, qui se 2
perdunt. Nec descripserim eam ali-
ter, quam VIRTUTEM ANIMI à
POENA AUT VINDICTA AD
LENITATEM CUM JUDICIO
INCLINANTIS. Hæc homini o- 3
mnium virtutum convenientissima,
quia humanissima, sed

Senec. 1. de Clement. *Nullum tamen ex omnibus magis, quàm Regem aut Principem decet:*

Quia *plus habet apud illos quod ser-* 4
vet, ac majore in materia apparet.

Ibidē. Quia etiam omnia conciliat, quæ 5
sceptro digna Amorem imprimis:

Seneca Tragic. *Qui vult amari, languida regnet manu.*

Securitatem, quæ ex amore. 6

Claud. ad Hon. *Non enim sic excubiæ, nec circumstantia tela.*

Quàm

Quàm tutatur amor.

Et cetera vi aut fraude perrumpas: Plinius
hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile Paneg.
munimẽtum est, munimento non egere.

7 Etiam firmitatem. Nam *firmissimum id imperium, quo obedientes gaudent.* Livius lib. 8.

8 Contra autem,

Invisa nemo imperia retinuit diu. Seneca.

Eventibus omnis ævi crede. *qui benignitate ac clementia imperium temperavere, his candida & læta omnia fuisse: etiam hostes æquiores quàm aliis cives.* Sallust. ad Cæ

9 Adde, quòd æterna gloria ab hac via. *nec ulla re propius homines ad Deum accedunt, quàm salute hominibus danda.* Cic. pro Ligar.

10 Poeta versibus aureis: Seneca Octava.

Pulchrum eminere est inter illustres viros:
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare
Orbi quietem seculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hac cælum via.

Usurpet

Tacit. 11. Annal. Usurpet igitur meus Princeps : & *amorem apud populares, metum apud hostes quærat.*

12. Aunl. *Nec dominationem & servos; sed rectorem, & cives cogitet: Clementiamq́ & Justitiam capessat.* 11

Ita Homeri illud conveniet: 12

——— Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν,

- - - - *mitis erat patris instar.*

Ita Biantis illud eveniet : τοὺς ὑπηκόους φοβεῖσθαι μὴ αὐτὸν, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ : *timere subditos non illum, sed pro illo.* 13

CAP. XIII.

Clementia uberius commendata. sed cum temperie. Abire eam à Iustitia leniter. nec tamen solvere vim Imperii, sed vincire lento nodo.

SUMMARIA.

1 *Flectit à justo Clementia.*
2 *Sed bono nostro.*
3 *Idq́ ob assiduas & innumeras culpas:*

4 *Qua*

4 *Quæ dissimulanda: aut omnes & omnia perdenda.*
5 *Crebra punitio vilescit.*
6 *Imò irritat peccata.*
7 *Rebelliones excitat.*
8 *Nec timor coercet.*
9 *Infame hoc etiam Principi.*
10 *Et justitia omninò temperanda.*
11 *In leviter errante, aut seriò pœnitente.*
12 *Non resolvit imperium Benignitas.*
13 *Imo efficacius jubet quædam & patrat.*
14 *O non nisi è cœlo verba!*
Hauri Princeps, hauri. eod.

SEd usurpet (non temerè à me positum) CUM JUDICIO. quia absque illo, mollities hæc & lentitudo sit, & flagitium adeò non virtus. Secedit paullum, fateor; ab acri illo Justitiæ Sole hæc Luna: sed secedit, non discedit, diversa potiùs quàm adversa. Justitia ipsa nihil indignetur, haud usquequaque adhærere sibi Principem nostrum pede presso: quoniam sine peste & pernicie id non potest generis humani.

Tacit. 3. Annal.

Flagitia enim *& facinora sine mo-* 3
do sunt.

Thucyd. lib. 3.

Πεφύκασί τε ἅπαντες, ait ille, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν, καὶ οὐκ ἔστι νόμος ὅστις ἀπείρξει τούτου: *Nati omnes peccare & labi sunt, quà privatim, quà publicè, neque lex est, quæ satis validè vetet, aut capiat modum.*

Tacit. in Agric.

Ita nec ssarium est, sæpè dissimu- 4
let & *malit videri invenisse bonos quàm fecisse.*

Senec. 1. de Clem.

An rigidè semper puniat? non ex 5
publico id usu. quia *severitas amittit adsiduitate auctoritatem:*

Ibidē.

Et nescio quo obnitendi vitio, *vi-* 6
debis ea sæpè committi, quæ sæpè vindicantur.

Ibidē.

Sed nec ex ipsius privato. quoniā 7
ut arbores quædam recisæ pullulant: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo.

Ibid.

Temperatus enim timor est, qui cohibet: assiduus & acer in vindictam excitat.

Sallust. Jugurth.

Verissimè dictum: Sævitia *plus ti-* 8
moris quàm potentia addit.

Tacit.

Metus autem & Terror infirma vincula

cula caritatis, quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient: Agric.

Et *repertis auctoribus, tollent animos.* 6. Annal.

Et tamen fac proficere. quæ hic gloria? *Principi non minus turpia multa supplicia, quàm Medico funera.* Sen. I. de Clem.

Non est tanti vita, si, ut tu non pereas tàm multi perdendi sint. Ibidē.

Melior ergo via altera. & veri *benignique Principis est, ad Clementiæ commodum, transilire interdum terminos Æquitatis. quando sola est Misericordia cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.* Cassiod. II. Var.

Clementis Justitiæ exemplum, sive præceptum hoc habeat. *Omnia scire, non omnia resequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpiùs pœnitentia contentus esse.* Tacitus Agric.

---ignoscere pulchrum
Jam misero pœnæque genus, vidisse precantem. Claudia.

Cleon quid mihi obgannit? Tria esse ἀξυμφορώτατα τῇ ἀρχῇ, οἶκτον, καὶ ἡδονὴν λόγων καὶ ἐπιείκειαν, *nocentissima* Thucyd. lib. 3.

Imperio,

Imperio, Miserationem, Blandiloquentiam, & Æquitatem.

Mentitur. nam & Clementiæ sui nervi, &

Claud. Pan. Mallii.

--- peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit: mandataq; fortius urget
Imperiosa quies.

Plin. 8. Epist.

Malè sinè terrore veneratio acquiritur, longeq; valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor.

Sallust. ad Cæs.

Crispi gemma hæc consigno. *Equidem ego cũcta imperia crudelia, magis acerba quàm diuturna arbitror: neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam bellum æternum & anceps gerere. quoniam neque adversus, neq; ab tergo aut laterib. tutus sis, semper in metu aut periculo agites.*

CAP. XIV.

De Fide adjunctum, quæ Iustitiæ origo aut suboles. Ea commendata, ut columen humani generis. Gloriosum

riosam hanc Principi esse. Utilem Spreti ab Etruria doctores novi.

SUMMARIA.

1 Fidei *descriptio.*
2 *Commendatio.*
3 *Honos ei Romæ.*
4 *Servanda firmiter in Republ.*
5 *Honos ita exigit.*
6 *Et utilitas.*
7 *Nec audiendi vulpiones, qui suffodiunt.*
8 *Frangenda ea nulla vi.*
9 *Nulla fraude.*
10 *Etiam infideli servanda.*
11 *Etiam hosti.*
12 *Perjuris Deus hominesque infesti.*

HAbes duo lumina, de quorum fulgore & quasi repercussu, ecce tibi duo altera accensa, Fidem & Modestiam. E quibus illa justitiæ ita vicina est, ut alteram ab altera oriri verè dixeris, nec refert utram. Nam *&fides Justitiæ fundamētum est:* & hæc, in animo non subsidet, nisi in quo illius

Cicer. 1. Offic.

lius honos & amor. Eam describere 1
breviter possum, EFFECTUM, QUOD
IN NOBIS SIT; DICTI AUT PROMISSI. Virtus: quæ jure omnino cara sit Principi, cui sua aut publica res cara. Nam hæc

Senec. in Epist. — *Sanctissimum humani generis bonum est:* 2

Silius ad Fidem.

Ante Jovem generata, decus divumque hominumq;,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt:
— *Justitiæ consors, tacitumq; in pectore numen.*

Cato Cẽsor. — Quam nec immeritò *in Capitolio* 3
vicinam Jovis optimi maximi Romani
esse voluerunt.

Cicer. 3. Offic. — Ut enim ille tutor humani generis, sic ista: *nec ulla res vehementiùs remp. continet, quàm Fides.*

Auctor. ad Heren. lib. 3. — Itaq; eam *magnopere censemus con-* 4
servandam.

Fama suadet: quoniam

— Καλόν τι γλῶσσ᾽, ὅτῳ πίστις παρῇ: 5
--- *res pulchra, lingua cui siet Fides.*

Euripid. — Fructus suadet. Καὶ ἀκύρων γιγνο- 6
μένων τῶν συνθηκῶν, ἀνῄρηται ἡ πρὸς
ἀλλήλους

ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων: & infirmatis violatisq; pactis, tollitur inter homines commerciorum usus. Aristo Rhet. ad Theod. 1.c.15.

Planè igitur *perfidiosum & nefarium est, fidem frangere, quæ continet vitam.* Cicer. pro Q. Posc. Com.

7 Et ubi isti ductores novi?

Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει:

Quis nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio est. Aristop. Acharn.

Qui aures Principum veneant; & suadent, *Ut omnia recta & honesta negligant, dummodo potentiam consequantur.* (quunt. Cicer. 3 Offic.

Qui intermortuum illud reco-

--- jus regnandi gratia

Violandum est. aliis rebus pietatem colas. Ex Euripide.

8 Heu varni, falsi! Nam *Fides nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio.* Seneca Epistol.

---- Fulgentibus ostro

Hac potior regnis. Silius lib.13.

9 Fraudes & captiunculas miscent? scio. & *perfidos nunquam caussa deficiet, cur pacto non stent:* Livius lib.9.

Semper

Ibidem — *Semperque aliquam fraudi speciem juris imponent.*

Thucyd. lib 4. — Sed audiant generosum Brasidam. Ἀπάτῃ δ' εὐπρεπεῖ αἴσχιον τοῖς γε ἐν ἀξιώματι πλεονεκτῆσαι, ἢ βίᾳ ἐμφανεῖ: *Iis qui in dignitate sunt, turpius, fraude honesta circumvenire aut lædere, quàm vi aperta.*

Cicero 3. Offic. — Nam quod nonnulli sibi *sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit:* 10

ibid. — Errant, & *quærunt latebram perjurio.*

Amb. 11. de Offic. — Nam *Fides etiam perfidis præstanda est:*

Silius lib. 14. — Etiam inter arma & 11

----- optimus ille
Militiæ, cui postremum est primumque tueri
Inter bella fidem.

Idem lib. 2. — Apagite igitur istos, o mei reges:

--- neu rumpite fœdera pacis, 12
nec regnis post ferte fidem.

Aristo. Rhet. ad Alex. ca. 18. — Hoc cogitate οὐκ ἐπιορκεῖν, φοβουμένους τήν τε παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίαν καὶ τὴν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις αἰσχύνην: *non perjerare, timentes & divinam ultionem, & humanam infamiam.*

Nam

Nam profectò

---etsi quis primò perjuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

CAP. XV.

De Modestia præscriptum, quæ Clementiæ assidet. Instillata Principi, & in Sensu & in Actione.

SUMMARIA.

1 *Quid* Modestia?
2 *Rara ea in aulis, & apud magnos.*
3 *Esse tamen debet.*
4 *Nam supra, non extra homines, Princeps.*
5 *Et regnum & omnia regni vana.*
6 *Incerta.*
7 *Ruinæ præcipiti obnoxia.*
8 *Etiam in externis Modestia amplectenda.*
9 *In sermone:*
10 *Nam futiles, inutiles.*
11 *In veste:*
12 *Et alia circumfusa specie,*

ET Fides quidem Justitiæ, ut sic dicam, παρήλιος est: de Clementiæ autem lumine, Modestiæ lumen refulget quæ concolor illi valdè, & lenis mitisque animi assidua comes. Definio, RATIONE TEMPERATUM, NEC ACTIONE EXULTANTEM, DE SE SUISQ; SENSUM. Quæ virtus cum aliis inculcanda (quid enim homines sumus? aut quamdiu sumus?) tum Principi maximè: quem 1

Bernard. in Epist. *In alto positum non alta sapere, difficile est.* 2

Senec. 2. de ira. *Quidquid enim leve & inane in animo est, secunda se aura sustollit.*

Sallust. Jug. Hinc plerumque in magnis ille *contemptor animus, & superbia, commune nobilitatis malum.*

Tacit. 15. Annal. Sed noster temperet, sciatq; *Modestia famam neque summis mortalium aspernandam, & à diis æstimari.* 3

Plinius Paneg. Cur autem insolescat? *Non minus hominem se, quàm hominibus præesse cogitet.* 4

Tacit. 1. Annal. Sceptrum, aut opes, faciunt animos? Miser & vane. *Cuncta mortaliũ incerta:* 5

incerta: quantoq; plus adeptus sis, tantò te magis in lubrico censeas.

Caduca hæc & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Valerius lib.6. ca. ult.

An ignoras magnas arbores diu crescere, una hora exstirpari? Curti⁹ lib.7.

Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi Tyranni. Seneca Hercul. Fur.

Scilicet *nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido.* Curtius lib.7.

Leo ipse *aliquando minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit.* Ibidẽ.

Sensum ergo modificetur & temperet: imò & ACTIONEM. *Persona enim Principis non solùm animis, sed etiam oculis servire debet civium.* Cicer. Phi. lib. 8.

Sermo ei gravis. *Nam quemadmodum sapienti viro incessus modestior cõvenit: ita oratio pressa non audax.* Seneca Epist.

Etiam paucus. Apage linguaces istos: quibus (plerumq; ita evenit) *loquentia multum, sapientia parum.* Sallust. Catil.

Quorum omnis vis virtusq; in lingua sita est. Idẽ ad Cæs.

Curtius lib. 7.

Sanè vetus illud nondum me fefellit: *Canem timidum latrare vehementiùs, quàm mordere. altissima quæq; flumina minimo sono labi.*

At in Cultu, ne exuberet. Vi- 11
rum magnum ad regem Magnum audiat: πολὺ κάλλιον καὶ βασιλικώτερον· τὴν ψυχὴν ἔχειν εὐγνωμονοῦσαν, ἢ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος ὁρᾶν διειματοῦσαν: *multò pulchrius magisq; regium, animum perferre cultum & compositũ, quàm corporis vestem.*

Aristo. Præfa. ad Alexan.

Benè Romanus Imperator: *Munditias mulieribus, viris laborem convenire.*

Mariæ apud Sallust.

Et cultu quid opus? Ἔμοιγε δοκεῖ καὶ ἐκ θεῶν τιμαί τε καὶ χάριες συμπαρέπεσθαι ἀνδρὶ ἄρχοντι: *Mihi à deo & à cœlo videtur Venus quæpiam & Gratia comitari ac subsequi virum principem.*

Xenoph. in Hier.

Nec aliter de externa omni spe- 12
cie censeo, & hoc de Modestia ab Scythia præcepto non Scythico cõcludo. *Fortunam tuam*, o Princeps, *pressis manibus tene. lubrica est, nec invita teneri potest. Impone felicitati tuæ frenos, faciliùs illam reges.*

Curtius lib. 7.

CAP.

CAP. XVI.

Ex occasione, de Majestate adnexa lacinia, quid ea, & qui, & quatenus paranda?

SUMMARIA:

1 *Descriptio* Majestatis:
2 *Quæ utibilis regnanti.*
3 *Propriè à virtute orta: sed ab externis.*
4 *A Gravitate.*
5 *A corpore aut verbis.*
6 *A temperato recessu.*

SEd Modestiam tamen ita cõmendo Principi, ut non spernam ab
1 eo Majestatem. Hæc REVERENDA QUÆDAM AMPLITUDO, OB MERITUM VIRTUTIS, AUT RERUM ADFINIUM. Græcis ea Σεμνότης dicta:
2 nobis, in privato Auctoritas, in Principe Majestas. Acre ea telum ad imperium: quoniam & in pace.

Ad fidem faciendam Auctoritas quæritur. Cicero Topic.

Idem pro lege Manil. — Et *multũ in bellis quoq; administrandis, atque imperio militari valet.*

3 Nec magis eam à Principe removeo, quàm Virtutem ipsam: quæ plerumq; illam gignit. Quamquam & *concursio rerum externarum affert Auctoritatem.* — Idem Topic.

4 Ut morum inprimis gravitas. si tamen ita temperes, ut *tristitiam & arrogantiam exuas:* — Tacitus Agric.

Nec tibi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuat. — Ibidē.

Qualis laudatus ille Germanicus: qui *visu & auditu juxta venerabilis, cùm magnitudinem & gravitatē summæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat.* — 2. Annal.

5 Faciunt & quædam à natura. ut si quis *corpore ingens, verbis magnificus.* — 4. Annal.

6 Aut ab arte. ut recessus & sejunctio: quia viles plerumq;, qui nimiũ civiles. Et effatum Livianum verum est: *Continuus aspectus minùs verendos magnos homines ipsa satietate facit.* — Livius lib. 35.

Et majestati major ex longinquo reverentia: — Tacitus

Homi-

Hominibusq; *omne ignotum* semper *pro magnifico est.* Sed modus in his talibus esto: qui sal & anima virtutum. 1 Annal. in Agric.

CAP. XVII.

Minores aliquot virtutes positæ, quæ Principem deceant: sed sparsim & breviter.

SUMMARIA.

1 Liberalitas *decora Principi.*
2 *Cum delectu tamen, & modo.*
3 *In conjugem amor:*
4 *At non obsequium.*
5 *Iram vitet: aut aperiat.*
6 *In convicia ne inquirat.*
7 *Famam curet.*
8 *Doctrinam amet.*

VEnio nunc ad minora, quæ dixi, lumina: id est, virtutes haud æquè illustres aut necessarias regibus, tamen utiles. quas velut stellas spargam & defigam (fas ita loqui) in supremi Capitis hujus cœlo. Audi Princeps;

Cicer. 1. Offic. — BENEFICUS esto. *Liberalitate enim nihil est natura hominis accommodatius.* 1

Sallust. Jug. — Et regium inprimis. quos *armis, quàm munificentia vinci, minus flagitiosum est.*

Plinius 7. epist. — Sed cum judicio esto. *Subita enim largitionis comes, pœnitentia.* 2

Tacit. 2. Annal. — Etiam cum modo. ne *si ærarium ambitione exhauseris, per scelera supplendum sit.*

Nimis hauriendo Fontem ipsum exhauris. nec malè vir sanctus: *Liberalitate liberalitas perit.*

Heron Tacit. 1. Hist. — *Falluntur* autem *quibus luxuria specie liberalitatis imponit. perdere multi sciunt, donare nesciunt.*

11. Annal. — CASTUS esto. *Animo enim per libidines corrupto nihil honestum inest.* 3

12. Annal. — Conjugi deditus: nec tamen cum Claudiano illo stipite, *conjugum imperiis obnoxius.* 4

Arist. 11. Politic. cap. 7. — Turpe viro, imò ipsi imperio. Καίτοι τί διαφέρει γυναῖκας ἄρχειν, ἢ τοὺς ἄρχοντας ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἄρχεσθαι; *Quid verò interest, utrum fœminæ gubernent, an qui gubernant, gubernentur à fœminis?*

IRAM

5 IRAM fuge. eaque aut nulla tibi, aut aperta esto. Principi viro *honestius puta, offendere, quàm odisse.* Tacitus Agric.

Mali illi *obscuri, eoque irrevocabiles.* Ibidē. Ibidē.

Qui reponunt odia, *quodq; sævæ cogitationis indicium est, secreto suo satiantur.*

6 CONVICIA sperne. *Magnam fortunam magnus animus decet, & talium contemptor.* Senec. 1. de Clement.

Cujus est *proprium placidum esse tranquillumq;, & injurias atque offensiones supernè despicere.* Ibidē.

Universè autem verum est: *Convicia, si irascare, agnita videntur: spreta, exolescunt.* Tacit. 4. Annal.

7 FAMAM tamen ne contemne: & cogita *Ceteris mortalium in eo stare consilia, quid sibi conducere arbitrentur: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Ibidē.

Laus tibi & posteritas in oculis: censeasque *cetera Principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. Nam contemptu famæ, contemni virtutes.* Ibidē.

DOCTRINAM nonnihil ad hunc finem promovet: quæ languet; quoniam *sublatis studiorum pretiis, etiam studia pereunt.*

2. Annal.

Ea *spiritum & sanguinem sub te recipiant.*

Plinius Paneg.

Ita temporibus tuis dicendis non deerunt decora ingenia.

1. Annal.

JUSTI

JUSTI LIPSI POLITICORUM

sive

CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI TERTII.

CAP. I.

Prudentiam Principi per neceſſariam, ſine ea vim & opes inutilia. miſcenda eſſe, ſed primam illam in gubernatione præpollere.

SUMMARIA.

1 Prudentiæ *in gubernando uſus.*
Potentia ſine ea cæca, præceps. ibid.
2 *Mixtæ utraque efficaciſſima.*

3 *Imperium alioqui in homines durũ.*
4 *Qui natura refractarii.*
5 *Ideo prudentia opus.*
6 *Cujus vis supra vim.*

PErtexui regiã hanc Virtutum vestem: Prudentiæ telam ordinor. 1
quã ut felici pectine percurrã & percutiã, te vera Minerva nostra invoco, o ęterni Patris ęterna proles. Prudentiæ ad omnes res humanas usus: sed ad imperium maximè, quod sine ea nõ solùm infirmum sit, sed ausim dicere nullum. Quis navim mihi dirigat, sine ferro quod affricuit Siderites? sic nemo remp. sine mẽte quam afflavit illa Diva. Vim solam cogites? frustra. Qualis poetarum ille Cyclops, amisso oculo: talis Princeps, cui abest lumen hoc frontis.

Horat. 3. Odar. *Vis consili expers mole ruit sua.*

Curtius lib. 8. *Nec est diuturna possessio, in quam gladio inducimur.*

At contrà. 2

Horat. 3. Odar. *Vim temperatam di quoque provehunt*
In majus:

Tempe-

Temperatam dico, prudentię hac mixtura. Ῥώμη γὰρ μετὰ φρονήσεως. ait Isocra.
mellitus orator, ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύ- ad Dē.
της, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε: *Nam vis prudentia adjuncta, usui est: sine ea, abit magis in noxam.*

Nec malè Pota:

——*non solis viribus aquum* Vale-
Credere. sape acri potior prudentia rius
dextra. Flac-

3 Et certè in gubernatione palàm cus lib.
potior: quia sola lene illud frænum 4.
est, quo voluntarii rediguntur in obedientiæ gyrum. Ecce, ne animalia quidem cetera domueris sine tractatione quadam & arte: tu speres hominem? quo *nullum animal morosius* Senec.
est, nullum majori arte tractandum. de Cle-

4 Natura nos feroces, indomiti, æ- men. I.
qui, impatientes, nedum servitutis.
καὶ οἱ ἄνθρωποι ἐπ' οὐδένας μᾶλλον συνί- Xeno-
στανται, ἢ ἐπὶ τούτους, οὓς ἂν αἴσθωνται ἄρ- phon.
χειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας: *& homines in* I. Pæd.
nullos magis insurgunt, quàm in eos quos imperium in se adfectare sentiscunt.

Et rem vidit, qui scripsit: πάντων Ibidē.
τῶν

τῶν ἄλλων ῥᾷον, ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν. *omnibus animalibus facilius, quàm hominibus imperitare.*

Arist. 3. Politic. Illam igitur adhibe; & hoc adhibe: ἡ φρόνησις, ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη: *prudentia imperantis propria & unica virtus.* 5

Tac. 13. Annal. Sanè omnium temporum eventus docebit, & docuit, *plura in summa fortuna auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri.* 6

Oraculum non insolens effatus est ille vates:

Euripid.

> Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας,
> Νικᾷ.
>
> *Mens una sapiens, plurium vincit manus.*

Quin addo: *Multa, quæ natum impedita sunt, consilio expediri.*

CAP. II.

Sed duplicem prudentiam esse: A se, & ab aliis. illam optari, hanc contingere. Rarum, imò ἀδύνατον *esse, ut*

se, ut Princeps à se uno satis sapiat.

SUMMARIA.

1 *Duplex Sapientia: Propria, Mutuaticia.*
2 *Prior, nimis rara in purpura.*
3 *Altera igitur assumenda.*
4 *Magna enim moles imperii.*
5 *Nec Atlas sine Hectore sustineat.*
6 *Exempla docent.*
7 *Et ipsa ratio.*

IUre hanc ergo Principi nostro inesse volo, & multò magis adesse.
1 Nam Sapientum duplex genus poëta vetus apposité facit:

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ: Hesiodus.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

Laudatissimus est, ipsus qui cuncta videbit.
Sed laudandus & is, qui paret recta momenti.

Et nostra Suada: *Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit, ipsi veniat* Cicero pro Cluent.

esse dicunt eum, cui quod opus sit, ipsi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius benè inventis obtemperet.

Liv. 22. Cumque iis, vel ab iis potiùs, historicorum uberrimus: *Sæpe audivi eum primum esse virum, qui ipse consulat quod in rem sit: secundum eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi esse ingenii.*

Et quanquam inter primos Principem esse voveam: tamen ad secun- 2
Indidē. dos magis admoveam. Primùm, quia nescio quomodo (verè hoc, sed verecundè dicam) sive ætate, sive institutione, sive natura etiam, his ab aula *prima illa animi ingeniique negata sors est.*

Cic. 1. Offic. Deinde ut eam habeant, tamen 3
cùm *omnis ratio & institutio vitæ, adjumenta hominum desideret:*

Tac. 3. Annal. Tum hæc Gubernatoria maxi- 4
mè in qua certum est, *Principem sua scientia non posse cuncta complecti.*

1. Ann. *Nec unius mentem esse tantæ molis capacem.*

Itaque

Itaque esto mihi

Σοφὸς τύραννος τῶν σοφῶν συνουσίᾳ Eurip.
Princeps sapit, sapientium commer- opin.
cio.

5 Et *adsumat in partem curarum a-* Tac. 1.
lios, Annal.
Certus *magna negotia magnis ad-* Vellej.
jutoribus egere. lib. 2.
Gravissimosque Principis labores, Tac. 12.
quis orbem terræ capessit, egere admini- Annal.
culis.

6 Ævum omne videat, *rarò eminen-* Velle-
tes viros non magnis adjutoribus ad gu- jus II.
bernandam fortunam suam usos repe-
riet.

7 Ὀλίγα γὰρ εἷς ἂν ἴδοι, καὶ εἷς ἀκούσειε: Xeno-
Pauca enim aliqua unus videat, u- phon.
nus audiat. 8. Pæd.
At esse debent πολλοὶ βασιλέως ὀφ- Ibidē.
θαλμοί, καὶ πολλὰ ὦτα: *multi regis oculi,*
& multa aures.

Tales mihi, si volet, rex esto. ta- Livius
men *si de sua unius sententia omnia ge-* 44.
ret, superbum hūc judicabo magis quàm
sapientem.

CAP. III.

Itaq; adiutores ei capiendum: idque iudicio. Eos duplices esse, Consiliarios & Ministros. Qui, & quã utiles illi?

SUMMARIA.

1 *Principi* amicis *opus.*
2 *Qui, verè eorum thesaurus.*
3 *Et sceptri fulcrum.*
4 *Iudicio eligendi.*
5 *Bipartiti.*
6 *Consiliarii eminent.*
7 *Phœbi dictio.*

ADjutoribus enim certè opus: & hoc regiæ prudentiæ caput censeam, adsumere prudentes. Verè 1
Atticus orator monuit,

Plinius Paneg. *Pracipuum Principi opus esse, amicos parare.*

Ibidẽ. *Nullum* enim *majus boni imperii instrumentum, quàm boni amici.*

Regibus rex hoc crede. Illi Africa- 2
no:

no: *Non exercitus neq; thesauri, præsidia regni sunt, verùm amici.* Micipsæ apud Sallust. Jug.

3 Huic Medo: Οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον, καὶ ἀσφαλέστατον: *Non aureum istud sceptrum est, quod regnum custodit, sed copia amicorum ea regio. sceptrum verissimum tutissimumque.* Cyro, apud Xenophon. lib. 8.

4 Sed qui parabis? Judicii hîc res est. quod si Principi nostro rectum à natura, vel ab usu, ô salutarem illum & bono publico natum? Tamen ego dirigā, & adminiculabor in parte

5 Adjutores mihi duorum generum. Consiliarii & Administri. Illi, qui linguâ & mente inprimis juvant: Hi,

6 qui manu & factis. Dignissimi illi, & à magno Philosopho scriptum: Τὸ βουλεύεσθαι τῶν περὶ τῶν ἀνθρώπων, θειότατόν ἐστι: *Consiliarii: eorum quæ inter homines, divinissimum est.* Arist. Rhet. ad Alex.

Veteri verbo usurpatum: Ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία: *Quiddam sacrum profectò consultatio est.* Apud Plat.

Iidem maximè necessarii. Nonne con-

Salluſt. ad Cæſ. conſilio ſtant regna, urbes, domus? *Ego ita comperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerũt. ubicunq; gratia, timor, voluptas, ea corrupere. poſt paullò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremò ſervitus impoſita eſt.*

Itaq; de his jure primò dicam.

CAP. IV.

Definiti diſtinctius Conſiliarii & Prima eorum munera explicata, Probitas, & peritia rerum. denique oſtenſi illi, indice fama.

SUMMARIA.

1 Conſiliarii.
2 *Fide. ſive vita probi.*
3 *Iidem prudentes univerſè.*
4 *Et diſtinctè rerum patriæ.*
5 *Ætate grandes.*
6 *Sortis utriusq; gnari.*
7 *Cum modo acuti.*
8 *Legendi ſine ambitu.*
9 *Teſtimonio plurium.*

Appel-

APpello Conſiliarios, QUI FIDI, RERUM HOMINUMQUE PERITI, SALUTARIA SUGGERUNT, PACE SIVE BELLO.

Dixi FIDOS, id eſt, probos. *Optimum* enim *quemque fideliſſimum puto.* (Plinius Paneg.)

3 Addidi RERUM HOMINUMQUE PERITOS, id eſt, prudentes. τοῦ γὰρ φρονίμου μάλιστα τοῦτ' ἔργον εἶναι φαμὲν, τὸ εὖ βουλεύεσθαι: *prudentes enim hoc proprium maximè munus arbitramur, rectè conſulere.* (Ariſto. 6. Ethi. Nicō. cap. 7.)

4 Tales cenſeo, morum *animorumque provinciæ gnaros.* (Tacitus Agric.)

Non enim exteros temerè, non advenas, qui veriloquium hoc imbibi: *Ad conſilium de repub. dandum, caput eſſe, noſſe rempublicam.* (Cic. 1. de Cra.)

Item Senes *quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum ſit.* (Salluſt. Catil.)

5 Adoleſcentum quidem animi plerumque parum providi: iique *molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur.* (Ibidē.)

Nec

Plutar. Nec erat verbum vetus: *Consilia senum, hastas juvenum esse.*

Tertiò, fortuna varia exercitos. 6
Revera enim nocumẽta, documenta: & appositè de se Mithridates, *Mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit benè suadendi.* Sallust. in Frag.

Quartò, quod satis sit, acutos. 7
Nam qui nimis fugio: & arcanum illud dogma ingero. οἱ φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις: *Hebetiores, quàm acutiores, ut plurimũ, meliùs rempub. administrant.* Thucyd. lib. 3.

Caussa, quia subtilia illa & ignea ingenia in assiduo motu, *novandis quàm gerendis rebus aptiora.* Curt. lib. 4.

Tacit. Agric. At hos tales Princeps qui reperiet? 8
Non studiis privatis, nec ex commendatione aut precibus paucorum:

Sed aut ipse noscet, si potest: aut 9
tanget ad lapidem illum Lydium cõmunis Famæ. *Singuli enim decipere, & decipi possunt. nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Plinius Paneg.

Ibidẽ. Nec malè ille olim ad Principem? *Tales non crede, qualis fama cujusq; est.*

CAP. V.

Explicatum tertium munus, ut salubriter cōsulant. id inclusum quinque monitorum quasi lineis.

SUMMARIA.

1 *Pii sunto.*
2 *Liberi sunto.*
3 *Constantes & firmi.*
4 *Sed cum temperie.*
5 *Modesti & placidi sunto.*
6 *Deniq; ore presso.*

FERÆ etiam SALUTARIA SUGGERENTES. merito. Nonne hic finis & velut portus quo velificentur consultores? veri & probi quidem. Pervenient autem, si per lineas has dirigant, quas signabo. Pietatem primùm iis ingero, & ut

Consiliorum gubernaculum, Lex divina sit. Cypr. in Epistol.

Universè enim verum est, *Nihil ritè nihilq; providenter homines, sine deorum* Plinius Paneg.

rum immortalium ope, consilio, honore auspicari.

Tac. 1. Histor. Libertatem secundò. ut fortiter, non obnoxiè sententias dicant: neve *cum fortuna potiùs Principis loquantur, quàm cum ipso.* 2

Plinius lib. 3. Epist. 9. Nam Libertas sicut & *Fides, in præsentia quibus resistit, offendit; deinde illis ipsis suspicitur laudaturq́;.*

Tac. 11. Annal. Improbi illi, qui *veri copiam non faciunt; sed suspensa, & quo ducantur inclinatura, respondeant.*

3. Hist. Qui ambigui, & *ita compositi, ut ex eventu rerum adversa abnuant, vel prospera agnoscant.*

Sallust. ad Cęs. Tertio, Constantiam. Nam illaudati, qui *ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt. uti eorum qui dominantur simultas atq; arrogantia fert, ita bonum malumve publicum existimant.* 3

Cicer. pro Balbo. At non Rigorem etiam: *nec inconstantis putem sententiam, tanquam aliquod navigium, è reipub. tempestate moderari.* 4

Nam

Nam verè prudens & *sapiens, non semper it uno gradu, sed una via.* Senec.

Nec se in aliquibus mutat, sed potiùs aptat: & ut verbo dicam, non cursum eumdem tenet, sed portum. Idem.

5 Quartò, Modestiam. & placent illi, qui *specie obsequuti regunt; ad omniaq; quæ agenda sunt, quieta cum industria adsunt.* Tac.3. Hist.

Arte enim & flexu quodam opus sæpe: & obliqua via eundem, quò non licet recta. Talis Cornelianus Piso: *nullius servilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingrueret, prudenter moderans.* 6.Ann.

Talis Lepidus: qui *pleraq; ab sævis adulationibus aliorum in melius deflexit. nec tamen temperamenti egebat, cùm æquabili auctoritate & gratia apud Principem viguerit.* 4. Ann.

6 Quintò: Silentium. quia *Taciturnitas optimum atq; tutissimum rerum administrandarum vinculum*: Vale.2.

Nec res magnæ sustineri possunt ab eo, cui tacere grave est. Curt.4.

Arcani ergo ipsi, nec tamen arcanorum (salubriter moneo) scrutato-

Tacit. 4. Ann. res. quia *abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideo assequare.*

CAP. VI.

Quæ vitanda Consiliariis: & primum, quæ impedimenta & velut vada bonæ Mentis? ea quatuor notata.

SUMMARIA.

1 Contumacia, *consilii remora.*
2 *Ne privatim quidem utilis.*
3 *Sicut & dissidium.*
4 *Item in hanc illamve partem affectio.*
5 *Deniq; lucri studium.*
6 *Quod corrumpit omnia.*
7 *Et perrumpit.*
8 *Insitum maximè mercatoribus.*

HÆc loca illa plana, per quæ tutò explicentur consiliorum vela. Sed vada etiam sunt & scopuli, quos notabo, quia ludibrium profectò ventis debet, quisquis non cavet.

Inter

1 Inter vada mihi Contumacia est: ad quam non semel obhæsit suasoria ista ratis. Nam quidam natura ita pugnans, ut.

Tantùm sententiis aliorum contradicant. Tacit. 1. Hist.

Qui, *consilii quamvis egregii, quod non ipsi afferunt, inimici:* Indidē.

Et adversus peritos pervicaces. Indidē.

2 Bis stulti, sive quod omnes *sapere volunt ex suo ore:* Lucret.

Sive quod, *si quid auctoritatis in ipsis est, crebris contradictionibus destruunt.* Tacit. 14. Annal.

3 Discordia item inter consuasores. 1. Hist. *Stimulat* enim non raro *privati odii pertinacia in publicum exitium.*

4 Tertiò, Affectus, à quibus sanè, *omnes qui de rebus dubiis consultant, vacuos esse docet.* Salluſt. Catil.

Nam *haud facilè animus verum pervidet, ubi illi officiunt.* Ibidē.

Inprimis ubi Ira. *cum qua nihil rectè, nihil consideratè, fieri potest.* Cic. 1. Offic.

—— *malè cuncta ministrat Impetus.* Stat.

5 Quartò, Avaritia, sive rei suæ stu-

dium. Ex adyto Patavino hæc sors data: *Privata res semper effecere, officientq; publicis consiliis.* **Livius lib. 22.**

Taci. 2. Histor. Quid mirum? *Pessimum veri affectus* & judicii *venenum, sua cuiq; utilitas.*

Sallust. Catil. *Avaritia est*, quæ *omnia venalia habere edocet.* **Ibidẽ.**

Quæ *Fidem & Probitatem evertit*: duo boni consilii instrumenta.

Cui plerique hominum obnoxii: sed Mercurii proles maximè. nec de nihilo lex Thebanis, quæ vetuit τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς, μὴ μετέχειν ἀρχῆς: *eum qui decem ipsos annos à commerciis non abstinuisset, removeri gubernatione.* **Arist. 3. Polit. cap. 3.**

Utinam nonnullibi ca hodie!

CAP. VII.

Quæ turbamenta, & velut Scopuli bonæ Mentis? Tres ostensi.

SUMMARIA.

1 Confidentia *noxia.*

2 Cui

2 *Cui pectus est, in pectus hoc demitte.*
3 *Cauti in consiliis, in facto audaces.*
4 *Cupiditas refrenanda.*
5 *Celeritas repudianda.*
6 *Prudentiæ vera pestis.*
7 *Cui tarditas amica.*
8 *Et rarò celeres, felices.*
9 *Nisi in scelere.*
10 *Actionibus tamen ea grata.*

1 AT inter Scopulos, quibus illidi & frangi hæc navis solet, prima mihi Fiducia occurrit:

Quæ profectò *cum sapientia non cõmiscetur.* Cicer. pro lege Manil.

2 Phœbæa vox est: *Consilia calida & audacia, primâ specie læta sunt; tractatu dura; eventu tristia.* Livius lib.35.

Nec te fallet. Nam plerumq; feroculi isti; μετ' ἀσφαλείας μὲν δοξάζουσι, μετὰ δέους δ' ἐν τῷ ἔργῳ ἐλλείπονται: *cum supina fiducia sententiam dicunt, in reipsa trepidantes deficiunt.* Thuc. lib.1.

3 At ego cautum Mimum audio:

Animus vereri qui scit, scit tutò aggredi: Publius.

Et mihi cum Græco Scriptore:

Hero. lib. 8. ἀνὴρ οὕτως ἂν εἴη ἄριστος, εἰ βουλευόμενος μὲν ὀῤῥωδέοι, πᾶν ἐπιλεγόμενος πείσεσθαι χρῆμα· ἐν δὲ τῷ ἔργῳ θρασὺς εἴη: *vir ea ratione fiet optimus, si in deliberando quidem cunctetur & pratimeat, quidquid pote contingere: in agendo autem confidat.*

Thuc. Lib. 6. Scopulus alter: Cupiditas. Ἐπι 4
θυμίᾳ μὲν γὰρ ἐλάχιστα κατορθοῦνται, προνοίᾳ δὲ πλεῖστα: *Nam cupiditate pauca rectè consiunt, circumspectione plurima.*

Livius lib. 22. Cui adjuncta Celeritas, infamis 5
naufragiis in hoc mari. Nam qui cupit, festinat; qui festinat evertit. *Omnia non properanti clara certaq; sunt: festinatio improvida est & cæca.*

Idem Lib. 31. Itaque verè dictum: *Nibil magni* 6
discriminis consiliis tàm inimicũ, quàm Celeritas.

Thuc. Lib. 3. Itemq;: Δύο μὲν ἐναντιώτατα ἐν τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος καὶ ὀργήν: *Duo adversissima rectæ Menti, Celeritas & Ira.*

Lentos ego amo, lentos: qui cum 7
nostro Comico:

Quicquid sit incoctum, non expro- Plat.
munt, benè coctum duunt. Mil.

8 Nam quod nonnulli *in consultando temerarii, in exequendo viri sunt:* Vellej. lib 2.
Subiti consiliis, sed eventu felices. Tacit. 4. Hist.
Cur movear? scio à casu esse, cui non fido: magis rationi & huic dicto: Celeres istos *celerem pœnitentiam, sed eandem feram atque inutilem sequi.* Livius lib. 31.

9 Vidimus, videmus, videbimus. semperq; verum, *Scelera impetu, bona consilia mora valescere.* Tacit. 1. Hist.

10 Quæ iis propria, sicut Celeritas Actioni. Nam δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς: *Consulere quidem oportet lentè, consulta exsequi festinanter.* Dem. 1. Philip.

Addo a gravissimo viro pondus: Ἐργάζεσθαι μὲν δεῖ ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως: *Celeriter deliberata peragenda sunt, deliberandum autem tarde.* Arist. 6. Ethic. cap. 9.

CAP. VIII.

Ipse Princeps, qui se gerat in audiendis consiliis. Dogmata huic rei.

SUMMARIA.

1 *Princeps aptet se ad consilia.*
2 *Tempestive consulat.*
3 *Quod rarum in Polyarchia.*
4 *Ne lente nimis consulat.*
5 *Eligat & iudicet.*
6 *Non pertendat.*
7 *Non aperiat.*
8 *Liberos amet.*
9 *Adulantes oderit.*
10 *Qui noxii.*
11 *Non præmia consiliis.*
12 *Non pœnas statuat.*
13 *Successus enim à fortuna, sive Deo.*
14 *Et quædam supra nos.*

CONsiliarios formavi : res monet, ut etiam ipsum consulentem. Frustra enim illi idonei, si non iste : & perierit omnis salubrium cōsiliorum liquor , nisi aptum velut vas

vas sit.in quod instillet.Princeps igitur in capiendis consiliis, hæc servet.

2 Maturè deliberet. *Timet, atq; eum deficere omnia videntur, qui in ipso negotio consilium capere cogitur.* Cæs. lib. 5. Com.

Gladiatorum, hoc est, non Principum, *In arena consilium.*

Magna in repub. momenta sunt temporum: & multum interest, idem illud utrum antè an pòst decernatur, suscipiatur, agatur. Seneca Epist. Cicero Philip.

3 Peccatur hîc in Plurium statu. ubi *illud ex libertate vitium, quod non simul, nec iussi conveniunt.* Tacit. in Ger.

Sed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ibidem 3. Hist.

4 Caveat Princeps etiam illud: *ne inutili cunctatione, agendi tempora deliberando consumat.*

Neve *dies rerum, verbis terat.* Illic.

5 Audiat cum judicio. Turpis Claudianus ille frutex, *cui non amor, non odium, nisi indita & iussa.* 12. Annal.

Qui à suis.

Ducitur, ut nervis alienis mobile lignum. Horat.

Tamen sine Pertinacia. quia illud 6
Capit. in M. Anton. Philos. — Marci Principis divinum: *Æquius est ut ego tot taliumq; amicorum consilium sequar, quam tot talesq; amici meam unius voluntatem.*

Sententiam suam celet: ex hoc 7
Veget. lib. 3. — præcepto. *Fieri quid debeat, cum multis tracta: quid facturus sis, cum paucissimis, vel potiùs ipse tecum.*

Sanè anima consilii, secretum: &
Ibidē. — *nulla sunt meliora consilia: quàm quæ ignoraverit adversarius antequam fierent.*

Plut. Apopht. — Libertatem admittat, nec amet 8
Aulæ *verba* illa *byssina.*

Curt. lib. 8. — *Regum opes sæpius assentatio, quàm* 9
hostis evertit.

Mihi salus illius desperata est, *cu-* 10
3. Hist. — *jus aures ita formatæ sunt, ut aspera quæ utilia, & nihil nisi jucundum & læsurum accipiant.*

Capitol. in Gord. jun. — *Miser est Imperator, apud quem vera reticentur.*

Sine discrimine audiat. & nec bo- 11
na quidem consilia præmiis adficiat (arcanum dogma suggero) ne quis spe adipiscendi à vero deflectat, &

παρὰ γνώμην τι καὶ πρὸς χάριν λέγοι: *prater animi mentem aliquid, & ad gratiam loquatur.* Thuc. lib.3.

12 Sed nec mala suppliciis: *Defuturi enim sunt, qui suadeant, si malè suasisse periculum sit.* Curt. lib.3.

Et sanè *non melioris fidei habendi, qui prudentiùs suaserint.* Ibidē. Sallust. ad Cęs.

13 Id est, Felicius. Nam profectò *sæpè prava magis quàm bona consilia prosperè eveniunt. quia plerasq; res Fortuna ex libidine sua agitat.*

Imo

Centum doctum hominum consilia sola hæc devincit dea. Plaut. Pseud.

14 Cum qua (extremum id moneo) ne pugnet. & ardua illa atq; implexa *consilia, quibus impar est, fato permittas.* Tacit. 6.Ann.

CAP. IX.

Spernenda occulta Consilia, & ab Aulæ servis.

SUMMARIA.

1 *Aulici consiliarii improbi.*

2 *Qui placita loquuntur.*
3 *Rem ſuam quærunt.*
4 *Principem dehoneſtant.*
5 *Imò & vendunt.*

ADdo brevem, ſed magnæ rei notam. uti ſpernat genus illud Domeſtici conſilii, quod per pravam prudentiam non nemo ſibi ſumit, Id ferè conſtat ex Aulæ quibusdã mancipiis: 1

Tac. 3. Annal. Quibus *omnia Principum, honeſta atq; inhoneſta, laudare mos eſt.* 2

Cicer. ad Q. Frat. *Qui in aures eorum fictè & ſimulatè, quæſtus ſui cauſſa, inſuſurrant.* 3

Epiſt. 1. lib. 1. Ah cave, cave. & quisquis Privatim tibi ſervus, is *de iis rebus, quæ ad officium imperii tui, atque ad aliquam partem reipublicæ pertinent, ne quid attingat.* 4

Ibidẽ. Quantumvis ille idoneus: tamen

Ibidẽ. *ſpecies ipſa gratioſi liberti aut ſervi, dignitatem habere nullam poteſt.*

Vopiſcus in Aurel. Minus, fructum. & clamat tibi ipſa Veritas: Hi ſunt cubiculares illi conſiliarii, à quibus *bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* 5

CAP.

CAP. X.

Dictum de Administris, & nota triplex, ad quam legi eos oporteat.

SUMMARIA.

1 Administri *Principis.*
2 *In Publico.*
3 *In Aulæ.*
4 *Eligendi à Genere.*
5 *Viles spernendi.*
6 *Nisi insignes aliqua virtute.*
7 *Probi eligendi.*
8 *Non infames.*
9 *Non ancipites.*
10 *Princeps peccat, quicquid illi.*
11 *Apti ab ingenio, eligendi.*
12 *Quisque pro inclinatione.*
13 *Non nimis alti.*
14 *Medii congrui.*
15 *Tamen rarò recta hîc electio.*

JAmque plenè absolvi de Consi-
liariis. transeo ad genus alterum
1 adjutorum, Administros. Eos di-
co, QUI PUBLICE AUT PRIVATIM

PRIN-

PRINCIPI EXHIBENT IN FUNCTIONE ALIQUA SUI USUM. Publicè: ut sunt Præfecti, Præsides, 2
Quæstores, Judices, & uno verbo ii omnes, qui tangunt imperii aut rei pub. partem. Privatim: ut sunt ii ferè, 3
qui ad Aulæ saltem usum aut splendorem adhibentur: quos suo proprioq; verbo dicimus, Palatinos. De his minus est. illos qui in publico versantur, eligi suadeam cum cura: & inprimis à triplici hac nota.

Aristo. Polit. Ut Genus in iis honestum. Benè 4
enim Philosophorum columē: *Εἰκὸς βελτίους εἶναι, τοὺς ἐκ βελτιόνων. Par est meliores esse, eos qui ex melioribus.*

Plinius Paneg. Et sanè vilis ille, qui viles tantùm 5
sibi admovet: *certissimumq; non magni Principis argumentum, magni liberti.*

Vellejus li. 2. Excipio si eximia in talium ali- 6
quo virtus. Tunc enim libens fatear, *Optimum quemq; esse nobilissimum.*

Ibidē. Et *in cujuscumq; animo virtus insit, ei plurimum esse tribuendum.*

Nam nota mihi altera, Vita est: 7
quam super omnia specto. Legi enim:

nim: *Meliorem esse remp. & propè tutiorem, in qua Princeps malus sit, ea, in qua mali Principis ministri.* Apud Capitol. in Alex.

Moribus ergo probi sint: valeatq; illud

--- *emitur sola virtute potestas.* Cicer. ad Q. Frat. Epist. 1.

8 Malis famosisque *nihil crediderit, nullam existimationis suæ partem commiserit.*

9 Imò nec ambiguis. Nonne melius *officiis & administrationibus non peccaturos præficere, quàm damnare cùm peccarint?* Tacit. in Agric.

Ego censeo. nam in Principem

--- *culpa cunctorum redit.* Seneca Med.

Qui non vetat peccare, cùm possit, jubet.

Illi incumbit *in hac custodia imperii, ut non se unum modò sed omnes ministros civibus & reip. præstet.* Cicer. ad Q. Frat.

11 At nota tertia, Ingenium est. quod quia varium in nobis, Καὶ ὁ μὲν πρὸς πολιτείαν, ὁ δὲ πρὸς πόλεμον εὐφυέστερος: *Ille ad civilia, hic ad bellica, natura aptior:* Plutarch Politic.

12 Primũ illud est, ut possit ἑκάστῳ ἑκάστη χρεία, μετὰ τὸ οἰκεῖον, προσαρμόττειν: Præcept. Ibidẽ.

quemq;

quemq́, cuique functioni, pro indole sua, admovere.

Mecænas enim aptè quædam obiverit, quæ non Agrippa. & rectè Poeta:

Propert. lib. 3.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.

Alterũ ut ingenia inspiciat: id est, recta eligat, nec tamen erecta. Scilicet, *ut pares negotiis, neque supra sint.* 13

Tacit. 6. Annal.

Tiberiana cautio non de nihilo. qui *nec eminentes virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat. Ab optimis, periculum sibi: à pessimis, dedecus publicum metuebat.*

1. Annal.

Medii ergo optimi, quibus olim & sunt tutissimo *secreta Principum innixa.* 14

3. Annal.

Quo mihi *Labeo* aliquis *incorrupta libertate?*

Eodẽ libro.

Captionis obsequium dominantibus magis probatur.

Eodẽ.

Ista suadeo: an persuadeo? ægrè. Nescio quomodo Aulica hæc comitia affectus dirigit: & *fato quodam ac sorte nascendi, ut cetera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos est.* 15

4. An. nal.

C A P.

CAP. XI.

Administris ipsis præcepta tradita, eorum tutelæ. Pimùm Minoribus, inde Majoribus. Ancipitem omnem Potentiam esse in Aula.

SUMMARIA.

1 *Periculi plena aula.*
2 *Obsequium administros decet:*
3 *Sui usus.*
4 *Audacia.*
5 *Modestia.*
6 *Quieta actio.*
7 *Virtutum dissimulatio.*
8 *O virum verè ad aulam.*
9 *Acceptu omnia Principi referant.*
10 *Sibi labores capiant, gloriam illi.*
11 *Patientes sunto.*
12 *Extremè cauti.*
13 *Fraudium enim sedes, Aula.*
14 *Potentia ea lubrica.*
15 *Reges mutabiles.*
16 *Fatum incertum.*
17 *Inopinatum.*
18 *Nos procul à Jove & fulmine.*

Nec

NEc de Administris, plura disse-ro. quædam, ad ipsos. O boni, lubrica vestra vita & via est, qui in Aula versamini, in qua, ut verè vir sanctus dixit,

August. 8. Cõfes. cap. 6.

Per pericula, pervenitur, ad grandius periculum.

1 Itaque acri circumspectione & custodia vobis opus contra lapsum. Ego fulcio his præceptis. Vos qui Minores in Palatio.

Tacit. 1. Annal.

2 Obsequiosi este. Nam *quanto quis apud Principem obsequio promptior, honoribus & operibus extolletur.*

Constantini Imp. dictũ.

3 Utibiles. ne sitis dicto veteri, *Tineæ & sorices Palatii.*

4 Audaculi *Nam profectò*

Malus est minister regi imperii pudor.

Seneca Hippol.

5 At vos qui Majores, cavete ne vobis tales. & vestra vox, nam Principis [illegible]

Hilarius Paneg.

6 Quod agitis, sine jactantia agite. placent illi, qui *actu ociosis simillimi.*

Vellejus li. 2. Eodem libro.

Qualis ille Piso: *quo nemo aut validius otium dilexit, aut facilius suffecit negotio: magisq; quæ agenda sunt egit, sine ulla ostentatione agendi.*

Invidia

7 Invidia sic vitabitur. cui amoliendo, non nemo delapsus est ad *vitiorum etiam imitamenta.*

Tac. 16. Annal.

Mecænates illi hoc spectarunt,

- - - - quis mens circumflua luxu
Noverat intactũ vitio servare vigorẽ.

Claud. de Probt-ni & Ol. cõ-sul.

8 Et callidus Crispi nepos. *qui diversus à veterum instituto, per cultum & munditias luxu propior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eò acrior quò somnum & inertiam magis ostentabat.*

Tacit. 3. Annal.

9 Qui sapis, capis etiam istud: ut nihil tibi adscribas, nec *ad famam tuam gestis exsultes, sed ad auctorem & ducem, ut minister fortunam referas.*

Tacit. in Agric.

10 Luna inquam esto, & gloriæ tuæ omne lumen refunde illi Soli. *Hæc est conditio regum, ut casus tantùm adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.*

Æmilius Prob. Datamæ.

Benè Agrippa, δυοῖν παρῄνει τὸν ἄνδρα τὸν σωθησόμενον, τῆς μὲν δυσχερείας αἰτὸν τῶν πραγμάτων ἀπαλλάττειν, τὴν δὲ κατόρθωσιν σφῶν ἐκείνοις φυλάσσειν: *Duorum admonebat virum* in Aula *salvum futurum:*

Dio lib. 48.

Unius

Unius, ut difficultatem rerum ipse amoliretur & susciperet: alterius, ut gloriam imposita summa manus illis relinqueret.

In universum autem, in Aula perennare vultis? duo hæc adsumite.
11 Patientiam: veterani illius exemplo, qui interrogatus: *Quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, Senectutem; Injurias*, inquit, *ferendo, & gratias agendo.*

Senec. II. de Ira.

Item Cautelam: quia multi vobis laquei, &

12 --- *Fraus sublimi regnat in aula.*

Seneca Hippol.

Illic ad *reprehendenda aliena dicta & facta, ardet omnibus animus. vix satis apertum os, aut lingua prompta videtur.*

Sallust. ad Cæs.

13 Illic insidiatores & hostes: qui *secretis criminationibus infament ignarum, & quo incautior decipiare, palàm laudatum.*

Tacit. I. Histor.

Cur te fallam? *cùm omnia caveris, per ornamenta ferieris.*

Sen. Præfat. lib. 4. Quæst Nat.

14 Imò ut nemo te evertat, cades sponte. quia *Nihil rerum mortalium tàm instabile & fluxum est, quàm potentia non sua vi nixa.*

Tac. 13.

Vide

Vide mihi illos Emeritos: *speciem* Annal.
magis in amicitia Principis, quàm vim 3. An-
retinent. nal.

15 Sive id vitio *regum* fiat, quorum Sallust.
voluntates ut vehementes, sic mobiles, Jug.
sæpe sibi ipsæ adversæ:

16 Sive *fato potentia rarò sempiterna. &* Tacit.
satias capit aut illos, cùm omnia tribue- 3. An-
runt, aut hos, cùm jam nihil reliquum nal.
est quod cupiant.

Et o benè si non Aretæa aliqua
vox erumpat: ταῦτ᾽ ἐστιν ὦ κεφάλων ἐ- Plut. in
17 πίχειρα τῆς βασιλικῆς φιλίας: *O Ce* Anto.
phalo, hæc sunt præmia regiæ amicitiæ.

Ista eveniunt: nunquam mihi. &

18 *Stet quicumq; volet potens* Seneca
Aulæ culmine lubrico, Thye-
Me dulcis saturet quies. ste.
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

JUSTI LIPSI

POLITICORUM

Sive

CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI QUARTI.

CAP. I.

Propriam Prudentiam, id est, eam quam inesse Principi volumus, præceptis difficile alligari. Latè fusam esse, Instabilem, & Obtectam, Itaque aliquid de ea, non plenè à nobis præcipi.

SUMMARIA.

1 Prudentiæ *materies omnes res humana.*

2 *Eaq; singulariter inspecta.*

3 *Circa res incertas versatur:*

Ipsa

Ipsa quoque mobilis. ibid.
4 *Tenebrosa est, ob caussas ignotas.*
5 *Aut homini nec noscendas.*

ALienæ prudentiæ semitam decurri: aperitur mihi campus Propriæ, sed verè campus. in quo certam viam aut limitem quis comprehendet? Diffusa nimis res est,
1 Confusa, Obscura. Diffusa primùm. quid enim latiùs se, quàm res humanæ, pandit? quarum omnium Prudentia est; imò & singularum. Philosophum audi:
2 Τῶν καθ' ἕκαστά ἐστιν ἡ φρόνησις, ἃ γνώριμα γίνεται δι' ἐμπειρίας: *Rerum singularum Prudentia est, quæ nota homini per Usum fiunt.* Arist. 6. Ethicor. c. 8.

Atqui res singulæ, infinitæ sunt: quas adeò non scientia, ut nec numero complectare.

Præcepta enim *finita esse debent, & certa:* Seneca Epist.

Si qua finiri non possunt, extra Sapientiam sunt.

3 Jam confusa eadem. quia revera instabile totũ & fluctuans est, quod

Pruden-

Prudentiam vocamús. Quid enim aliud ea, quàm electio rerum, quæ aliter atque aliter sese habent? Quòd si illæ incertæ: etiam ipsa eò magis, quod non rebus solùm devincta, sed iis, quæ rebus adstant. Tempora, loca, homines aspicit: & pro minima eorum mutatione ipsa se mutat. adeoque non ubique una, ut nec in una re una. Scientiæ autem alia natura est: & Πάντες ὑπολαμβάνομεν, ὃ ἐπιστάμεθα, μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν: *Omnes censemus, quod scimus, natum non esse, Variare.*

Aristo. Ethic. 2. c. 3.

Sanè incertum aliquid, nemo redegerit in certa hæc & stricta præceptorum vincula. Denique Obscura eadem. 4
quia res eventusq; omnes humani in alta nocte.

Plinius Paneg.

Nam *occultat eorum semina deus, & plerumque bonorum malorumq; caussæ sub diversa specie latent.*

Quis in rebus etiam obviis non suspicatur potius de caussis, quàm cognoscit? Sine caussis autem Scientia non est nec traditio ulla firma.
Addo, quod in publica & civili hac 5
guber-

gubernatione, etsi in terrenis rebus, pleræque tamen caussæ ab alto sunt, nec reperiendæ in hac terra.

Usque adeò (ut ille exclamat) *res humanas vis abdita quædam* Lucret. lib. 5.
Obterit, & pulchras fasces sævasque secures
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.

Itaque (verum fateamur) ego & alii hic caligamus; nec est quisquam qui ad plenum præcepta Prudentiæ, non dicam tradiderit, sed tentarit. Quid ergo? quiesco, & sileo? res & ordo vetant: & faciam potiùs quod in Syrtium aliquo æquore deprehẽsus, & quoniam clausum directumq; iter tenere non possum, confusè viam aliquam signabo, velut astris. O tu me adjuva, qui super astra.

CAP. IV.

Divisa Prudentia Propria in Togatam, & Militarem. Illa rursus in Humanam & Divinam. De hac

ostensum, curam Principi esse. Unam religionem retinendam ei, & defendendam.

SUMMARIA.

1 *Togata prudentia.*
2 *Militaris.*
3 *In Divinis Prudentia.*
4 Religio, *caput in republica.*
5 *Curanda Principi:*
Decori caussa. eod.
6 *Tutela caussa.*
7 *Augmenti caussa.*
8 *Status publici caussa.*
9 *Non ea miscenda.*
10 *Una, optima.*
11 *Puniendi, qui variant.*
12 *Mos probus & vetus servandus.*
13 *Vindicandus.*
14 *Omni vi defendendus.*

PRudentia omnis, quam in Principe quæro, duplex est: Togata & Militaris. Illam intelligo, QUÆ IN COTTIDIANA HAC GUBERNATIONE, TRANQUILLISQUE REBUS, INTERVENIT. Istam,

2 Iſtam, QUÆ IN BELLO, REBUSQUE TURBATIS. Illius materies iterũ duplex; Res Divinæ, Res Humanæ. In rebus Divinis verſari
3 eam dico, QUÆ SACRA RELIGIONEMQUE TANGIT ET DIRIGIT, QUATENUS TAMEN PRINCIPIS EA CURA. Juſtè & convenienter ſic limito. quia non Principi liberum in ſacra jus, abiit. ſed inſpectio quædam, idque tuendi magis quàm cognoſcendi cauſſa.

4 Sanè in omni republica Ariſto.
Πρῶτον, ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια: *Primum eſt, curatio rerum divinarum.* 7. Polit. c 8.

5 Ad quem autem ea potiùs quàm Diogen.
ad Principem pertinet: Δεῖ γὰρ τὸ ἄριστον ὑπὸ τοῦ ἀρίστου τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἡγεμονοῦν ὑπὸ τοῦ ἡγεμονοῦντος: *Decet enim quod optimum eſt, ab optimo coli; & quod imperat, ab imperante.* Stoicus apud Stob.

6 Nec decet ſolũ, ſed expedit. Tutelę tuę primũ: quia veriſſimè Cyrus συνελογίζετο, ὡς εἰ πάντες οἱ κοινῶνες θεοσεβεῖς εἶεν, ἧττον ἂν αὐτοὺς ἐθέλειν περί τε ἀλλήλους ἀνόσιόν τι ποιεῖν, καὶ περὶ ἑαυτόν: *ratiocinabatur, ſi omnes Familiares* (imò Xenoph. Pæd. lib. 8.

& ſubditi) *dei metuentes eſſent, minus eos aut inter ſe aliquid illicitum patraturos, aut in ipſum.*

[Ariſt. 6. Rhet. ad Alexan.]

Ad augmentum etiam Imperii, 7
Scito enim τοὺς θεοὺς εὐνουστέρους εἶναι τοῖς μᾶλλον αὐτοὺς τιμῶσι: *deos proniores eſſe in eos, qui maximè illos colunt.*

[Orat. De Aruſp. reſp.]

Auſus gloriari Tullius: Romanos, non *calliditate aut robore, ſed pietate ac religione omnes gentes nationesq́; ſuperaviſſe.*

Jam verò publicè, qui ſalvi ſimus 8
[Lactāt. de Ira. cap. 12.]
niſi illa ſalva? *Religio & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.*

[Exod. lib. c. 8.]

Tolle hoc vinclum: *vita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate cõplebitur.*

Idemq́ue, ſi confundis. Nec enim 9
audiendi Ægyptii illi reges, qui *variam & miſcellam religionem induxerunt ſtabiliendo*, ut putarunt, *ſceptro:*

[Diodor. Sicul. lib. 2.]

καὶ ὅπως μηδέποτε ὁμονοῆσαι δύνωνται οἱ κατ' Αἴγυπτον: *& ne unquam conſpirare inter ſe Ægyptii omnes poſſent.*

O fatui! Unionis auctor illa una; 10
& à confuſa ea, ſemper turbæ. Muſarum ille pater quanto melius? cujus hoc

hoc ad Auguſtum monitum exſtat. Τὸ μὲν θεῖον πάντῃ πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε. *Divinum illud numen, omni modo, omni tempore ipſe cole juxta leges patrias: & alii ut colant, effice.*

Mecænas apud Dionẽ Caſſium, lib.3.

11 Addit: Τοὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν. Κἀκ τούτου, καὶ συνωμοσίαι, καὶ συστάσεις, ἑταιρεῖαί τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει: *Eos verò qui in divinis aliquid innovant, odio habe & coerce. non deorũ ſolùm cauſſa (quos tamen qui contẽnit, nec aliud jam è quidquã magnifecerit) ſed quia nova quædã numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Unde conjurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt, res profectò minimè conducibiles Principatui.* Ibid.

O verba: ab impio & ad impium, nimis pia! Hæc vera prudentia; & Principi qui ſapit, *religio & veneratio nulla alia, niſi unius Dei tenenda eſt.* Lactant. 1. Inſtit. ca.20.

Cicer. II. de Divinat. Aristo. Rhet. ad Alex. Justinus lib. 8. Lactãt. lib. 5. Institut. ca. 20.

Et tenenda ex ritu veteri. *Majorum instituta tueri, sacris cærimoniisq; retinendis sapientis est.* 12

Καὶ τὰ πάτρια ἔθη παρὰ πᾶσι παραβαίνειν ἄδικόν ἐστι: *& patrios ritus migrare aut violare, ubique gentium nefarium habetur.*

Puniri igitur, si quis turbat. *Jure ille in diis proximus habetur, per quem deorum majestas vindicatur.* 13

Seriò, seriò, hoc imbibe: *Nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa vi oportere defendi.* 14

CAP. III.

De una religione amplius quæsitum. Nunquámne dissidium ferri possit? saltem in tempus. idq; quadamtenus videri.

SUMMARIA.

1 *Calamitas Europæ à dissidio Religionum.*
2 *Calumniantur, si quis mederi vult.*
3 *At nos conabimur.*

Obnoxii

Obnoxii tamen Prudentiorum judiciis. eod.

4 *Peccantes in religionem duplices: Turbones, & Errones.*

5 *Turbones semper puniendi.*

6 *Unica exceptione, nisi metus à turbis.*

7 *Ævi nostri infelix curiositas.*

8 *Tolerandi interdum, ut melius tollas.*

9 *Calidi nocent.*

10 *Tempus multa sanat:*

11 *Et diæta melior chirurgia.*

ERgo firmiter hæc nostra sententia est, Unam religionem in uno regno servari. Quæri tamen duo possunt: Semperne puniendi qui dis-
1 sentiunt, & An omnes? Qua de re ut disseram, non Curiositas me impellit, sed publica Utilitas, & præsẽs hic Europæ status, quẽ nego me sine lacrimis intueri. O melior mũdi pars, quas dissidiorũ faces religio tibi accendit! Colliduntur inter se Christianæ reipubl. capita, & milleni aliquot homines perierũt ac pereũt per

 spe-

speciem Pietatis. Quis hic silebit? nõ ego. & quamvis cum Platone sciam: 2 ὐδιάβολα τὰ τοιαῦτα πρὸς τοὺς πολλὺς *Calumniis hæc obnoxia in vulgus*:

(In Eu-typhr.)

Ne quidquam tàm probè aut providè hic dici, *quod non vellicare malignitas possit*:

(Seneca Epist.)

Tamen subibo hoc discrimen, & 3
pro virili aquam infundam in Sacrũ hunc ignem. Hoc excusatiùs, quod consilia, non decreta adfero; nec affero aliquid, sed pono. Tu qui legis, scito à pia puraque mente hæc esse: & si ipsa aliter, subiici à me iis, quorum propriè cognitio hæc & censura. Ut 4
rẽ intelligas, duo genera eorum facio, qui in Religione peccant, qui publicè, & qui Privatim. Publicè peccare: QUI ET IPSI MALE DE DEO RECEPTISQUE SACRIS SENTIUNT, ET ALIOS AD SENTIENDUM IMPELLUNT. Privatim, QUI PARITER MA- 5
LE SENTIUNT, SED SIBI. De primis primò quæritur, an talibus esse debeat impunè? nego. *Puniantur à te, ne tu pro illis puniaris.*

(Cypr. de util. Pœni-tent.)

Maximè

Maximè si turbant. *Meliùs enim est, ut pereat unus, quàm ut pereat unus.*
[Au- gust.]

Violatarum religionum aliubi atque aliubi diversa pœna est: sed ubiq; aliqua.
[Senec. de Benefic. 3 c 6.]

Clementiæ non hic locus. *Ure, seca ut membrorum potiùs aliquod, quam totum corpus intereat.*
[Cicero Philip. 9.]

Nam *quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam.*
[L. 4. Cod. Justin. de Hæret.]

6 Atq; hoc firmum certumque esto, quādiu turbatores coerceri possunt sine majore turba. Quid autem, si aliter? & quid si ea tempora sint, ut *subita coercitio plus damni in remp. ferat.*
[Tacitus 3. Annal.]

7 Nam ea interveniunt: vel nostrùm hoc vide quo fatalis ista est *ingeniorum* scabies, ut *omnes disputare malint quàm vivere.*
[Seneca Epist.]

Aculeones ubique & Curiones, qui περιεργάζονται ζητοῦντες τά τε ὑπὸ γῆν, καὶ τὰ ἐπουράνια: *satagunt inquirentes, & quæ subter terram sunt & quæ super cœlum.*
[Plato in Apol.]

8 Horum quanta multitudo? *Ut rei agi possint acie vincendi sunt.*
[Tacit. 3. Annal.]

Hic igitur justè ambigo, An non

fas tempora paulisper Principi inspicere, *quibus parere omnes Politici præcipiunt.*

Et an non *potiùs sit, omittere adulta & prævalida vitia, quàm illud assequi, ut palàm fiat, quibus flagitiis impares simus.*

Omittere dico, in tempus. *In mor-* 9
bis nihil est magis periculosum, quàm immatura medicina:

Et scio *medicos, plus interdum quiete, quam movendo atque agendo, proficere.*

Sanè *istos ab atra bile. Dies plerum-* 10
que sanat & Quies.

Arma, arma clamant alii. Sed nónne vidimus, *arma armis irritari?*

Natura contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens.

Tu iterum iterumque vide, an 11
non connivere interdum melius; quàm *intempestivis remediis delicta accendere.*

CAP.

Cicer. ad Att. 21. Epist 1.
Tacitus 3. Annal.
Seneca
Liv. 22.
Ex medicorũ scito.
Plinius Paneg.
Sene. 1. de Clement.
Tacit. 12 Annal.

CAP. IV.

An puniendi singuli, & quieti? itémque an extrahendi & perquirendi? Neutrum (si intentè quidem fiat) ex usu videri. Doctore magis his opus, quàm tortore.

SUMMARIA.

1 *Errones simplices vix puniendi.*
2 *Nec anxiè nimis inquirendi.*
3 *Hæc via vix emendat.*
4 *Simulatores efficit.*
5 *Docendi potiùs.*
6 *Rigor nocuit, & nocebit.*
7 *Emenda potiùs quàm tolle.*
8 *Pœnitentes, bis boni.*
9 *Ex animo votum.*

SEcunda quæstio est, de his qui in religione peccant privatim. Ecce labes errorum in mea mente, sed neminem maculo: quiesco domi, & sileo. Hicne talis etiam puniendus? Non videtur.

Sen. *Tacere liceat: nulla libertas minor*
Oedip. *A rege petitur.*
Fortasse nec nimis inquirendus. 2
Cur- nam cui bono? Nemo rex *perinde a-*
tius.8. *nimis imperare potest, ac linguis.*
Au- *Mentium rex, Deus est.*
gust.in Itaque terrore illo hoc saltem ef- 3
Joan. ficies, ut *vultu, qui maximè servit, as-*
Cur- *sentiatur?*
tius 8. Nunquam corde. *Quis enim impo-*
Lactãt. *nat mihi necessitatem vel credendi quod*
5.ca.14. *nolim, vel quod velim non credendi?*
Ibidẽ. *Nihil tam voluntarium, quàm Re-*
Ex *ligio, in qua si animus aversus est, jam*
The- *sublata jam nulla est.*
mistii Fictiones ea res inducit. & *purpu-* 4
dicto *ra tua cultores aliquot efficies, non Dei.*
apud Benè olim rex Theodoricus: *Reli-*
Soc. *gionem imperare non possumus, quia ne-*
Eccl. *mo cogitur, ut credat invitus.*
hist.3. Quinto mitior & tutior via alte- 5
cap.21. ra, Docendi atq; ducendi? *Fides sua-*
Caf- *denda est, non imperanda.*
siod. *Ingenia nostra, ut nobiles & generosi*
Varro. *equi, meliùs facili fræno regunrur.*

a. Epist. 27. Bernh. in Cant. 16. Senec. 1. de Clement.

Europam

6 Europam hanc cogitatione peragra. videbis *acerbis* istis *judiciis vastari magis civitates, quàm corrigi.*

Ita profectò est. Tolluntur hæc talia, quæ sensibus insident, *docendo magis quàm jubendo, monendo quàm minando.*

Sallust. ad Cęs. Augu. Epist. 66.

7 In fidibus si quid discrepat, non abrumpis per iracundiam, sed paullatim reducis ad concentum: in Fide cur non idem sit? & *peccata sic compescis, ut sint quas peccasse pœniteat?*

8 Atq; hi tales, sæpe meliores. *Multo firmior est Fides, quàm reponit pœnitentia.*

Quod ô benigne & miserator Deus (nam voto & suspirio locum hunc claudo) da nobis: & effice ut *multitudinis credentium sit cor unum, & anima una.*

Idem, ad African. Lactāt. in hac talire lib. 5. c. 13. in Act. Apost. cap. 9.

CAP. V.

Transitum ad Prudentiam in Humanis. huic duo fontes reclusi. Ingenium

genium Populi & Regni. De priore dictum: & per indicem exposita Natura vulgi.

SUMMARIA.

1 *Duplex caput Prudentiæ Gubernatoriæ.*
2 Prius, *Natura populi.*
3 *Qui triplex noscendus.*
Tuus, ibid.
4 *Vicinus.*
5 *Omnis.*
6 *A noticia affectuum rectum imperium.*
7 *Unde ei noscendi?*
Brevis eorum index. eod.
8 *Vulgus mobile.*
9 *Pronum in affectus.*
10 *Sine judicio.*
11 *Adhæret turbæ.*
12 *Invidet.*
13 *Suspicatur.*
14 *Omnia credit.*
15 *A se auget.*
16 *Vetita loquitur.*

17 *Ven-*

17 *Pendet in turba.*
18 *Utiq; si quis concitat.*
19 *Calidos amat.*
20 *Reipublicæ negligens.*
21 *Suæ diligens.*
22 *Forte verbis.*
23 *Nec ultra.*
24 *Semper immodicum.*

PRudentia in Humanis rebus me vocat: de qua liberius jam & libentius dicam. Hanc intellego, PERITIAM IN EXTERNIS TRANQVILLE ET FIRMITER GVBER-
1 NANDI. Duos illi fontes video, Naturam populi & Naturam regni. Sane cùm omnia dispexeris, nihil reperies peritè ad gubernaudum olim aut nunc monitum, cui non hinc scaturigo. Itaque ante omnia ad eos te ducam: & tum deniq; rivulos aliquot ex iis deducam utilium moni-
2 torum. Quisquis callidus peritusq; regendi esse vis,

Noscenda tibi *natum vulgi est, & quibus modis temperanter habeatur.* Tac. 3. Annal.

3 Vulgi, meo judicio, triplicis. Tui, Fini-

Finitimi, Universi. Tui, quid enim magis necessarium, quàm ut eum noris: cui præes?

Martial. *Principis est virtus maxima, nosse suos.*

Finitimi jure: quia res tibi sæpe cum eo & fœdera. Variant autem ingenia, & *sunt tàm civitatum quàm singulorum hominum mores: gentesq; aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in Venerem proniores aliæ sunt.* 4
Livius lib. 45.

Universi etiam quoniam motus quidam affectusq; sunt, quos communiter reperias in omni hominum gente. Quos nisi nosti, qui ad eos te componas? Scriptum olim: οὐκ ἔστι εὖ ἄρξειν τὸν μὴ ἀρχθέντα: *Non est ut recte imperet, cui non imperatum.* 5
Arist. 3. Politic.

Sive, ut vertit noster Sophos: *Nemo benè imperat, nisi qui antè paruerit imperio.*
Sene. 2. de Ira.

Rectè. non quia omnes reges voluerint esse è subditis: (minimè. multi in purpura nati, & à successione ferè regna) sed hoc indicantes, ingenia & inclinationes subditorum impe- 6

imperanti noſcenda, ſic tanquam ipſe inter eos. Audi ſenem illum Principem: *Utiliſſimus idem ac breviſſimus verum bonarum malarumq; dilectus, cogitare quid ſub alio Principe aut nolueris aut volueris.* Galba apud Tacitũ 1. Hiſt.

Audi regium ſuaſorum: Ἂν ὅσα ἂν ἕτερόν τε ἄρξαντά σου ποιεῖν ἐθελήσειας, ταῦτα αὐτὸς αὐτεπάγγελτος πράσσῃς, οὔτε ἁμαρτήσῃ, καὶ πάντα κατορθώσεις, κἀκ τούτου καὶ ἥδιστα καὶ ἀκινδυνώτατα βιώσῃ: *Si omnia, quæ alium quemvis in te imperantem facere velles, ea ipſe tua ſponte feceris: nec peccabis quidpiam, & omnia rite diriges, & vitam ex eo jucundiſſimam ſimul & tutiſſimam vives.* Mecænas apud Dionẽ lib. 3.

7 Tu igitur hæc diſce. unde? à Percunctatione, ab Uſu, à Libris. à Me etiam non nihil, qui præcipuos popularium Affectuum depingam hic tibi ut in tabella. Vulgus omne Cicero pro Muræ.

8 INSTABILE *Vulgo nihil incertius.* *In multitudine eſt varietas, & crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio.* Idem pro Domo.

9 AFFECTUS ponit, aut ſumit. *Ut*

eſt

Tac. 1. *est mos vulgo, mutabili subitis, & tam*
Histor. *prono in misericordiam, quàm immodicum sevitia fuerat.*

Nec quidquam facilius, quàm in
Quin- *quemlibet affectum mutare populum.*
ctil. 2. JUDICII EXPERS. *Plebi non judi-* 10
Decl. *cium, non veritas.*

Tac. 1. *Non dilectis aut sapientia ducitur ad*
Histor, *judicandum, sed impetu & quadam et-*
Cicer. *iam temeritate.*

pro Plã- *Non est consilium in vulgo, non ratio,*
co. *non discrimen, non diligentia.*

Ibidẽ. *Ex opinione multa, ex veritate pauca judicat.*

Idem AD PLURES inclinat. *Multitudo* 11
pro Ru- *vulgi, more magis quam judicio, post a-*
scio. *lius alium quasi prudentiorem sequun-*
Sallust. *tur.*
ad Cæs. *Ut pecudes antecedentium gregem.*

Senec. NATURA INVIDUM. *Ægris oculis* 12
Tac. 2. *alienum felicitatem intuetur.*
Histor. *Pravo studio, quo etiam in certami-*
Liv. 42. *nibus ludicris utitur, deteriori atq; infirmiori favet.*

Tac. 2. SUSPICAX. *Municipale vulgus pro-* 13
Histor. *num ad suspiciones.*
1. Ann. *Mos vulgo, quavis falsis, reum subdere.*

CRE-

14 CREDULUM. *Facilis civitas ad credenda accipiendaq; omnia nova:* 1. Hist.

Præsertim cum tristia sunt. Ibidē.

Quoquo modo audita pro compertis habent. 3. Ann.

15 RES AUGET. *Cuncta, ut mos famæ, in majus credita.* Eodem libro.

——Sic quisq; pavendo Luc. 1.
Dat vires famæ: nulloq; auctore malorum,
Quæ finxere timent.

—traduntq; metus, nec poscitur auctor. Silius 4.

Adstruit auditis, docilis per inania rerum Ibidē.
Pascere rumorem vulgi pavor.

Vagus primùm & incertus rumor, mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse quidam & vidisse adfirmant: credula fama inter gaudentes & incuriosos. Tac. 1. Histor.

16 COMPRIMI NESCIT. *Prohibiti per civitatem sermones, eoq; plures; ac si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant.* 3 Hist.

Vagis

2. Hist. *Vagis per urbem militibus, qui sermones populi coercerent: id præcipuum alimentum famæ erat.*

9. Hist. *Publica exspectatio magni secreti impatiens: & malè coercitam famam supprimentes augebant.*

Eodē libro. TURBIDUM. *Vulgus cujusq; motus novi cupidum.*

Sallust. Jug. *Ingenio mobili, seditiosum, atq; discordiosum, cupidum novarum rerum, quieti & otio adversum.*

Cic. p Cluēt. Præsertim SI DUX SIT. *Ut mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur: sic populus sua sponte placatus, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, attollitur.*

Tacit. 4. Hist. Nam *vulgus sine rectore præceps, pavidus, socors.*

1. Ann. Vereq; dictum, *Nihil ausuram plebem principibus amotis.*

Thuc. lib. 3. FAVET FERVIDIS. & plebe judice, τὸ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα· καὶ τὸ πρὸς ἅπαν ξυνετὸν ἐπὶ πᾶν ἀργόν. τὸ δ' ἐμπλήκτως ὀξὺ, ἀνδρὸς μοίρα προσετέθη. *quidquid modestum, ignaviæ speciem habet: quod circumspectum & pro-*

providum, segnitia. quidquid autem abruptum & praeceps, id verò forte & virile censetur.

Ideo *vincit in ea plerumque pars majoris animi, quàm consilii.* Liv. 7.

Et grati *stolidi, ac vecordi facundia.* Tacit. 4. Hist.

NEGLEGIT REMPUBLICAM. *Magnitudine nimia, communium curarum expers populus.* 1. Hist. Ibidē.

Privata cuique stimulatio, & vile decus publicum. Sallust.

Intenta mala, quasi fulmen, optant duntaxat se quisque ne attingant. Orat. Philip.

VERBIS FEROX. *Procacia plebis ingenia.* Tacit. 1. Hist.

Sed *nihil ultra verba ausurum.* 3. Hist.

Impigrae linguae, ignavi animi. Sallust.

METU AUT SPE NIMIUM. *Haec est, natura multitudinis. aut servit humiliter, aut superbè dominatur. Libertatem, quae media est, nec spernere modicè, nec habere sciunt.* Orat. Marci. Liv. 23.

Nihil in vulgo modicum, terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni. Tacit. 1. Ann.

Vulgus

6. Ann. Vulgus *audacia turbidum, nisi vim metuat.*

Plura sunt, quæ tu à te addes.

CAP. VI.

Fons alter reclusus, Ingenium regum & regni. Duo hic considerata, quæ communiter conveniunt, & quæ Distincte.

SUMMARIA.

1 Alterum *caput Prudentiæ, Natum regni.*
2 *Id instabile.*
3 *Subitò sæpe dejectum.*
4 *Et totum, cum aliqua pars.*
5 *In summo aut in imo est.*
6 *Odiosum plerumq;.*
7 *Idq; ob regum mores.*
Qui licentiosi. ibid.
8 *Pertinaces & superbi.*
9 *Etiam quia nos parere difficiles.*
10 *Insidiis exponitur.*
11 *Ideo meticulosi reges.*

12 *Suspi-*

12 *Suspicaces & æmuli.*
13 *In ipsos filios.*
14 *Regni vires noscendæ.*
15 *Et ejus constitutio sive forma.*

1 EGo ad Naturam regni propero: è qua pauca hæc tibi delibo. Cōmuniter eam nosce, & Distinctè. In Communi notitia hæc sunt.

2 Regnum omne fluctuans & INSTABILE. *Arduum* enim *& subjectum Fortunæ cuncta regendi onus.* Tac. 1. Annal.

Vt alta ventos semper excipiat juga,
Imperia sic excelsa Fortunæ obiacent. Senec. Oedip.

3 *Nihil inausum est Fortunæ adversus Imperia idem habet iuris, quod adversus imperantes.* Seneca Epist.

Itaq; sæpe occultis caussis labitur. & *quæ domesticis steterant bellis, quæ externis, regna, nullo impellente ruunt.* Ibidē.

4 Et totum ferè labitur, cum cœpit. Verè ille scripsit, *Regum maiestatem difficilius à summo fastigio ad medium detrahi, quàm à mediis ad ima præcipitari.* Livius lib. 37.

Non

Senec. de Benefic. 6. cap. 33. *Non enim his gradibus, quibus ad summa perventum est, retroitur; sæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil interest.* 5

Tacit. 2. Hist. *Imperium cupientibus (aut habentibus) nihil medium inter præcipitia aut summa.*

Senec. Theb. Nec fortunæ solùm objectum, etiam ODIIS. 6

Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odiumq; atq; Regnum.

Idem Agam. Caussa sæpe in Impotentia regũ. Nam 7

Id esse regni maximum pignus putant,

Idem Hip. *Si quidquid aliis non licet, solis licet.*

Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

Ibidẽ. Et in pervicaci eorum Superbia. 8

——durus & veri insolens
Ad recta flecti regius non vult tumor

Senec. de Benefic. 6. cap. 30. *Flecti non minus existimant turpe, quàm vinci.*

Sed caussa etiam altera in Natura no- 9

ra nostra. quia *nemo alteri imperium volens concedit: & quamvis bonus atq; clemens sit, qui plus potest, tamen quia malo esse licet, formidatur.* Salluſt. ad Cæſ.

Ideque regnum obnoxium INSI-DIIS.

Multi iniqui atq; infideles regno, pauci sunt boni. Attius.

11 Nec immerito reges semper in TIMORE. *Ingenia regum prona ad formidinem.* Salluſt. Jug.

Sæpè nimis: &

——dubia pro certis solent

Timere reges. Seneca Oedip.

2 Iidem ÆMULI, & *suapte natura potentiæ anxii.* Tacit. 4. Ann.

Nec regna socium ferre, nec tæda sciunt. Sen. Agamé.

13 Adeo ut *displiceant regnantibus* etiam *civilia filiorum ingenia.* Tacit. 11. Ann.

Et *suspectus semper invisusq; dominantibus, quisquis proximus destinatur.* 1. Hiſt.

4 Hæc taliaque Communiter scies. jam illud Distinctè, Quãtum tuum regnum sit, & Quale. Potentia, inquam, tua serio tibi noscenda est.

Luc. 8. *Metiri sua regna decet, viresque fateri.*

Senec. de Benefic. 6. cap. 30. *Multi dum se tam magnos, quàm audiunt, credunt, attraxere super vacua & in discrimen rerum omnium perventura bella.*

Etiam regni Qualitas, cuiusmodi illud sit, Vetus, Novum; Hereditate, an Suffragio traditum & tradendum; Legibus, an Vi quæsitum. & quicquid tale. Pro his enim variè atemperandum sceptrum, & laxandæ aut adducendæ imperii illæ habenæ. 15

CAP. VII.

Præcepta nunc ex hisce fontibus petita & primum universe posita, quæ firment Regnum aut violēt: mox distincte de Vi dictum. Opus regi Custodes, Milites, Arces aut potius Colonias.

SUMMARIA.

1 *Duo firmando regno.*

2 *Duo*

2 *Duo evertendo.*
3 *Vis definita.*
4 *Divisa.*
5 *Custodes regii.*
6 *Ordinarii & perpetui milites.*
7 *Arces quatenus utiles.*
8 *Prælatæ iis Coloniæ.*
9 *Sed saltem in exteros:*
10 *Aut recens domitos.*

BEne habet duplicẽ Arcton meã signavi, ad quam flectendi mihi idemtidem oculi: nunc audacter vela do, & undosum mare ingredior Præceptorum. Ea hoc ordine disponam, ut quæ juvant firmantque regnum, præmittam: subjungam,
1 quæ Lædunt & perdunt. Duo igitur sunt, quæ tranquillum id aut
2 firmum efficiunt: VIS & VIRTUS: duo item, quæ turbidum aut caducum, VIS & VITIUM. Singula hæc, ut meus captus est, subti-
3 liter videamus & partitè. Vim in juvante parte primum pono, & intelligo PRÆSIDIUM, QVOD PRINCEPS UTILITER ADHIBET AB

SE TUENDUM AUT REGNUM. Id ferè duplex, Milites & Munimenta. Milites iterum duplices, Custodes & Ordinarii. CUSTODES, regis ipsius tutela propria: qui scilicet 4 5

Seneca 1. de Clem. *Somnum ejus nocturnis excubiis muniant, latera objecti circumfusiq; defendant, incurrentibus periculis se opponant.*

Tac 1. Annal. *Miles in forum, miles in curiam comitabatur*, scribit de suo Principe Tacitus.

Sene. 1. de Clement. Nam probus vetusq; ille mos: & quamquam in nullo metu, decore tamen eos Princeps, & *vel ornamenti caussa habeat.*

Sed esse & ORDINARIOS milites volo: manum scilicet aliquam grandiorem (pro viribus & modo regni) ad subita casuum aut bellorum & 6

Tac. 4. Annal. qui, *si axilium res poscat, haud procul accieantur.*

Ibidē. Nam scimus, *voluntarium* sæpè *militem deesse. ac si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere: quia plerumq; inopes ac vagi* (ut hodie quidem mos est) *sponte militiam sumunt.*

Gran.

Grande momentum in hoc præcepto: & C. Cæsar solitus dicere, *Δύο τε εἶναι τὰ τὰς δυναστείας παρασκευάζοντα, καὶ φυλάσσοντα καὶ ἐπαύξοντα στρατιώτας καὶ χρήματα: Duo esse, quæ Principatus comparent, servent, augeant; Milites & Pecuniam.*

Dio lib. 42.

Atque ille ab eadem mente (etsi paullò improbius) ad suos liberos. *Ὁμονοεῖτε, τοὺς στρατιώτας πλουτίζετε, τῶν ἄλλων πάντων καταφρονεῖτε: Inter vos consentite, milites ditate, reliquos omnes spernite.*

Severus Imperat. apud Dionē in vita ejus.

At Munimenta possis usurpare duplicia, Arces aut Colonias. Illas vulgus & hodiernus mos tibi ingerit: ego ictas? & mos vetus. Sanè ARCES non tam firmę compedes, quàm censentur: ad exiguum motum validæ; fragiles (ipsi vidimus) ad communem & magnum. In finibus tamē & cōtra hostem, haud valdè eas spernam: in mediterreis & contra cives, valdè. Populo alicui diffidis? premere
8 eum vis? COLONIAS tibi suggegero, verè *sedes servitutis.*

Hoc solidum, hoc firmum muni-

mentum est: in quo non locus solùm talis, sed homines ipsi sint. Coloniæ enim ferè constant externis (quibus, cum indigenis haud facilis conspiratio: nec usurpandæ temerè nisi in
Flor. 4. c.ult. externos. Nam *non assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflatæq; cervices, facilè alias ab imposito jugo resiliunt.* 9
Cur. 7. Sive etiam in feroces & recēs subjectos. Quidquid enim dicunt, *quos viceris cave amicos tibi esse credas.* 10

CAP. VIII.

De virtute duplici, servatrice Regnorum. Benivolētia populi commendata, & ostensa triplex ad eam via.

SUMMARIA.

1 *Quid hic Virtus?*
2 *Benivolentia definita.*
3 *Vtilitas ejus.*
4 *Quomodo paranda.*

Leni-

Lenitate in te, & circa te: ibid.

5 *Lenitate in omni imperio.*

6 *Hinc Quies.*

7 *Hinc Fides.*

8 *Hinc Stabilitas.*

9 *Beneficentia item paratur.*

10 *Quæ semper usui.*

11 *Maximè in novo statu.*

12 *Quibus tamen conferas, vide.*

13 *Et quantum, vide.*

14 *Alioqui tua & te perdis.*

15 *Deniq; indulgentia paratur.*
In viliore Annona: eod.

16 *In ludicris.*

17 *Quæ seriis etiam usum præbent.*

18 *Frangunt & molliunt.*

19 *A generosis curis avocant.*

20 *Tamen lascivia & luxus vitanda.*

VIs ergo opportune etiam ab optimo Principe adhibenda, ex scito veteri: *Quadam vi tractanda, quo cæteris quies sit*: Sed magis Virtus. (Tac. I. Annal.) in qua mihi quidem præcipuũ Principatus robur est & pondus. Eam,
1 paullo aliter quàm vulgus, hic appello LAUDABILEM UTILEMQVE

IMPERIO AFFECTUM DE REGE, VEL IN REGEM. Studiosè sic discrimino. Nam cum duplex ejusmodi Virtus sit, Benivolentia & Auctoritas: nasci quidem utraque à rege & & per regem debet, sed sedem tamen suam & domicilium in animis Populi habet. atq; illa, in regem Affectus est, hæc Opinio de rege. Ex definitionibus facilè rem mentemque meam capies. Nam BENIVOLENTIA, quam hic quæro & suadeo, est SUBDITORUM IN REGEM EIUSQUE STATUM PROMPTA INCLINATIO ET AMOR. 2

Quæ nimis utilis, imò necessaria ad res gerendas. Plato verè dixit: 3
Epist. 4. ad Dionē. Διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸ πράττειν ἐστί: *Ab eo quod placeas hominibus, actionum efficacia est.*

Para igitur: idq; via triplici, Lenitatis. Beneficentiæ, Indulgentiæ. LENITATEM promes in Teipso pri- 4
Tac. 5. Histor. mum, verbis factisq; benignus, *comitate & alloquiis officia provocans.*

Plinius Paneg. Quid ni *ita cum civibus tuis, quasi parens cum liberis, vivas?*

Cum

Cum illa tamen exceptione, ut *incorrupto ducis honore.* Tac. 5. Histor.

Temperie opus est: *nec aut reverentiam terrore, aut amorem humilitate captabis.* Plinius Paneg.

Raræ hoc sed magnæ laudis, cum *virtutes specie dispares prudentia junguntur.* Cicer. Oratore ad Brut.

5 Sed promes etiam in Imperio: ut tranquillum id ac lene sit, *nec alia ejus facies, quam sereni cæli ac nitentis.* Sene. 1. de Ira.

Hoc ex ingenio hominum est: qui *nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem:* Tac. 1. Histor.

6 *Domiti ut pareant, non ut serviant.* Idē in Agric.

Hoc ex usu ipsius imperii: quia revera *remissius imperanti melius paretur.* Sene. 1. de Clement.

7 Sed & fidelius paretur. *Nullius terror* ait Livius, *cum omnia bello arderēt, fide socios demovit: videlicet quia justo moderatoq; regebantur imperio.* Liv. 22.

8 Cæsaris effatum est: ἡ ἐξουσία μετριάσασα πάντα τὰ κτηθέντα τηρεῖ· *Potentia mediocriter exercita, omnia quæsita conservat.* Apud Dionē lib. 42.

Contra: ὁ ἀνάγκην ἐς πάντα ἁπλῶς Ibidē.

τῇ δυνάμει κεχρώμενος, οὔτε εὔνοιαν ἀληθῆ οὔτ᾽ ἀσφάλειαν ἀκριβῆ εὑρίσκεται. *Qui impudenter & passim in omnibus potentia abutitur, is neq; veram benivolentiam neq; firmam securitatem invenit.*

Cic. 2. de fin.

Jam & BENEFICENTIAM adjunges. Nã *liberalitate qui utuntur, Benivolentiam sibi conciliant, & quod aptissimum est ad quietè vivendum* (sive & *regendum*) *caritatem.* 9

Senec. de Brevit. vitæ.

Vis scire quanta ejus vis? *Melius beneficiis imperium custoditur, quàm armis.* 10

Idem de Benef.

Sanè vulgo, ex veteri verbo, *Omnium dulcissimum est, accipere.*

Tac. 1. Annal.

Donabis igitur, vel Augusti exemplo: qui *Militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit.*

Ibidẽ.

Idq; effusius in novo imperio. Sic enim tibi firmabis, & *novis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quam vetera & periculosa malent.* 11

Sene. 4. de Benef. 137.

Sed cum judicio: nec placeant mihi illi *Reges,* qui *multa opertis oculis donant.* 12

Tu

Tu largiere *bellorum sociis, pericu-* Plinius
lorum consortibus: Paneg.

Sive etiam *de te bene ac fortiter, sed* Ibidē.
in toga meritis:

Aut iis deniq;, qui mereri possunt. Ibidē.
illis scilicet præmia, his exempla.

13 Sed cum Modo etiam. Nam *sim-* Tac. 3.
plicitas ac liberalitas, nisi modus adsit, Histor.
in exitium vertuntur.

14 Si omnibus, si passim: quis finis? 2. Ann.
Singuli nunquam exsatiabuntur, respu- Cic. 2.
blica deficiet. de Of-

Itaq; *alienis bonis manus afferre co-* fic.
geris. Ibidē.

Quod exitiabile. *nec* unquam *tan-*
ta studia assequeris eorum, quibus dede-
ris, quanta odia eorũ quibus ademeris.

Cave igitur. atq; adeo *nihil largia-*
tur Princeps, dum nihil auferat.

15 Tertio INDULGENTIAM suasi: Plinius
hac mente, ut quatenus sine corru- Paneg.
ptela morum potest, populum Laxè
habeas & Jucundè. Laxè, ut in Victu: Tac. 4.
ne *plebs acri annona fatigetur.* Annal.

Nam *vulgo una ex republica anno-* 2. Hist.
næ cura. Juven.

—— *duas tantùm res anxius optat* Sat. 10.

Panem & Circenses.

Omnes autem, *qui remp. gubernant,*
Cic. 2. *consulere debent, ut earum rerum copia*
de of- *sit, quæ sunt necessaria.*
fic. Jucundè etiam: puta in ludis &
Seneca ejusmodi receptis voluptatibus. Nã
Epist. *vulgo, sicut pueris, omne ludicrum in*
Tacit. *pretio est.*
14. An- Idemque *cupiens voluptatum, &, si* 16
nal. *trahat eò Princeps, lætum.*
Ibidẽ. Itaq; vides, *nec majores abhorruisse* 17
spectaculorum oblectamentis.
Idẽ in Usus enim aliquis in ista re: cum
Agric. ita ferociores populi, eoque *bello faciles, quieti, & otio per voluptates assuescunt.*

Idq; *apud imperitos Humanitas vocatur, cum pars servitutis sit.* 18
Ibidem. Verissimum est, *Voluptatibus Ro-*
Tac. 4. *manos plus adversus subjectos, quàm*
Histor. *armis valuisse.*

Nec id nescivit ille histrio, qui 19
Pyla- increpanti Augusto quod ejus caussa
bis, a- in plebe essent tumultus: Συμφέρει
apud σοι, καῖσαρ, inquit, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον
Dionẽ ἀποδιατρίβεσθαι: *Expedit tibi, o Cæsar,*
lib. 54. *populum circa nos distineri.*

Acutè.

Acutè. Nam profectò *virtus ac ferocia subditorum, ingrata imperantibus.*

20 Sed modum tene: & vide ut hæc *lætitia potius, quàm lascivia dentur.* Annal. 14.

Facilè enim ista irrumpet *nec pudicitia aut modestia, nec quidquam probi moris ultrà reservabitur.* Ibidē.

Ita Tui & Tu peribitis. Quid enim salvi, amissis moribus?

Cap. IX.

Auctoritas commendata valdè. Tria ostensa, quæ ad eam ducunt. in quibus quia Imperii præcipua vis est, accuratè & enucleatè de his dissertum.

Summaria.

1 *Quid* Auctoritas.
2 *Unde nata.*
3 *Quibus rebus paranda.*
4 *Tutela ea regnorum.*
5 *Hanc creat* Severa *gubernatio.*
6 *Quæ ex usu Principis:*

7 Et

7 *Et ſubditorum.*
8 *Nam vulgus metu coercendum.*
9 *Et noxia recidenda.*
10 *Sed per intervalla.*
11 *Niſi mala herba nimiū ſuccreverit. Facile tunc recidenda eſt. eod.*
12 Conſtantia *Auctoritati facit.*
13 *Obſervatioq́ legum & morum.*
14 *Contemnuntur leges, lata, relata.*
15 *Et una earum lator.*
16 *Articuli in rep. mali.*
17 *Veteres, & vetera, optimi.*
18 *Interdum tamen innovandum.*
19 *Sed non violentè.*
20 *Et pauxillatim.*
21 Adſtrictio *imperii, pro Auctoritate.*
Princeps unus res manu teneat. eod.
22 *Eum omnes ſpectent, & omnia ab eo exſpectent.*
23 *Honores nimios ne dato.*
24 *Datos auferto, ſed vellicatim.*
25 *Non longos item dato.*
26 *Nam homines inſoleſcunt.*
27 Potentia *certiſſima ad Auctoritatem ratio.*
28 *Quid eam appellem?*

29 *Qui parari censeam?*
I. Pecuniam. *eod.*
30 *Illa nervi, caput, pedes.*
31 *Animorum domina.*
32 *Locorum domina.*
33 *Aureus gladius omnia penetrat.*
34 II. Arma *opus ad Potentiam.*
35 *Reges invadunt:*
36 *Et sæpe debent:*
37 *Aut ipsi invaduntur.*
Ab exteris. eod.
38 *A suis.*
39 *Comprimant ergo bella, bello.*
40 III. Consilia *usui ad Potentiam.*
41 *Haud temerè bellum movendum.*
42 *Nec nimis diu habendum.*
43 *Explendus animus.*
44 *Et in quæsitis aut relictis quiescendum.*
45 *Præsertim minutis Principibus.*
Qui periculosè semper se movet. eod.
46 *Volunt, quod nec teneant.*
47 IV. Fœdera *usui ad Potentiam.*
Ineunda cum proximis & validis. eod.
Vix cum afflictis. ibid.
48 *Ne ipse affligare.*

49 *Nisi quopiam periclitante, etiam tu:*
Tunc vel astu juva. ibid.
50 *Periculosum, potenti in potentem jungi.*
Et tamen panè necessarium. ibid.
51 *Adiaforia hic nulla.*
52 *Junge te igitur cum deo.*
53 V. Fortuna *usui ad Potentiam:*
Et quidem supra alia.
54 *Quæ mirifice quosdam fovet.*
55 *Omnia sine labore suggerit.*
56 *Qui nec volentes peccant.*
57 *Tales vulgò magni:*
58 *Nescio an in longum.*
59 *Nam illa se mutat:*
60 *Et lædit, quibus cum lusit.*
61 Mores *via ultima ad Auctoritatem.*
62 *Facit valdè prælata Pietas.*
63 *Obedientiam conciliat:*
Insidias tollit. eod.
64 *Facit & Providentia.*
65 *Quæ raro labitur.*
66 *Ideoque æstimatur.*
67 *Faciunt nonnihil externa.*
68 *Atq; adeò ipsum domicilium.*

AUCTO-

AUctoritas inter Juvantes virtus altera est. quam supra quoque libavi: sed hoc tantùm nunc uberius, & pleno magis ore dicenda est. (lib. 2. ca. 16.)

1 Definio iterum: Auctoritas est IMPRESSA SUBDITIS, SIVE ET EXTERIS, OPINIO REVERENS DE

2 REGE EIUSQ; STATU. Constat ex Admiratione & Metu: cujus utriusque temperies sive mixtio facit hanc Virtutem. Quam parari apud quasdam nationes pronius ajo:

Est enim *ingenita quibusdam gentibus erga reges suos veneratio*: Curt. 3.

3 Apud alias ægrius: sed tamen apud omnes triplici hoc, quē dicam, modo sive via. Forma imperii, Potentia imperii, Moribus imperantis. Per singula te ducam, & figam in iis pedem non distinctè solùm, sed len-

4 tè & impressè. quis carpet? ego fulcrum hoc regnorum scio, &

Maiestatem imperii, salutis esse tutelam. Idem lib. 3.

Hæc illa velut edita arx est, qua Princeps se vindicat à rebellione & à contemptu. Scande & occupa deo auspice,

auſpice, me duce. Prima viarum eſt

FORMA IMPERII. in qua tria 5
ad Auctoritatem requiro: ut Severa ſit, ut conſtans, ut Adſtricta, Severa primùm, quia perpes illa, & aſſidua Lenitas Contemptum inducit, id eſt, 6
Principatus ipſam peſtem. In hac colluvie morum hominum *habendus metus, aut faciendus eſt.* (*Salluſt. Oratio. Lepid.*)

Amplius, quia inducit *maximam* 7
illecebram peccandi impunitatis ſpem. (*Cicer. pro Mil.*)

Quis eum metuat, *apud quem conditum, imò conſtrictum ferrum eſt?*

(*Sene. I. De Clem.*) Qui per ſegnitiem potiùs quàm clementiam, *patiatur hebeſcere aciem ſuæ auctoritatis?*

(*Cicer. I. in Catil.*) Ne feceris, & noſce vulgum. οὐ 8
γὰρ πεφύκασιν αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ οὐδ᾽ ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ αἰσχρὸν ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας: *Nam enim ita natum eſt, ut Pudori obſequatur, ſed ut Metui: nec ut abſtineat à pravis ob turpitudinem, ſed ob ſupplicia & pœnam.* (*Ariſto. 10. Ethicor. ca. ult.*)

(*Cicer. ad Brutum*) Adhibe hæc igitur in tempore. *Salutaris Severitas vincit inanem ſpeciem Clementiæ.*

Quin

Quin *interdum optimum misericordia genus est occidere.* Epist. 11.

Cotys rex Thracum, increpanti se veritatem ejus & ajenti, *Μανία τοῦτ' ἐστι, καὶ οὐ βασιλεία*: belle respōdit, *Ἀλλ' ἡ ἐμὴ μανία τοὺς ἀρχομένους σώφρονας ποιεῖ*: *Furor hic est, non Regnum. At meus hic Furor subditos sanos reddit.* Senec. 1. de Ira. Stob. de Regno.

Ita, ita, *Adhibenda est reip. caussa Severitas, sine qua administrari civitas nulla potest.* Cicer. II. Offic.

9 *Scimus digitum præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad brachiū ventura.* Varro in Fragm.

10 Tamen tempestivè, & cum intermissione.

Nam *civitatis mores magis corrigit parcitas animadversionum*: Senec.

Illud laudabile, quoties potest, efficere *ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat.* Clement.

Et *unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere.* Cicer. pro Cluēt.

11 Quod si crebra tamen nimis aut pervicacia vitia: tū sanè illud valeat. Idem 3. in Verr.

Crudelem medicum intemperans æger facit. Publ.

Ne con-

Tacit. 3. Annal. *Ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera coerceas. Corruptus simul corruptor, ager & flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit.*

Secundò, Constantem volui imperii Formam: quod interpretor, uno & veteri tenore fluentem. Quid mihi mutas? Alcibiadem audi verè censentem: *τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τούτους οἰκεῖν, οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις, ἢν καὶ χείρω ᾖ, ἥκιστα διαφόρως πολιτεύουσι: Eos hominũ tutissimè agere, qui præsentibus moribus legibusq; etiamsi deteriores sint, nihil variantes, rempub. administrant.* 12 13

Apud Thucyd. lib. 6.

Apud Dion. 52. Ipsum Augustum: qui sic olim ad Senatum: *Τοὺς κειμένους νόμους ἰσχυρῶς φυλάττετε, καὶ μηδένα αὐτῶν μεταβάλητε. τὰ γὰρ ἐν ταὐτῷ μένοντα, κἂν χείρω ᾖ, συμφορώτερα τῶν ἀεὶ καινουμένων κἂν βελτίω εἶναι δοκῇ, ἐστιν: Positas semel leges constantes servate, nec ullam earum immutate. Nam quæ in suo statu, eademq; manent, etsi deteriora sint, tamen utiliora sunt reipub. his quæ in nova-*

novationem vel meliora inducuntur.

4 Et inopinati dogmatis caussa duplex, Quod nec leges ipsæ vim & vitam satis habeant, vertendæ statim aut evertendæ. *Non enim convalescit planta, quæ sæpius transfertur:* Seneca Epist.

15 Et quòd Princeps vilescit, qui sic vacillat: fœdaque inconstantia, *quæ jusserat, vetat, quæ vetuerat jubet.* Tacit. 3 Histor.

6 Sperne ergo circa te novatores: qui *ut aliquid sui videantur afferre, etiam recta commutant.* Quinctil. lib. 3. Instit.

7 Et scito, *super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum: & quæ convertuntur, in deterius mutari.*

Ideoque in *minimis quoque rebus, omnia antiqua consuetudinis momenta servanda.* Tacit. 15. Annal.

18 Sed numquam, inquies, mutem? numquam: nisi aut summa Utilitas expresserit, aut summa Necessitas. Nam, fateor, *nocet* interdum *priscus rigor & nimia severitas, cui jam pares non sumus.* Valerius Maximus lib. 2. Tacit. 1. Histor.

19 Sed tunc quoque fiat leniter: & ut *quàm minimo sonitu orbis ille in repub. convertatur.* Cicer.

Itemque

ad At- Itemq; Lentè: ut per gradus, nec 20
tic.li.2. omnia simul. Augusti exẽplo: qui sub
Epist. initia imperii *οὐ πάντα εὐθὺς, ὥσπερ ὑ-*
9. *πετέθειτο, ἔπραξε, φοβηθεὶς μὴ καὶ σφα-*
Dio. 3. *λῇ, ἀθρόως μεταρρυθμίσαι τοὺς ἀνθρώ-*
πους ἐθελήσων, ἀλλὰ τὰ μὲν παραχρῆ-
μα μετεκόσμησε, τὰ δὲ ὕστερον. *Non omnia statim, uti decretum erat, exsecutus est: veritus, ne parum succederet, si simul homines transferre & invertere vellet: sed quædam ex tempore disposuit, quædam rejecit in tempus.*

Tacit. 1. Annal. Atque hoc est, quod de eodem noster: *Insurgere paulatim, munia legum & magistratum in se trahere.* Ait, Paulatim: & tu in re simili serva.

Tertiò, Adstrictam Imperii Formam posui. id est, ut non solùm A te præcipua vis & honos, sed etiam Apud te sint. A te quidem, ut maxima rerum aut agas ipse, aut firmes: 21
1. Annal. *neu vim Principatus resolvas, cuncta ad Senatum revocando.*

Non quia consilia spernam (valdè suasi, & suadeo:) sed quia innotescere omnibus velim, te esse à quo pen- 22
deant omnes. Esto mihi *solus arbiter*

rerum

rerum, jure ac nomine regio. 2. Annal.

Reges, domini rerum temporumq́, trahunt consilia cuncta, non sequuntur. Liv. 9.

Aliquid hic laxas? totum amittis: *Ea est imperandi ratio, ut non aliter constet, quàm si uni reddatur.* Tacit. 1. Annal.

3 Sed apud te etiam plerusque honos maneat, certè magnus. Doctorum ille doctor: Κοινὴ φυλακὴ πάσης μοναρχίας, τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν· *Communis custodia Principatus, neminem unum magnum facere.* Aristo. 5. Polit. cap. 11.

Semper *periculosum, privati hominis nomen supra* (imò & *juxta*) *Principis attolli.* Tacitus. Agric.

4 Quid si tamẽ factum? corriges. sed sic, ut nõ detrahas eum, sed deducas. Δεῖ γὰρ ἐκ παραγωγῆς ut ille loquitur, τοῦτο δρᾶν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν: *Oportet circumductione quadam & per ambages id facere, nec totam potestatem simul tollere.* Aristo. 5. Polit. cap. 11.

5 Nec verò magnos solùm honores dari abnuo, sed & (utrique in Militia aut Præfectura) longos. Vetus monitum: *Nihil tàm utile quàm brevem potestatem esse, quæ magna sit.* Latro apud Senec. 7.

Liber-

Controv. ult. — *Libertatis* (sive *Principatus*) *magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas.*

Livius 4. Dio. 52. — Caussa quoniam αἱ μακρότεραι καὶ πολὺ χρονιώτεραι ἀρχαὶ ἐπαίρουσί πως πολλοὺς καὶ ἐς νεωτεροποιΐαν ἐξάγουσι· *Longiora & diuturniora imperia, multos attollunt; & ad res novandas impellunt.* 26

VIAM primam vides: alteram tibi POTENTIÆ ingredior, quæ est illa ipsa directa & Regia ad solidam Auctoritatem viá. Cætera omnia adsint, hæc absit: quid juvabunt? Scito *parum tutam esse sine viribus majestatem.* 27

Livius 2.

Cicer. 2. de Invent. — Potentiam autem hic intelligo, ad *Sua conservanda & Aliena obtinenda idonearum rerum facultatem.* 28

Quam quinque hæc instrumenta tibi dabunt: Opes, Arma, Consilia, Fœdera, Fortuna, si tamen apposité, & ut præcipiam, utaris. Attende, attende. Primo loco Opes pono & de vi atque usu earum quis ambiget? 29

Demost. — Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστὶ γενέσθαι τῶν δεόντων: *Opus, opus,*

sunt

sunt Opes, & sine iis nihil fiet, quod opus. Olynt. I.

30 Experiens callidusque vir clamabat olim: Νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα εἶναι: *Nervos imperii pecuniam esse.* Dio in Vespas.

31 Nam socios aut milites habere vis? Illa dabit: Πάντα ὤνια τῷ πλούτῳ: *Omnia venalia nummis.* Aristo. Rhet. 2. ca. 16.

32 Hostes aut urbes perdere? hæc faciet, *Nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.* Cicer. 2. in Verr.

Omnia castella hæc machina deiiciet, *in qua modo asellus onustus auro possit ascendere.* Cicer. 1. ad Attic: Epist. 12.

Ad summam,

----- *divina humanáque pulcris*
Divitiis parent. Hor. 2. Serm.

33 Non credis? saltem oraculo:

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.

Hastis pugna argentatis, atque omnia vinces. Philippo Macedoni datum.

34 Instrumentum secundum, Arma. Nam illud certum, *Non ignavia magna imperia contineri, sed virorum armorumque faciendum certamen.* Tacit. 15. Annal.

Improbè dictum videatur, sed in 35
Ibidē. tempore utiliter? *Sua retinere, privatæ domus; de alienis certare, regiam laudem esse.*

De morib. Fateor optabilius *magnitudinem suam justitia tueri.*

Germanor. Sed optabilius. qui enim semper 36
possis? *Inter impetentes & validos falso quiescas, ubi manu agitur, modestia*
Ibidē. *& probitas nomina superioris sunt.*

E. Vellejo lib. 2. Nec unquam deerunt, *nisi sylva* 37
hac humani generis *excisa, raptores alienæ libertatis lupi.*

Liv. 30. Addo, si hoc non sit, quod *nulla* 38
magna civitas diu quiescere potest, si foris hostem non habet, domi invenies.

Arce, arce internam illam pestem. 39
&alios potius turba, quam ut te per-
Idem 22. das. *Agendo audendoq́ res Romana crevit, non his segnibus consiliis, quæ timidi cauta vocant.*

Quanquam Consilia profectò & 40
ego misceo: nec ulla stabulis poten-
Tacit. 1. Annal. tia sine istis, *Arma,* inquit ille, *consilio temperanda sunt.*

Quod tibi ita præeo. Arma infer- 41
re vis? Primum vide ut Providè.

Animus

Animus vereri qui scit, scit tutò aggredi. Publius.

Odi istos properos, qui *dum inferre pericula volunt, non cavent.* Seneca 1. de Ira.

Et scio *cautis quàm acrioribus consiliis Potentiam tutius haberi.* Tacit. 11. Annal.

2 Vide etiam ut cum Modo. *ne dum ad culmen venire contendis, unà cum ipsis ramis quos comprehendisti, decidas.* Curt. 7.

3 Ea *demum Potentia tuta est, quæ viribus suis modum imponit.* Valer. 4. ca. 1.

Pyrrhus mihi es? & *nova siti ad alia aliaq; properas;* Plutarch. in Pyrr.

Noli. *Facilius est quædam vincere, quàm tenere.* Curtius 4.

Et

Fortunam citius reperias, quàm retineas. Publius.

4 Tu firma antè parta. *Difficilius est provincias obtinere, quàm facere. viribus parantur, jure retinentur.* Florus lib. 4. cà. ult.

Et quid festines? *Non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas.* Sen. Consolat. ad Marc.

5 Regibus ego ita suadeo: at regulis, ista Quies vobis tutior, nec de Obtinendo laborate, sed Tenendo Scitote, *testitudinem, ubi collecta in suum te-* Livius

lib.34. *gmen est, tutam ad omnes ictus esse: ubi exserit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atque infirmū habere:*
Sic vos, apud vos, tutos esse. *simul aviditate plura complectendi hinc exce-*
Ibidem. *ditis, nuda vobis omnia quæ extra sunt, & exposita ad omnes ictus esse.*

Stulti qui *concupiscunt, quod non* 4
Curt. 7. *capiunt.*

Vobis melius, *consiliis & astu res*
Tacit. II. Annal. *externas meliri, arma procul habere.*

Itemque via hæc Fœderum: quæ 4
ipsa, ut dixi, ad potentiam valent.
Socios legi suadeam, *qui non medio-*
Aristo. Rhet. ad Alexan. ca. ult. *cri valeant potentia, & in proximo habitent.*

Id est, qui utibiles esse & viribus & loci opportunitate possint. Nam infirmis aut miseris quid te jungas?

Lucanus 8. *----- quærunt,*
cum qua gente cadunt.

Tu, si sapis,
Ibidē. *---- fatis accede deisq;*
Et cole felices.

Ex Hadrīani dicterio. *In caducum parietem ne inclina.*

Suam quisque fortunam in consilio 4
babeat, cum de aliena deliberat.

Ni-

Nisi tamen quispiam talis, *cujus* Curt. 4.
ruina te quoque tractura sit. Ex Ta-
49 Tum enim sanè aut junge te, aut ci. De
juva: sed quid si occultè? Vetus illa Morib.
calliditas, *societatem alterius palam in-* Ger.
ducere, ad alterum per occulta & fida 12. An-
magis inclinare. nal.

50 Magnus nodus, cum dissentiunt Sallust.
inter se vicini duo potentes: *qui nec* Epi-
vincere, nec vinci, sine periculo tuo pos- stol.
sunt. Mi-
Quid facies? non enim effugias, thrid.
quin alterum *aut socium habeas, aut* Liv. 32.
hostem.

51 Nam quod nonnemo *tanquã me-* Ibidẽ.
diam & tutissimam consilii viam, ut quiescas abstineasq; armis, ostendit: ea vero non media sed nulla est.

Quid enim aliud, quàm nusquam Ibidẽ.
gratia stabili, velut qui eventum exspectaveris, ut Fortuna applicares consilia tua, præda victoris eris?

Vidimus, & videbimus (ita nunc Sallust.
Europæ status) eos, *quos ignavia aut* Epist.
prava calliditas, ut alienis laboribus tu- Mi-
ti essent, armis abstinuit, acerbissimas thrid.
pœnas solvisse.

Sue- Cum Cæsare igitur *Jacienda* tunc 52
ton. *alea*: & alterutri se adjungendum.
Utri? si pares potentia, meliori: si
disputares, potiori, nisi alia Oppor-
tunitas aut Utilitas vincat. Nam
profectò eas hic specto. Alta & ani-
mosa quid cogites? Tuta potius: &
Tacit. cum Gallis, *Valentini animum probes,*
4. *consilium Auspicis sequare.*
Tacit⁹ AT Fortunam ultimum instru- 53
Histor. mentum ad potentiam feci: cur non
primum? Debebam, si vim ejus in-
Curt. 8. tuerer. Nam *quis neget eximiam quoq;*
gloriam & potentiam, *sæpius Fortunæ*
quàm virtutis esse beneficium?
Cicer. Sunt enim quidam hoc astro; ut 54
pro le- iis *ad amplitudinem, & gloriam & ad*
ge Ma- *res magnas bene gerendas, divinitus ad-*
nil. *juncta Fortuna* videatur.
Sallust. Homines, ad Pompejanum illud
ad Cæs. elogium, *majore fortuna quàm sapien-*
Terēt. *tia.*
Adelp. Quibus *dormientibus dii omnia cō-* 55
Inter *ficiunt*:
Ada- *Reti urbes capiunt:*
gia. è Et *in sinum iis de cælo Victoria devo-*
Plut. *lat.*

Quos

56 Quos poeta quoque depinxit: Liv.7.
Πολλοὶ τοὶ χρῶνται δειλαῖς φρεσὶ, δαίμονι δ' ἐσθλῷ. Theogn.

Οἷς τὸ κακὸν δοκέον γίγνεται εἰς ἀγαθόν.

Multis mens læva est, sed eisdem numina dextra.

Queis malè quod cœptum est, vertit & in melius.

Sicut contra, aliis *destinata salubriter, omni ratione potentior Fortuna discussit.* Curt.3.

57 Gaudeãt ergo, qui illam habent, Nam vel ab hac sola auctoritas.

---- ut quisque fortuna utitur, Plautus Pseud.
Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus.

58 Sed gaudeant moderatè, quia mera & nuda felicitas fragilis est, nec *quicquam potest esse diuturnum, cui non subsit ratio.* Curt 4.

59 *Licet* pullis istis suis *adspirare Fortuna videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit.* Ibidẽ.

60 Et quos diu *prosecuta est, repentè velut fatigata destituit.* Vell.11.

Destituit? imò abiicit. *soletq;, quos* Cæs. 3.

 plu-

Civil. *plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservare.*

Tu cave, cave, & poetæ monito.
Auson. *Fortunam reverenter habe.*

TERTIA via se nunc pandit, MORUM. quos duplices in Imperante hic considero Internos & Externos. Illos qui in animo: ut virtutes. istos, qui in corpore: ut certos habitus, aut gestus. Quod ad Virtutes? omnes eæ 61
Tacit. conciliandæ Auctoritati sunt, imò
1. Annal. & *species virtutum similes*: sed duæ eminent, Pietas & Providentia. Nam 62
Tacit. illa sanè vulgò venerabilis, facitque
2. Annal. *Principes instar deorum esse.*

Et movet opinionem, ut *nihil sine*
Curt. 3. *divina ope aggredi videantur.*

Aristo. Stagirites ideo monuit: Δεῖ (τὸν 63
5. Polit. ἄρχοντα) τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι
cap. 11. ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως: *Oportet Principem res divinas videri curare seriò & ante omnes.*

Ibidē. Additque causas, ἧττόν τε γὰρ, inquit, φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν. καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον, ὡς συμμάχους ἔχοντι

τι καὶ

τι καὶ τοὺς θεοὺς. Nam & minus injustū aliquid sperant ab eo Principe pati, quem religiosum deorumq; verentem existimant: & minus ei insidiantur, ut tutores & adjutores habenti etiam Deos.

64 Jam Providentia quoque *animis hominum illabitur admirationis prætexta velata*, si nihil aut suspicis, aut agis, nisi lentè & circumspectè. Valer. 2.c.4.

65 Id est, feliciter. Plerumq; enim *omnia summa ratione gesta etiam Fortuna sequitur.* Livius lib.5.

66 Ergo & Auctoritas: nam Contemptus à lapsu. *Res adversæ Auctoritatem imperatorum imminuunt.* Cæs.7.

Quin ipsa talis indoles, per se potens est ad Amplitudinem obtinendam. si quis tardus in actionibus & *contator natura, & cui cauta consilia cum ratione quàm felicia ex casu placent.* Tacit. 2. Hist. 2.An-

67 Inter Externos Mores pono gestum: ut sis *compositus ore.*

Gravi & ad severitatem flexo, non tamen ad minas. καὶ φαίνεσθαι μὴ χαλεπὸν, ἀλλὰ σεμνὸν, ὥστε μὴ φοβεῖσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας, ἀλλὰ μᾶλλον αἰ- Aristo. 5. Polit.c.11.

 δεῖσθαι:

δεῖσθαι: *& apparere non acerbum, sed augustum, ut qui obvii fiunt, non metuant te, sed magis vereantur.*

Etiam habitatio habet & adfert aliquid dignitatis, si ea in loco splen- 68
Tacit. 5. Annal. dido & illustri Me auctore, elige urbem aliquam principem, *unde in omnia regimen.*

Hanc cole:

Claud. *--- medium non deserit unquam Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.*

Sueton. Tib. cap. 10. Et secede tamen interdum, ut *vitato assiduitatis fastidio, Auctoritatem absentia tueare.*

Pindar. Alia quæ huic rei faciunt, pete è proprio Capite, lib. 2. supra. An ego, quæ dixi, repetam, *ἀπὲ μεγαφυλάκας, Διὸς κόρινθος? Sicut nugator aut blactero, Jovis Corinthus?* numquam.

CAP. X.

Ad ea transitum quæ Vertendo regno faciunt: in quibus prima, Vis est.

Ea di-

Ea duplex ostensa: Insidiæ & Proditio. Utraque quomodo cavenda aut punienda, ostensum.

SUMMARIA.

1 *Vis definita mea menti.*
2 *Divisa.*
3 *Periculum ab ea:*
4 *Vix reprimitur.*
5 *Princeps uni alicui expositus.*
6 *Et patrat, qui desperat.*
7 *Remedia tamen quattuor.*
Inquisitio in sermones. ibid.
8 *Lingua mentem prodit.*
9 *Indiciné præmia ponenda?*
10 *Publica lege vel edicto.*
11 *Eorum spes omnia relevat.*
12 *Cautè tamen credendum.*
13 *Ne innoxii circumveniantur.*
14 *Ne locum calumniis & odiis aperias.*
15 *Convicti puniendi.*
16 *Nec tamen properè.*
17 *Nec item semper.*
18 *Clementia hic sæpe utilis.*
19 *Caussa insidiis tollenda.*
20 *Reliqua fatis committenda.*

21 *In Dei nos manu.*
22 *Qui Reges servat maximè.*
23 *Votum meum pro Principe.*
24 *Proditionis noxa.*
25 *Qui proni ad eam?*
Avari. ibid.
26 *Leves.*
27 *Occulti.*
28 *Simulatio sæpe detegit.*
29 *Puniendi celeriter.*
30 *Puniendi & semper.*
31 *Qui inemendabiles.*
Et in exemplum. eod.
32 *Puniendi item graviter.*
33 *Quia impium hoc facinus.*
34 *Vix gratum iis: quibus gratificantur.*
35 *Non certè ipsi.*

QUæ juvant aut firmāt regnum, dixi: ad Noxia veniendum est. In quibus prima Vis mihi occurrit, hoc sensu: ut sit MOLITIO OCCULTA UNIUS PLURIUMVE IN REGEM AUT REGNUM. Occultā dixi, quia non de omni Vi propositum hic mihi dicere (est enim 1

Aperta

Aperta quædam, ut Factio, Seditio, Bellum: quas jure differo, & refero ad Prudentiam Militarem:) sed saltem de illa Clancularia, quæ propriè opposita Vi nostræ Juvanti.

2 Hanc duplicem facio: Insidias, & Proditionem: è quibus illæ scilicet custodibus adversæ sunt; ista Munimentis. Nam ego ita discrimino, uti Insidias propriè in caput regis esse velim: Proditionem in loca ejus, co-
3 pias, arces. Utrumq; pestilens & metuendum malum: sed metuendum magis, quàm cavendum. Qui possis? latet: nec prodit se, nisi cum perdit. Enimvero

4 *Arma aperta palam vite: fraus & dolus occulta, eoq; inevitabilia.* Tacit. 2. Hist.

Hostem adversum, ait ille, *homini strenuo opprimere haud difficile est: occulta pericula neq; facere, neq; vitare, bonis in promptu est.* Sallust. ad Cæs.

5 Nam de INSIDIIS ut primò dicam: scimus *patere vel unius insidiis regem. nihil nefas esse Avaritia.* Curt. 4. Tacit.

Scimus *fluxam militum fidem, & periculum ex singulis.* 2. Hist.

Quid

Ibidē. *Quid proderunt cohortes alæque, si unus alterve, præsenti facinore paratum ex diverso præmium petant?*

Cur. 9. Profectò *regnum exitus si reputaverimus, plures à suis quàm ab hostibus interemptos reperiemus.*

Senec. Quid miremur? *Vitæ tuæ dominus est, quisquis suam contempsit.* 6

Difficile igitur auxilium, sive consilium: tamen aliquod. & id capies

Arist. 5. Polit. cap. 11. ab his quatuor, Indagatione, Punitione, Innocentia, Fato. Ab illa primum: quoniam omnino utile habere te * κατασκόπους quosdam siue * ὠτακουστὰς etiam. καὶ τὸ μὴ λανθάνειν πειρᾶσθαι, ὅσα τυγχάνει τις λέγων ἢ πράττων τῶν ἀρχομένων. *conari ne te lateat, quid quisque subditorum faciat aut dicat.* 7

Speculatores. * *Auricularios. ut vertunt Gloss. prisca.*

Subditorum, inquam, maximè Illustriorum. Nam in omnes quæ acies inquirat? Hoc cum ad alia utile, tùm contra Insidias valebit firmiter. quoniam rarò, nisi malè locuti,

Cur. 6. malè faciunt: & *Linguæ temeritas, pervenit ad gladios.*

Obserua. reperies plerosque insi- 8

dian-

diantium, aut ipsos alibi criminatos Regum esse, aut *sermonibus vitupe-* Idē 8.
rantium criminantiumq; faciles aures præbuisse.

Itaque sagaci hac via, non parum *latus à domesticis hostibus munies.* Idē 6.

Rem enim factam habes, si dete-
9 ctam. Quod quo magis fiat, cur non Sallust.
Indici præmia palàm *decernas, pecuni-* Catil.
am & impunitatem.

10 Idq; lege lata: & sæpius renovata? Ego è re Principum censeam: & scio *Cruciatu aut præmio cuncta pervia esse.* Tac. 15. Annal.

11 *Nam cum secum animus præmia re-* Ibidē.
putat, simulq; immensa pecunia & potentia animo obversantur: cedit fas & salus aliorum.

Et, mihi crede, *carissima suorum pignorum prodent.* Ibidē.

12 Sed in dilationibus his vide, ut aures omnibus præbeas, nō etiam fidē. Nam multi, spe aut odio, vana deferent. ideoq;, ex Mæcenatis monito, οὐ χρὴ πᾶσιν τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τινῶν πιστεύειν, ἀλλ' ἀκριβῶς αὐτὰ διασκεπτεῖν· *non oportet omnibus, quæ ab his* Dio 52.

tali-

talibus dicentur, fidem adhibere, sed acriter ea examinare & discutere.

Ammian. 18. Et per Deum, *quis innocens esse poterit si accusasse sufficiet.*

Imò, quia res te tuumq; caput spectat, eo magis videndum, ne quid 13
hic properè agere videaris, aut in tua
Tacit. 15. Ann. caussa, tua caussa. Alioqui *crebro vul-* 14
gi rumore laceraberis, tanquam viros insontes ob invidiam aut metum exstinxeris.

Dio 52. Nam χαλεπώτατα οἱ πολλοὶ πείθονται, ὅτι τις ἄοπλος ὢν ἐπιβουλεύει τῷ ἐξωπλισμένῳ: *ægerrimè vulgus credit, quod quispiam inermis insidias armato struat & militibus cincto.*

Liv. 40. Et pænè *non creditur nisi perpetratum facinus.*

Ut non immeritò ille exclamaverit, Sueto. Domi. cap. 21. *Conditionem principum miserrimam, quibus de conjuratione comperta non creditur nisi occisis.*

Cautè igitur age & lentè. Quid si 15
comperis? puni, (secundum enim hoc auxilium est) & graviter puni. Nam *insidiatori aut latroni, quæ potest afferri injusta nex?*

Ille

Ille est, per quem *libertas & anima omnium in dubio:* Cicer. p. Mil.

Ille, qui in uno capite sæpè omnes perdit, & *magni fortunam populi in ruinas agit.* Sallust. Catil.

Hic mihi quisquam, mansuetudinem & misericordiam nominat? Sene. 1. de Clement.

Tua cautio, ô Princeps, *nostra cautio est.* Sallust. Catil.

Nec tua propriè, sed reip. hęc vindicta. *Ne sanguinem nostrum largiare; & dum paucis sceleratis parcis, bonos omnes perditum eas.* Cicero p. Marcel. Sallust. Catil.

6 Sed tamen ita animadverte, ut mora interdum interveniat ultioni. Quid enim si importuno tempore insidiæ detectæ? Dissimulabis. gnarus, *solum sæpe insidiarum remedium esse, si non intelligantur.* Tacit. 14. Annal.

Quid etiam si magnis conceptæ, & quos tutò statim haud punias? Premes: *& securitati consules, antiquā vindicta.* 11. Annal.

Res enim *monet, cavere ab illis magis, quàm quid in illos statuas consultare.* Sallust. Catil.

7 Et quanquam ad vindictam te incito,

ecto, tamen à Venia haud semper excludo. Pone illustrem aliquem deprensum in hoc scelere, cui tu & patria devincti: quid facies? Profecto

Sene. 1. de Clement. *pœnam si tuto poteris, donabis: sin minus, temperabis.*

Ibidē. Audi à muliere non muliebre cōsilium. Livia suo Augusto: *Deprehensus est, jam nocere tibi non potest, prodesse famæ tuæ potest.*

Ibidē. *Nihil gloriosius est Principe impune læso.*

Famæ tantum imò & saluti. Incredibile est quantum insignita hæc aliqua clementia, alios arceat à simili conatu vel pœnitentia vel pudore. 18

Ibidē. Oraculum puta: *Clementia non tantum honestiores, sed tutiores præstat: ornamentumque imperiorum est simul & certissima salus.*

Ibidē. * *Hoc valet in illustribus maximè familiis.* Nam profecto * *parentes liberique eorum, qui interfecti sunt, & propinqui & amici, in locum singulorum succedunt.*

Atque ita fit insidiantium nexus 19 quidam & cathena. Qui eam rumpes? Clementia ista ut dixi: & maxime

ximè tertio nostro Auxilio, Innocẽ-
tia. id est, ne crebra aliorum lesione,
caussam ipse præbeas tui lædendi.
Malè vim suam potestas aliorum con- Plinius
tumeliis experitur. lib. 8. c-

Et didicimus experimẽto fidelissimam p. st.
esse custodiam Principis, ipsius Innocen- ultim.
tiam. Idem

20 Jam quartum tibi scutum sugge- Paneg.
ro, Fatum. Miser, quid te torques? Si
illud volet,

Præbenda est gladio pulchra hæc & candida cervix. Juven. sat. 4.

Cum omnia feceris, nec *percusso-* Ad di-
rem tuum tolles, nec successorem. ctum

21 Si nolet: es salvus. Deus, Deus, vetus
ἐν ᾧ ζῶμεν καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν: *in quo* aliusũ.
vivimus, & movemur, & sumus. Actor.

22 Ille *erit in latere tuo, & custodiet pe-* cap. 17.
dem tuum, ne capiaris. Prov.

——Διὶ κηδόμενοι μέλονται Salom.
Αἰδοῖοι βασιλῆες. cap. 3.

——*Jovi curæ est venerandi* The-
Principis. ocr.

23 Huic fide. ego vota pro te suscipio,
sed hac lege: *Ago cum deo, uti sospitem* Plinius
te incolumemque præstet. si tu ceteros. Paneg.

Si

Ibidē. *Si rempublicam benè, & ex utilitate omnium regis.*

Ibidē. *Si contra; ille quoque à cuſtodia tui corporis oculos dimoveat, teq; relinquat votis, quæ non palam ſuſcipiuntur.*

Vale.9. cap.6. Peregi de Inſidiis. *nunc occultum & inſidioſum malum* PRODITIO *latebris ſuis extrahenda eſt.* 24

Ibidē. *Tantum incommodi humano generi afferens, quantum ſalutis bona Fides.*

Salluſt Catil. Periculoſiſſimum quoque iſtud, cum ſcilicet plerumque *intra mœnia atque in ſinu urbis ſunt hoſtes.*

Idem Jug. In quod inclinant, Avari maximè. qui *famæ, fidei, poſtremo omnibus rebus commodum ſuum anteferunt.* 25

Tacit. 16. Annal. Palam honeſti, *animo perfidioſi ac ſubdoli, Avaritiam ac libidinem occultantes.*

Cur. 4. Item *Temporaria* iſta *ingenia:* 26

Ibidē. Id eſt, homines leves, inſtabiles, & *ex ancipiti mutatione temporum pendentes.*

Liv. 24. *Tanquam cum Fortuna fidem ſtare oporteat.*

Deniq; diſſimulatores & occulti. qui ad illud Homeri. 27

Εϑλ᾽

Ἐσθλ' ἀγορεύοντες, κακὰ δ' ἐν φρεσὶ βυσσοδόμευον. Odiſ.g.

Pulchra loquentes, iidem in pectore prava ſtruentes.

Adeò ut *non antè intelligas proditorem, quàm proditus ſit.* Latro apud Sen. Com. 7.

Imò fidem præferunt vel maximé, ut faciliùs fallant. Nota, nota. *Fraus in parvis fidem ſibi præſtruit, ut cum operæ pretium ſit, cum mercede magna fallat.* Liv. 28.

28 Qua ipſa nota, haud vanè eos noſcas. Nam inſitum homini, *quantò magis falſa ſunt, quæ fiunt, tantò plura facere.* Tacit. 1. Hiſt.

Malum, & malos iſtos, vides. qui vitabis? duplici illa via maximè, quā ſupra præivi, Indagationis & Pœnæ. In illa nihil muto: in hac aliquid. quia placet numquam eam

29 differri. & *impia proditio celeri pœna vindicanda eſt.* Vale. 9. cap. 6.

Quid hic trepides? omnia patent. *καὶ οὐδὲ καὶ δικάζεσθαι τοὺς τοιούτους πω προσῆκεν, ἀλλ' ἐν πολεμίου μοίρᾳ κολάζεσθαι: imò nec in iudicium tales adducere oporteat, ſed hoſtium loco ilicet punire.* Dio 57.

Et

Sallust. Catil.

Et vindicanda semper. Me judice, veniæ non hic locus: & si quis utatur, *ne ista mansuetudo & misericordia illi in miseriam vertat.* 30

Cic. ad Brut. Epist. 15.

In patriam improbi, cui & quandounquam boni? ne spera. Abscindendi sunt. *neque tam ulciscendi caussa, quam ut & in præsens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterreas; & in posterum documentum statuas, ne quis talem amentiam velit imitari.* 31

Lib. 9. de Leg.

Pœna autem gravis usurpanda. 32 Platonem si audis, qualis in Sacrilegos? Δικαστὴ, inquit, τούτοις ἔστωσαν, οἵπερ ἱεροσύλοις: *Iudices istis dantur, qui sacrilegis solent.*

Sallust. Catil.

Meritò. Patria nónne proximo à 33 diis gradu est? atqui *ea horum nefario consilio in maxima pericula venit.*

Cice. 4. in Catil.

Itaque *nulla esse potest in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas.*

Tac. 1. Annal.

Sceleris, quod exsecrātur ipsi hostes: nec bonum iis, quibus bono. 34 *Proditores etiam iis quos anteponunt, invisi sunt.*

Præmia interdum capiūt fateor.

sed

sed non hercules quo tanto honore digni habeantur, sed ut aliorum solicitentur animi. Cur. 5.

35 Rem inquam amant, non reum & commodè. Augustus: *Ἐγὼ προδοσίαν φιλῶ, προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ. Ego proditionem amo, proditores non approbo.* Plut. Apoph.

Commodiùs etiam ante eum Philippus, *Amare se prodituros, non proditores.* Stob. serm. 52.

CAP. XI.

De vitio duplici, eversore regnorum. Primum de Odio: cuius pestis subiecta oculis. Fugienda quæ eo ducunt: imò & imago eorum. qualis est in Suppliciis, Tributis, Censura. In his singulis quomodo se gerat Princeps, dictum.

SUMMARIA.

1 Vitii *definitio.*

2 Odii

2 Odii *definitio.*
2 *Vnde id nascatur.*
4 *Quanta ab eo pernicies?*
5 *Paullatim perdit.*
Et penè certò perdit. ibid.
6 *Assiduis periculis expositum.*
7 *Ideò fugiendum.*
Nascitur à Vitiis: eod.
Aut opinione vitium, ibid.
8 *Cui sedes in suppliciis.*
Tributis, ibid.
Censura: ibid.
9 *Supplicia ab* Odio *munienda.*
10 *Tarditate.*
11 *Boni publici velo.*
12 *Exclusione Ira.*
13 *Gaudii.*
14 *Observatione morum.*
15 *Æqualitate pœna.*
16 *Sui subductione.*
17 *Nodus in multitudine puniendorum.*
18 *Tollendi simul.*
19 *Molliendum* Odium *beneficiis.*
20 *Et supplicio Ministrorum.*
21 *In Tributis asperitas & odium.*

Nam

22 *Nam vulgus pecuniæ retinentissimum.*

23 *Fomenta huic rei quinq;.*
Primum, Necessitatis. eod.

24 *Sine Tributu nullus status.*

25 *Quæ servanda.*

26 *Vel augenda.*

27 *Sed populus docendus.*

28 *Suadendus.*

29 *Vix cogendus.*

30 *Modeste habenda Tributa.*

31 *Ne magna sint.*

32 *Vt delibentur opes tantum.*

33 *Ne sordida.*

34 *Nec è delationibus capta.*

35 *Ne frequentia.*

36 *Noviq; semper inventi.*

37 *Coercendi Administri Tributorum.*

38 *Qui plurimum improbi.*
Et harpaces. ibid.

39 *Duplex ab iis Cautela.*
Electio, eod.

40 *Amotio.*

41 *Neutra satis firma.*

42 *Violentia in exigendo vitanda.*

43 *Nec resculæ auferendæ.*

44 *Securi sint ab alio raptu.*

45 *Præsertim à Milite.*
46 *Parcè, & ex usu, dispe[illegible]da Tributa.*
47 *Tanquam aliena pecunia.*
48 *Non ubi voles.*
49 *Sed ubi debet.*
50 *Turpes hic Prodigi.*
51 *Statimq́ exhausti.*
52 *Laudabiles parci.*
53 *Et semper in multo are.*
54 *Æquiter onera imponenda.*
Sine odii aut gratiæ aspectu. eod.
55 *Odiosa quorundam sublevatio aut exemptio.*
56 Census *ad hac utilis.*
57 *Flagitiosè adhuc neglectus.*
58 *Conducit ad plenam Reipubl. notitiam.*
59 *Ad viros militares sciendos.*
60 *Ad Tributa pariter imponenda.*
61 *Legendi Censores à populo:*
62 *In opida bini.*
63 *Iterandus Census.*
64 *Nostro judicio quotannis.*
65 De Censura.
66 *Quæ ignota nunc, aut spreta.*
67 *Quid mihi sit?*

68 Sine

68 *Sine ea fluit Respub.*
69 *Aut perit.*
70 *Firmanda hoc vinculo.*
71 *Ejus materies,* Mores.
72 *Castigandi in juvenibus.*
73 *In senibus.*
74 *In plebe Ignavia.*
75 *Materies altera,* Luxus.
76 *Cui Origo ab Opulentia.*
77 *Minui opes, è re Principum.*
78 *Et Regni.*
79 *Per has nimias perduntur.*
80 *Conducit & Subditis.*
Nam ubi divitiæ, vitia. ibid.
81 *Avaritia coercenda.*
82 *Et fœnus.*
83 *Et sordidi quæstus.*
84 *Sumptus circa ædificia.*
85 *Circa convivia.*
86 *Circa vestes.*
87 *Momentum in his grande.*
88 *Et hinc ferè novitas.*
89 *Aut immutatio.*
90 *Censoris arma.*
Ignominia. ibid.
91 *Et mulcta in perseverantes.*
92 *Adhortatio ad Censuram revocandam.*

PErniciem igitur à Vi præsentem, nec in frequentem, vides: quæ, *ut ait poeta ille noster, summas frangit infirmatq; opes.*

Cicer. pro Rabirio Post.

1 Sed frequentiorem eam scito, etsi tardiorem, à VITIO: quod definio PRAVUM NOXIUMQVE IMPERIO AFFECTUM, DE REGE VEL IN RUGEM. Tale duplex, oppositum scili-

ſcilicet totidem Juvantibus virtutibus, Odium & Contemptus: illud in regem affectus, hic opinio de re-
2 ge. Nam Odium eſt SUBDITORUM IN REGEM EIUSQVE STATUM MALEVOLENTIA PERTINAX ET OFFENSA. Non enim hic intellego commune & *civile illud odium, quo omnes improbos odimus.* Idem pro Mil.

3 Sed Affectum acriorem, cui ex Metu origo, cum cupidine ulciſcendi. Nam metuunt potentes, ob injurias aut damna ſub exemplo inferenda: dolent & ulciſci cupiunt, ob illata. Ita è mixtione peſſima, proles peſſima nata Odium: quod ſemel *inſitum animis hominum & inuſtum,* Cicer. de Aruſp.

4 Incredibile eſt, *quantum valeat ad peſtem?* Idem 2. de Offic.

Nam à Metu aliquid, qui ſit firmum? *malus ille diuturnitatis eſt magiſter.* Idem Phil. 2.

Nulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Idem 2. de Offic.

Cauſſa apud Poëtam veterem: Ibidẽ.

Quem metuunt, oderunt: quẽ quisq; odit, periiſſe expedit. Sene. 1. de Clẽ.

Scilicet per gradus quosdam, *exsecrantur, insidiantur, opprimunt.* 5

Ex dicto Caligulæ Seneca Epist. Quidni faciant? *multæ illis manus sunt, tibi una cervix.*

Nulli non ad nocendum satis virium est.

Cic. de Arusp. resp. *Captatur occasio, & qui non tantum opibus valent, nescio quam tamen fortunam ac tempus exspectant.*

Id. ad Lentul. lib. 9. Deniq; *inclusum illud odium omne repente apparet.*

Ah nescis, *quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverunt.*

Sene. 1. de Clement. Cinge te, stipa; muni: senties *multorum odiis nullas opes posse resistere.* 6

Cice. 2. de Offic. *Tam multis* enim *periculis peteris, quàm multis ipse periculum es.*

Nec illas ipsas manus, quibus te commisisti, securus aspicies.

Sene. 1. de Clement. Ibidē. Fuge hoc ergo, aut Regnum te fugit, imò vita. Quomodo autem? si ea fugies, quibus id paratur. Primum vitia: deinde & vitiorum opinionem. Vitia quidem tria, adversa prioribus illis ad Benivolentiam instrumentis: Sævitiam, Avavitiam, Rigorem. Nam hæc mala ac noxia esse 7

Impe-

imperio, quis tam imprudens, qui nesciat, tam impudens, qui neget? Itaq; fugienda hæc moneo, non doceo: magis insistam in Opinione, à qua majus tibi discrimen. *Scimus enim homines, ut metuant aut oderint, non minus opinione & fama, quam certa aliqua ratione moveri.* Cic. p lege Manil.

8 Opinio autem vitiorum ab illis, quæ agnata & assita jam dictis Vitiis; uti sunt Supplicia, Tributa, Censura. Quæ per se laudabilia, imò necessaria omni regno, speciem tamen & vultum illaudabilem sumũt, nisi peritè & callidè administrentur. Ecce Supplicia quantulum à Sævitia abeunt? sanguis enim ubertim effunditur. Tributa ab Avaritia? pecunia avidè congeritur. Censura à Rigore? frænum & modus invitis imponitur. Et profecto ea ipsa sint, nisi finis discriminet:
9 qui palam ad salutem. In his igitur ut caute & providè ambules, valdè tibi providendum. Primùm in SUPPLICIIS. & vide ne securè Justitiæ illam securim distringas: sed

Sene. 1. de Clement.

sit apud te *Parsimonia etiam vilissimi sanguinis.*

Ibidē.

I. Tardè inquā ad ea venies. *Propè enim est ut libenter damnet, qui citò.* 10

Cic. 2. ad Attic. Epist. 1.

Decretum hoc tibi maneat : *Melius sanare vitiosas partes, quàm exsecare.*

Sene. 1. de Ira.

Errantem per agros ignorantia viæ, melius est admonere quàm expellere.

Sene. 1. de Clement.

II. Numquam venies, nisi *quoties id fieri publica utilitas suadebit.* 11

Cic. 2. Offic.

Te aut tua cogitas ? peccas. *Omnis enim animadversio debet, non ad ejus, qui punit aliquem, sed ad reipub. utilitatem referri.*

Sene. 1. de Clement.

Aut si interdum & tua res agitur (in Principatu id evenit:) dissimula: & vultum eum indue, *tanquam invitus & magno cum tormento ad castigandum venias.*

1. de Ira.

Non quia peccatum est, sed ne peccetur:

Ibidē.

Nec tàm ut ipsi pereant, quàm ut alios pereundo deterreant.

Cic. 2. de Offic.

III. Ad exemplū scilicet omnia referenda, non ad ultionem. Itaque *Ira maximè prohibenda est in puniendo.* 12

Num-

Numquis enim *membra sua odit, tunc cum abscindit?* Sene. 1. de Ira.

Addo, quod *iratus ad pœnam, qui accedit, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter Nimium & Parum.* Cic. 2. de Offic.

13 IV. Sed & Gaudio abstinendum vel magis, omniq; ejus nota. *Ferina ista rabies est, sanguine ac vulneribus gaudere.* Sene. 1. de Clement.

Et acutè Poëta:

Qui fruitur pœna, ferus est: legumq; videtur
Vindictam præstare sibi. Claud Cõsul. Mallii.

Itaq; hoc assequeris, ut *quanquam adversus sontes & extrema exempla meritos, Miseratio tamen oriatur; tanquam non utilitate publica, sed in Sævitiam unius absumantur.* Tac. 15. Annal.

14 V. Vidẽdum, ut pœnæ sint è moribus receptoq. ritu. Δεῖ τὰς κολάσεις πατρικῶς ποιεῖν: *Oportet supplicia more patrio sumi.* Arist. 5. Polit. cap. 11.

Lædit, quidquid in his novum aut nimium: crudelesq; meritò, *qui puniendi caussam habent, modum non habent.* Sene. 2. de Clement.

VI. Etiam hoc, ut Æquabiles, & 15
Cic. 2. Offic. *ne iisdem de caussis, alii plectantur, alii ne appellentur quidem.*

Aut isti durius, alii mitiùs puniantur. quod improbum: nisi fortè in
Plinius lib. 8. epist. ult. Nobilibus. Nam *video & à medicis, quanquam in adversa valetudine nihil servi à liberis differant, molliùs tamen liberos clementiusq; tractari.*

VII. Deniq; postremò, ut Sup- 16
plicia ipse nunquam exigas; atq; adeò vix spectes.
Tacit. Agric. Nam & *Nero subtraxit oculos, jussitq; scelera, non spectavit.*

Xenophon. in Hie. Placet viri magni scitum: Ἀνδρὶ 18
ἄρχοντι, τὸ μὲν ἀνάγκης δεόμενον, ἄλλοις προστακτέον εἶναι κολάζειν. τὸ δὲ τὰ ἆθλα ἀποδιδόναι δι᾽ ἑαυτοῦ ποιητέον: *Viro Principi, ubi pœnarum aut coercitionis res est, aliis id delegandum: ubi præmiorum aut munerum, ipsi obeundum.*

Habes, quæ cottidiana vulgataque Supplicia satis mitigent. quid in ratis aut novis? Puta enim multos aliquos & grandes peccavisse,
quos citra invidiam grandem haud 18
collas. Hic primum illud suadeam:

non carptim aut per intervalla, sed Tacit.
omnes tolli *uno velut ictu.* Agric.

Specie hoc acerbius, re mitius. Senec.
Nam repetita illa & *frequens vindicta* de Cle-
paucorum odium reprimit, omnium ir- ment.
ritat.

19 Incide semel, quidquid inciden-
dum est: & tum Malagmata adhibe
hæc bina. Prius, in alios Beneficia. Tacit.
quasi *illis demotis, auctam lenitatem* 14. An-
tuam testificando. nal.

20 Alterum, Derivationem: *punien-* 13. An-
do rerum atrocium ministros. nal.

Improbum hoc non nemini? quid 1. Hist.
refert? olim, & *severis quoque Ducibus,*
usurpatum.

Qui fuso sanguine, fusi sanguinis Plinius
eluerunt invidiam: & viles quosdam, Paneg.
velut piaculares publici odii victimas,
dederunt.

Vulgus hominum ea ratione pla- Curt.
cati; imò *læti, recidisse iram in iræ mi-* 10.
nistros, nec ullam potentiam scelere
quæsitam cuiquam esse diuturnam.

21 VENIO ad TRIBUTA lenienda:
quo nomine censeo omne genus ex-
actionum. Aspera in vulgi auribus

vox, res in animis: nec alia crebrior odiorum seges. *Nullum enim vitium tetrius Avaritia, præsertim in Principibus & reipublic. gubernatoribus.*

Cic. 2. de Offic.

22 Quam turpis ille Homeri

Iliad. α. Δημοβόρος βασιλεύς?

Poplivorus Princeps?

Populo quidem judice; cui pecuniam eripere, idem quod vitam.

Comicus vetus. Τἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

Pecunia, anima & sanguis est mortalibus:

Ait nō falsus vates. & videmus audimusq; cottidiè, quā multi Principum; *Pecuniis acerbè conquirendis, plus invidiæ sibi quàm virium addant.*

Tacit. 3 Hist.

23 Itaque intentè & cum cura hanc quoq; partem habe: & insitum illi Odium qua potest deterge aut molli. Quod feliciter facturum respondeo quinq; his fomentis. Primum illo Necessitatis. Id plagæ huic animorum statim applica: & *da operam ut omnes intellegant, si salvi esse velint: Necessitati esse parendum.*

Cic. 1. de Offic.

Quæ

24 Quę enim respublica aut regnum sine Tributis? *Ne quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt.* Tacit. 4. Hist.

Hæc *ornamenta pacis sunt, & subsidia belli.* Cicer. pro lege Manil.

Hæc *nervos esse imperii semper duxerunt* sapientes. Ibidē.

25 *Dissolutionem* itaque *imperii doce, si fructus, quibus respublica sustinetur, deminuantur.* Tac. 13. Annal.

Imò nisi interdum & Augeantur. nónne ita opus? semper enim videndum *ut ratio quæstuum, & necessitas erogationum, inter se congruant.* Ibidē.

26 Non videt hoc vulgus, scio: τὰς μὲν προσόδους (τοῦ ἄρχοντος) ἑτοίμως ἐξερευνώμενον, τὰ δ' ἀναλώματα οὐκ ἔθ' ὁμοίως ἐκλογιζόμενον: *reditus quidem & proventus Principis acribus oculis intuens, connivens ad erogationes & sumptus.* Dio. 52.

27 Sed tu ingere: & utiliter interdum *calculum cum imperio pone.* Plinius Paneg.

Quid ambigis? *nunquam* hic *lusciniolæ defuerit sua cantio.* Plaut. Bacch.

Semperque in Principe *cupido auri immensa.* Tacit.

12. Annal. *immensá, obtentum habebit, quasi subsidium regno paretur.*

Si tu hæres; ecce qui transferant: & te contra se juvent. Minor & rideo: Plinius Paneg. *Principes sua sponte avidi & rapaces & qui magistris non egerent, plura tamen sēper à nobis contra nos didicerūt.*

Ibidē. *Nunquam iis defuerunt, qui fronte gravi & supercilio tristi, utilitatibus Fisci contumaciter adessent.*

Quod si populus tam renuet? tum ego ad Themistoclem te mitto: cujus factum vide. Is ad Andrios super Pecunia legatus, δύο ἐλθεῖν ἔφη θεοὺς κομίζων, πειθὼ καὶ βίαν: *duobus diis comitatum venire, se dixit, Suada & Violentia:* 28

Plutarch. Them.

Vide imò & imitare. ac priorem illam Divam semper adhibe nónne impetrare melius, quàm imperare? alteram, cùm opus. Etsi quando opus? Tac. 14. Annal. *Suasio ab eo qui jubere potest, vim necessitatis adfert.* 29

Sed vide (Fomentum hoc secundum) ut Moderatio servetur: ne Grādia nimis ea sint, sed *modica, pro copia scilicet aut angustia rerum.* 30

4 Annal.

Apage

1 Apage istos, qui *rem auferunt cum* Plau-
pulvisculo: tus
Quibus ærarium est *Spoliarium ci-* Bacch.
vium, cruentarumq; prædarum recepta- Plinius
culum. Paneg.
2 Tu cum Tiberio, *tondere pecus* ma- Sue-
lis *quàm deglubere.* ton.
Alexander olim rectè καὶ κηπω- Tib.
ρὸν, inquit, μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέ- Plu-
μνοντα τὰ λάχανα: *Hortulanum odi*, tarch.
qui ab radice olera exscindit:
Et ego sanè Principem, qui *pennas* Ex Ci-
ita incidit, ut nequeant renasci. cer. 4.
Carpe, carpe. Nisi facis, jure in- ad At-
surgent & clamabunt, *Sibi quoq; duos* ticum
deos adesse Πενίαν καὶ Ἀπορίαν *Pauper-* epist. 2.
tatem, & Impotentiam. Plu-
Denique *pacem* fortasse *exuent, tua* tarch.
magis avaritia, quàm obsequii impa- Them.
tientia. Tac. 4.
Profectò *qui nimis emungit, elicit* Annal.
sanguinem. Prov.
3 Vide etiam, ne Sordida. Indi- Sal. 30.
gnum rege, *lucrum ex omni occasione* Am-
odorari. mia.
Et quot vetus verbum ait: κἂν ἀπὸ 22.
νεκροῦ φέρειν: *vel à mortuo auferre.* Arist. 2.
Morbo- Rhet.

E. Suet. *Morboniam* mihi Flavius, cum *ve-*
Vespas. *ctigali suo urinario,* abeat.
Tacit. Multo magis damno *Delationes,* 34
2 Hi- *& locupletissimum quemq; in prædam*
stor. *corripi.*
Nec nimis etiam ex meo sensu (a-
Plinius sperè quidem exercita) lex Majesta-
Paneg. tis, sæpe *singulare & unicum crimen eo-*
rum qui crimine vacant.
Denique ad Moderationem per- 35
Tacit. tinet, ne Crebra: & ne idemtidem
4. An- *Provinciæ novis oneribus turbentur.*
nal. Non *exquires subinde novos sinus,* 36
4. Hist. *& varia prædandi vocabula:*
13. An- *Centesimas, quadragesimas, quin-*
nal. *quagesimas:*
Cæs. 3. *Columnaria: hostiaria:*
Bel. Et *quæ alia exactionibus illicitis no-*
Civ. *mina* Grypi isti *invenerunt.*
Tacit. Tu vetera serva. & ea quoque (Fo- 37
13. An- mentum tertium Coerctio) *ut sine*
nal. *Avaritia & crudelitate* Ministrorum
4. An- *tolerentur,* vide.
nal. Utramq; hanc arceo. Avaritiam,
quæ Fraude grassatur: Crudelitatem,
quæ Vi. Sed ab illa (Fraude, inquam)
periculum tibi grande, & pænè cer-
tum.

8 tum. Adeò Ministrorum omne hoc genus (bonorum pace dixerim) *Laverniones:* Festus.

Ἁρπακτικώτεροι τῶν γαλῶν; *Felibus rapaciores.* Luciã.

Quibus studium παντ' ἄνδρ' ἀποσκολύπτειν: *omnem hominem natum decoriare.* Archiloch.

Prædam in sinum suum conferre: Lãpr.

Lucellum in lucro tuo facere: & Cõm. *præter imperatas pecunias, privato compendio suo servire.* Cæs. 3. de bell. Civil.

Uno verbo,

Homines cum senis manibus, genere Geryonaceo: (*tus fuit,* Plaut. Aulul.
Quos si Argus servet, qui oculeus to-
Is numquam servet.

Et tamen servandi frænandique sunt, aut te perdent. *Actæonem,* inquam, *suum comedent isti canes.* Varro in Fragm.

9 Quomodo poteris? cautione duplici. Primum, ut *res tuas non nisi spectatissimo cuique mandes.* Tacit. 4. Annal.

Deinde, si fallent, amoveas: nec id
10 sine pœna. Qua illa? Talionis. *Erep tum alienas pecunias iverunt? perdant has quas habent.* Plinius Paneg.

Spongiæ,

Spongiæ, ſpongiæ, faciendi ſunt: *& exprimẽdi, poſtquã affatim biberunt.*

E. Suet. Veſpaſ. cap. 16.

Si ulla res, hæc eos comprimet: et- 41
ſi vereor, ut nec iſta. Cur te fallam?
Succedant Mucianus & Marcellus, & magis alii homines quàm alii mores.

Tac. 2. Hiſto.

Legibus fraudes reprime: *miras per artes rurſus orientur.* (rumpent.

6. Annal.

Mille pœnarum indagine include: e-

Plinius Paneg.

Adeò ſplendens hoc *aurum præſtringit oculos*:

Varro in Fragm.

Et altè impreſſum omnibus,
——— *μηδὲν εἶναι σὺν κέρδει κακόν.*
---- *nihil eſſe cum lucro malum.*

Sophocl.

Jam à Crudelitate quoque & à Vi 42
cavendum; *ne tot per annos ſine querela telerata, novis acerbitatibus ad invidiam vetant.*

Tacit. 13. Annal.

Modeſtè jube exigi; & ut verè * Tributa: id eſt, per partes. Valdè hoc (tenuiores præſertim) ſublevat, cum poſſunt, *κατ' ὀλίγον ἐν τοῖς τάξεσιν ὅσα ὀφείλουσιν εἰσφέρειν*: *paullatim & per partes, quæcumq; ex præſcripto modo debent, inferre.*

* *Nam Tributo, Divido.*

Dio. 52.

Abſint, quantum poteſt, illa ex- 43
trema: ne *boves ipſos, mox agros, poſtremò*

Tacit. 14. Annal.

mò corpora servitio aut pœnæ *tradant.*

44 In primis ut uno certoq; Tributo defungantur: & in reliquum: *sit libera nec solicita rei suæ cuiq; custodia.*

45 Non prædo, non miles divexet. Quamvis enim gravia, tamen *injuncta imperii munera impigrè obibunt, si Vis & Injuria absint.* *Tacitus Agric.*

Has ægrè tolerant. Ibidē

Hinc ira & quæstus. & postquam non subvenitur (interdum sanè evenit) *remedium ex bello.* 4. Annal.

46 At quartum Fomentum, Dispensatio. Eam restrictã utilemq; esse suadeo, & qualis in familia boni patris. Exiguam in publicũ impensam quis gravabitur, ἂν ὁρῶσί σε σωφρόνως τε διαιτώμενον, καὶ μηδὲν μάτην ἀναλίσκοντα? *si videant te continenter sobrieq; viventem, ac nihil vanè effundentem?* Dio. 52.

47 Scient enim verè in publicum tribui: teque esse duntaxát φύλακα καὶ ταμίαν, ὡς κοινῶν, ἀλλὰ μὴ ὡς ἰδίων: *Custodem & Dispensatorem, ut communium bonorum, non ut tuorum.* Aristo. 5. Polit. cap. 11.

48 Ita debes, non *privatim largiri, quod avidius de repub. sumas:* Tac. 2. Histor.

Et ex-

1. Hist. Et explere *hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates.*

2. Hist. Non per delicias aut sumptus, *pecuniæ illudere:*

Sallust. Catil. Ut *quas honestè habere* & uti *licet, per turpitudinem abuti properes.*

Absit. Alexander Romanus tibi

Lampr. Alex- xan. præeat: qui *aurum & argentum rarò cuiquam nisi militi divisit: Nefas esse dicens, ut Dispensator publicus, in delectationes suas suorumve converteret, id quod Provinciales dedissent.*

O virum, o Principem! imitare.

Sueton Nerō. cap. 30. Non illos tyranniones: qui *divitiarum & pecuniæ non alium fructum putant, quàm Profusionem.*

Quos Crates rectè olim assimilavit: τοῖς ἐπὶ τῶν κρημνῶν συκαῖς, ἀφ' ὧν ἄνθρωπος μηδὲν λαμβάνει, κόρακες δὲ καὶ ἰκτῖνες *in ficubus, quæ in altis præruptisq; nascuntur, è quibus homo fructum non accipit, Corvi tantùm & Milvi.*

Stobæus serm. 15.

Ibidē. Id est, Ἑταῖραι καὶ Κόλακες: *Scorta & Adulatores.*

Plinius Paneg. His talibus *cùm omnia rapiant, & rapta retineant; ut si nihil rapuissent, nihil*

nihil retinuissent, omnia desunt.

At noster ille Princeps, qui *sua pecuniæ parcus, publicæ avarus.* Tacit. 1. Hist.

Qui eam non abiicit in scurras, mimos, id genus *amicitiarum dehonestamenta.* 3. Hist.

3 Semper abundat. & *tantas vires habet Frugalitas, ut tot impendiis, tot erogationibus, vel sola sufficiat.* Plinius Paneg.

Πλοῦτος γὰρ ἀκριβὴς (ajebat olim magnus amicus ad Augustum) οὐχ' οὗτος ἐκ τοῦ πολλὰ λαμβάνειν, ὡς ἐκ τοῦ μὴ πολλὰ ἀναλίσκειν ἀθροίζεται: *Magnæ opes, non tàm multa capiendo, quàm haud multa perdendo, quæruntur.* Dio. 52.

4 Quintum ultimumque Fomentum, Æqualitas. hoc est, ut justa & uniformis contributio sit, nec per bonam malámve gratiam hanc sublevet, illum premas.

Ut sol & dies omnibus in commune nascitur: Plinius Paneg.

Sic debet Princeps & incōmoda aut *commoda civium non divellere, atque omnes eadem æquitate continere.* Cicer. 2. de Offic.

5 Vix credas, ubi inæqualitas, quantum angantur, insita humano inge-

Tac. 1. Histor. nio invidia, ut *pars dolore aliena commoda, ac suas injurias metiantur.*

Huic autem Æqualitati ratio unica, *Census, res saluberrima magno futuro imperio.* 5 — Liv. 1.

Quem nesciri aut neglegi hodie, non mirer? jure. cum tàm prompti obviiq; exẽpli sit, (nam quæ mediocriter bona respubl. olim sine illo?) & simul tàm manifesti usus. Plato verè: *τετιμῆσθαι μὲν ἕκαστον τὴν οὐσίαν, ἕνεκα πολλῶν χρειῶν*: *Quemq; opes suas in censum deferre, ad multa utile.* 5 — Lib. 12. de leg.

Sanè ad multa. Nam hac una re fit, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; discrimina in tabulas referantur.* 5 — Flor. 1. cap. 6.

Atq; ita *quantum* urbes gentesque singulæ *numero militum, quantum pecunia valeant, monumenta exstent.* 5 — Liv. 1.

Denique ad nostram hanc rem, ut æquiter *ex censu quotannis Tributa conferantur.* 6 — Cicer. 2. in Verr.

Itaque, si sapis in tuam publicamque rem, revoca. & lecti *Censores, populi ævitates, suboles, familias, pecuniasq; censento.* — 3. de Leg.

Quibus

Quibus *potestas omnis æstimationis summaq; facienda permittatur.* 2. in Verrē.

Sed a quo lecti? si me audis, ut odium suspicionesque muneri detrahantur per se aspero, designet *ipse populus; ut cui maximam fidē rerum suarum habet, maxima cura deligat.* Ibidē.

2 Quàm multi legendi? *Sunto bini aut terni in singulis civitatibus.* Ibidē.

3 Census ipse quoties instituendus? Variant. *καὶ ἔν τισι μὲν πόλεσι τιμῶνται κατ' ἐνιαυτὸν, ἐν δὲ ταῖς μείζοσι διὰ τριετηρίδος ἢ πενταετηρίδος: & in quibusdam civitatibus vertente anno censentur, in aliis majoribus non nisi tertio aut quinto quoque anno.* Aristo. 5. Polit. cap. 8.

54 Ego in annos, tutius meliusque censeam: ob migrationes, mortes, opum augmenta aut imminutiones.

55 SED à Censu ad CENSURAM trāsco, vicino flexu. Ea enim tertia odiorum materies. de qua tamen mitigāda frustrà disseram, nisi prius de usurpanda.
56 Nam (heu ævi dedecus!) rem moribus & vitæ utilissimam *adeò oblivione obsoletam videmus, ut non modò colatur, sed etiam ignoretur.* Cicer. 5. de Rep.

Defini-

Definitione igitur prius aperienda est. & appello Censuram, ANIMADVERSIONEM IN MORES AUT LUXUS EOS, QUI LEGIBUS NON ARCENTUR. Propriū enim hoc ejus munus, *ἐπανορθοῦν ὅσα μήτε τινὸς τιμωρίας ἄξιά ἐστι, καὶ παρορώμενα, πολλῶν καὶ μεγάλων κακῶν αἰτία γίνεται*: *corrigere ea, quæ Pœna digna nondum sunt, neglecta tamen aut insuper habita, multorum magnorumq; malorum caussam præbeant.* 67 68

Dio. 52.

Imò paullatim, *omissa, funditus rempublicam trahant.* 69

Tacit. 3. Annal.

Quid enim *prodest foris esse strenuum, si domi malè vivitur?*

Valer. 2. ca. 4.

Profectò nisi singulis quoque hominibus *officium ac verecundia sua cōstiterit, partarum rerum æquatus cælo cumulus sedem stabilem non habebit.*

Ibidē.

Hæc itaque instituenda est, *magistra pudoris & modestiæ.* 70

Et eligendus unus alterve *Præfectus moribus, magister veteris disciplinæ.*

Ut metus aliquis etiam præter leges sit, & sciant omnes, *si quid in Moribus*

Cicer. in Pison. & pro Cluentio.

ribus labat, non defuturum corrigendi auctorem. Tacit. 2. Annal.

71 Nam duo hæc distinctè Censuræ subiicio, Mores & Luxum. Mores intelligo, Lascivias, Libidines, Ebrietates, Jurgia, Perjuria, & quidquid tale Probitas ac Modestia damnant. Igitur noster Censor omnem ætatem, & omnem sexum castiga-

72 bit. *Pravas artes malasq; libidines ab juventute prohibebit.* Sallust. ad Cæs.

73 A senibus, eas *voluptates quas eorum ætas sine dedecore non attingat:* Ibidem.

74 Ab universa plebe otium: *ut habeat negotia sua, quibus à malo publico detineatur.* Ibidem.

Denique dabit operam, ut omnes *Probitati atque Industriæ, non Sumptibus neque Divitiis studeant.* Ibidem.

75 Nam hæc quoque cohibenda: id est, Luxus. qui alioqui *in immensum prorumpat, ad cuncta quis pecunia prodigitur.* Tacit. 3. Annal.

76 Eum ego in quattuor his pono: Pecunia, Domo, Conviviis, Veste. In prima maximè: quæ nutrix imò mater hujus, & plurium malorum.

Juve- *---- turpi fregerunt sæcula luxu*
nal. *Divitiæ molles.*
Satyr. Itaque meus Censor ante omnia,
6. *Pecunia, quæ maxima pernicies est, u-*
Sallust. *sum ac decus demet.*
ad Cæs. Quid renuis Princeps? è re tua est: 77
Aristo. *ὥστε μηδένα ἐγγίνεσθαι πολὺ ὑπερέχοντα*
5. Polit *δυνάμει, μήτε φίλων, μήτε χρημάτων:*
cap. 8. *neminem existere, qui nimis excellat, si-*
ve amicorum copia, sive opum.
Tac. 11. *Auri vis atque opes Principibus in-*
Annal. *fensa.*
Valer. Imò, Principatui infensæ. atque *ii* 78
4. ca. 3. *demum penates* (oraculi vocem audi)
ea civitas, id regnum, æterno in gradu
facile steterit, ubi minimũ virium Vene-
ris Pecuniæq; cupido sibi vindicaverit.
Sallust. *Sæpe jam audivi, qui reges, quæ civi-* 79
ad Cæs. *tates, per opulentiam magna imperia a-*
miserint, quæ per virtutem inopes cepe-
rant.
Sed è re Subditorum multò ma- 80
Ibidẽ. gis. Nam *ubi divitiarum cupido inva-*
sit, neque disciplina, neque bonæ artes
satis pollent:
Ibidẽ. *Omnia bona vilia sunt: fides, probi-*
tas, pudor, pudicitia.

Virtuti

Virtuti aut deo numquam carus, cui caræ opes. *Nec quisquam extollere se, aut divina mortalis attingere potest, nisi omissis Pecunia & corporis gaudiis.* Ibidē.

Itaq; meritò Censor, *Pecunia studium tollet, aut quoad res feret, minuet.* Ibidē.

81 Alligabit *Avaritiam belluam feram, immanem, intollerandam:* Tacit. 6. Annal.

82 Et illud *urbibus vetus, fænebre malum.* Ibidē.

Ne ex libidine potentium agitetur. Cice. 2. Offic.

83 Utque *res familiaris iis* modo *rebus quæratur, à quibus abest turpitudo.* Sallust. ad Cæs.

Denique profusiones vetabit, & *finem Sumptuum statuet.*

84 In Domo ne superbè nimis struant, aut instruant: *& signis, aulæis, aliisq; operibus exornent.* Ibidē.

Ah stulti, qui *omnia potiùs visenda quam semet efficiunt!* Ibidē.

Et in eadem, *modum posceret argento, supellectili, familia.* Tac. II. Annal.

85 In conviviis, damnabit *exquisita ingenia cœnarum:* Plinius Paneg.

Et istos belluones, quibus *mos vescendi caussa, terra mariq; omnia exquirere.* Sallust. Catil.

Tacit. Et uno verbo, videbit ne *luxus mẽ-*
5. Annal. *ſa profuſis ſumptibus exerceantur.*
Ibidẽ. In veſte, ne *promiſcua virù & fami-* 8
nis:
2. Annal. Nobilibus & plebeiis. utque ſui & certi quidam cultus ſint his, qui *ordinibus & dignatione antiſtant.*

Seneca Epiſt. In levi hæc habes? erras. *Convi-* 87
viorum luxuria & Veſtium, ægra civitatis indicia ſunt:

Salluſt. ad Cæſ. Imò moriturae. Nam hæc *juven-* 88
tutem, ubi familiares opes defecerunt, ad facinora incendunt.

Cicer. 2. in Catil. Res abit, fides perit: *eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet.*

Salluſt. ad Cæſ. Itaque quid aliud quàm *moveant compoſita, & res novas ſceleribus acquirant?*

Cicer. 2. in Catil. Scito certò, *hoc in repub. ſeminarium Catilinarum eſſe.*

Ariſto. 5. Politic. Vidit Prudentiæ oculus. Γίγνονται, 89
inquit, μεταβολαὶ, καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ἀσελγῶς ζῶντες· καὶ γὰρ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται, ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον: *Fiunt in republica mutationes, cùm homines*

ſua

ſua conſumunt prodigè vivētes. Hi enim tales, res novas quærunt: & aut ipſi Tyrannidi imminēt, aut ad eā alios vocant.

90 Hæc ſunt, quæ effici à Cenſore cupimus. Quo telo? duplici, Ignominiæ & Mulctæ. Illa quidem propria ejus eſt, & olim ſola, *Cenſoris iudicium*, ait Cicero, *nihil ferè affert damnato, niſi ruborem.* Cicer. 4. pro Rep.

Timoris enim cauſſam, non vitæ pœnam in illa poteſtate eſſe voluerunt. Idem, pro Cluēt.

91 Sed ut nunc mores, alteram ego illam omnino adjungam. Quid enim ſi quidam *ea duritia oris ſint, ut depudere didicerint?* Senec. ad Seren.

Et voluptatum *non illecebris tantum, ſed ipſa infamia gaudeant?* Valerius lib. 6. cap. 9.

Sanè eos mulctem: nec *exſanguem illam & ferream frontem nequicquam convulnerem* notis. Plinius Paneg.

Cottidianum enim *iſtud, ac ſine effectu jurgium ſit.* Seneca Natur. Quæſt. 4.

92 HABES univerſam Cenſuram. tu inſtitue, aut potiùs reſtitue eam, o Bono generis humani nate Princeps

Omnia *jacere ſentis, bellorum impetu perculſa atque proſtrata.* Cice. p Marc.

Excita, per deum immortalem, *re-* 93
Ibidē. *voca fidem, comprime libidines, & quæ*
dilapsa fluxerunt, severis legibus vinci.

Sallust. Invidiam metuis? non nego, quin 94
adCæs. *aspera hæc res in principio futura sit.*

Quia nova; quia contra sensum
Aristo. vulgi. οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν ἡδονήν: διὸ καὶ τὸν
Ethic. βίον ἀγαπῶσι τὸν ἀπολαυστικόν:
1.ca.5. *Nam multitudo voluptatem, ideoq́;*
& vitam amant dissolutam.

Sallust. At tu *capesse rempub. & omnia aspe-* 95
adCæs. *ra servade.*

Ibidē. Quid trepidas? *multorum saluti po-*
tiùs quàm libidini consule.

Ibidē. *Ea verò* apud sapientes *clementia* 96
erit, rei inuisse ab stultitia & falsis volu-
ptatibus:

Ibidē. *Non si flagitiis obsecutus, delicta per-*
pessus, præsens gaudium cum mox futu-
ro malo concesseris.

Et tamen quidquid hic asperum, 97
facilè mitigabis triplici nostra ob-
servatione. Primum, si tu sub Censu-
ra: id est, si vita tua ad illā normam,
ad quam alios formas. O mitem &
Plinius efficacem hac ratione Censuram! *Ad*
Paneg. *hanc dirigemur, ad hanc convertemur:*

Et

Et *præcipuus adstricti moris auctor e-* Tacitus 3.
ris, antiquo ipse cultu victuq;. Annal.

Nam *vita* profectò *Principis Cen-* Plinius
sura est, eaq; perpetua. Paneg.

98 Secundò, si non omnia simul e-
mendabis: sed paullatim καὶ ἠρέμα πο- Tac. 3.
δὶ *ad priscum morem recidet.* Annal.

Neq; enim potest quisquam nostrum Cice. p
subitò fingi, neq; cujusquam repentè vi- Sulla.
ta mutari, aut natura converti.

Tempore opus: & *vitia quædam tol-* Senec.
lit faciliùs Princeps, si patiens eorum est. 1. de
Quosdam pudor, alios necessitas, non- Clem.
nullos satias in meliùs mutet. E Taci-

Nam *peregrinatur* quorundam *a-* to
nimus in nequitia, non habitat. 3. Annal.

99 Tertiò deniq;, si Præmia divides
in bonos. Quis censebit nisi virtutis Vale-
amore te asperum, cum tam beni- rius li.
gnum te videant in eos, qui habent 6. ca. 9.
illam? *Præmio & pœna rem publ. conti-* Cicero
neri Solon olim dixit: ad

Verè. Nam *præmia bonorum malo-* Brut.
rumq; bonos ac malos faciunt. Epist.

100 Videbis semper eò *impendi labo-* 16.
rem ac periculum, unde honos atque e- Plinius
molumentum speretur. Paneg.

[Jamblichus.] Πᾶν τὸ τιμώμενον αὔξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. καὶ τοῦτο ἐστι διαφανέστατον σημεῖον ἀρχῆς εὖ διοικουμένης: *Augetur & crescit, quidquid in honore est: deficit & minuit, quidquid in contemptu. Atque hoc signum clarissimum est imperii bene constituti.*

[Plinius Paneg.] Tu usurpa. & vide ne te Principe, *sit benè factis tantùm ex conscientia merces.* 101

FINIVI de Odio: hoc addo. adeò altè insitam pestem hanc Regnis, ut nesciam an ulla ars aut astus penitus eam evellat. [Sallust. ad Cæs.] Nam *libertas juxta bonis & malis, strenuis & ignavis optabilis est.* 102

Ideoq; per naturam in odio nobis, quisquis eam libat. Libat autem omnis Princeps. [Senec. de Provid.] ergo *quamvis id agas, ut ne quis meritò te oderit, erunt tamen semper qui oderint.* 103

Sed tu sperne.

[Seneca Oedip.] *- - - - odia qui nimium timet,*
Regnare nescit.

[Plut. Politic.] Odia dico hæc plebeja & levia. 104
παντὶ γὰρ δήμῳ τὸ κακόηθες καὶ φιλαίτιον ἔνεστι, πρὸς τοὺς πολιτευομένους: *Omni enim*

nim populo inest malignum quiddam & querulum, in imperantes.

Et verissimè à rege Magno dictũ: *Regium esse audire malè, cùm facias benè.* Idẽ Apoph.

105 Solaberis igitur te illo Augustæo: *Satis est, si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit.* Sueton. August. cap. 2.

106 Et melioribus item sanioribusque judiciis, quoniam te aliquando *seria carmina honorq; æternus Annalium, non hac brevis* & plebeja *prædicatio colet.* Plinius Paneg.

Suum cuiq; decus posteritas rependet. Tac. 4. Annal.

CAP. XII.

Definitus & vituperatus Contemptus. Ostensa quæ illum gignunt: à rege, si sapiet, fugienda.

SUMMARIA.

1 *Definitio* Contemptus.

2 *Ejus pernicies.*

Anima regni, Auctoritas. eod.

3 *Sine ea unus tàm multis non imperet:*
4 *Et regnum omne ruat.*
5 *Auctoritati autem Cõtemptus adversus.*
6 *Ergo Regni pestis.*
7 *Etiam in parte, supra Odium.*
8 *Hic enim ad rem statim ducit.*
9 *Nec tamen frequens nimis in reges:*
10 *Legitimos quidem.*
11 *Origo ejus:*
12 *A leni imperio.*
13 *Quod publicè etiam noxium per licentiam.*
14 *Est & à levi imperio:*
15 *Aut Principe.*
16 *Item à soluto imperio.*
17 *A Fortuna adversa pertinaciter.*
18 *Ab orbitate.*
19 *Certus tuusq; successor, te firmat.*
20 *Denique à Libidine:*
21 *A Luxu & temulentia.*
22 *A rebus externis.*

CONTEMPTUS sequitur, quem Vitium alterum fecimus evertendo regno. Is est ad nostram rem, 1

IMPRES-

IMPRESSA SUBDITIS SIVE ET EXTERIS, VILIS ABJECTAQUE OPINIO, DE REGE E-
2 JUSQUE STATU. Pestifera omnino res Regnis: quorum anima & vita ipsa est Auctoritas, & eximia quædam opinio de imperante. Quæ enim vis alia est, quę efficit, ut *tot mortalium millibus una anima præsideat, nonnumquam senis & invalidi?* Senec. 1 de Clem.

Sola illa omniaque videmus, hac, *quasi mente quadam, regi atque administrari.* Cice. pro Cluēt.

U*t anima, pedes manus, oculi, negotium gerunt: & illius jussu jacemus, aut inquieti discurrimus:* Senec. 1. de Clem.

3 Sic *hac immensa multitudo* Auctoritatis quasi *spiritu regitur.* Ibidē.

Quis verò aliter regat? *Vires imperii in consensu obedientium sunt:* Livius 3.

Consensus ille ab Æstimatione: per quam,

- - - - unum tàm magna juventus,
Privatum factum, timet. Luca. 5.

4 Hanc tolle, tollis Regnum, *omnisq; hic imperii contextus in multas partes dissiliet.* Senec. 1. de Clem.

Lu-cret. 8.

------ Subversa jacebit
Pristina majestas soliorum, & sceptra superba.

Quid autem clariùs eam tollit, quam Contemptus, & hæc ἐνέργεια δόξης περὶ τὸ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον: *opinionis actio in id, quod nullius rei pretiiq; censeas?* 5

Aristo. Rhet. 2. ca. 2.

Igitur ille, mors & interitus regnorum: imò supra ipsum Odium, aliquo adspectu. Philosophus indicavit. Δύο δ' οὐσῶν αἰτιῶν δι' ἃς μάλιστ' ἐπιτίθενται ταῖς τυραννίσι μίσους καὶ καταφρονήσεως, θάτερον μὲν δεῖ τούτων ὑπάρχειν τοῖς τυράννοις τὸ μῖσος. ἐκ δὲ τοῦ καταφρονεῖσθαι πολλαὶ γίνονται τῶν καταλύσεων: *Cùm duæ caussæ sint, ob quas insurgitur in Tyrannos, Odium & Contemptus: alteram earum adesse Tyrannis oportet, Odium. è Contemptu verò plurimæ fiunt eversionum.* 6

Idem 5. Polit. c. 10.

O verè Phœbum, longè super aciem ingenii jaculantem! Ita res est. Caussa prima & motio evertendis regnis, plerumque ab Odio est: sed extrema & efficax maximè à Contemptu. Nam illud tardum, vel, ut cum 7

Poeta

Poëta dicam, inaudax est, nisi armetur ab isto. Metus enim sępè retinet: quem Tyranni habent pro asylo. Ideoque cum caussa *exsecrabilis ille versus, & qui multos dedit præcipites,* iis placuit: Sene. 1. de Clement.

Oderint, dum metuant.

Quamdiu enim hoc frænum; incurrere magis cupiunt, quam audēt.
8 At excutit Contemptus. & efficit ut non velis solum, sed audeas & tentes. Itaque certa ab eo pernicies.
9 nunquid crebra? haud censeo. *Neq; enim ab ullo periculo fortuna Principis longiùs abest, quàm ab Humilitate.* Plinius Paneg.

An contemnatur, qui imperium, qui fasces habet? nisi qui humilis & sordidus, & qui se prius ipse contempsit. Idem 8. epist. ult.

10 Non inquam crebra ab eo solo: (nam Odio misceri jam dixi:) præsertim si quis verus legitimusque sit Princeps. Tamen quia evenit: qui vites, docebo. sed breviter. Cur diffundam? nónne in Auctoritate formanda, satis munivi hanc ipsam viam? Satis: si verum hoc scitum, Arist. 1. Topic. cap. 18. τὴν αὐτὴν τῶν ἐναντίων ἐπιστήμην εἶναι.

ναι. *Eandem contrariorum scientiam esse.*

Fit igitur Contemptus in Princi- 11
pem ab his tribus maximè: Forma imperii, Fortuna, Moribus. FORMA 12
imperii: si justo ea lenior & remissior. Quod peccatum peccant ii, qui nimia *lenitate dulces.*

Effusè dant se populari auræ, & *omnem infimæ plebis rumorem affectant.*

Cic. 5. ad Attic. epist. 14. Tac. 2. Hist.

Bis noxii, in se & in rem publicam. 13
Qui & plebi reverentiam omnē excutiunt: & licentiam præbent peccandi. Ἡ γὰρ ἐξουσία τοῦ πράττειν ὅ, τι ἂν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον: *Facultas faciendi quod cuilibet visum, non potest cōprimere ingenitam singulis hominibus pravitatem.*

Arist. 6. Poli. cap. 4.

Acutè olim Fronto in Nervam senem & jam enervem: κακὸν μὲν εἶναι αὐτοκράτορα ἔχειν, ἐφ' οὗ μηδενὶ μηδὲν ἔξεστι ποιεῖν, χεῖρον δὲ ἐφ' οὗ πᾶσι πάντα: *Malum quidem esse, Principem habere sub quo nihil ulli liceat: pejus verò eum, sub quo omnia omnibus.*

Dio in Nerva.

Nec

14 Nec lenis solum Forma ad Contemptum facit: sed & Levis, quæ decretis legibusque variat, & de qua dici possit, Ἀνέμου πεδίον: *Venti campus.* Adag. Tacit.

15 Maximè, si ipse Princeps insigni *mobilitate ingenii.* 2. Hist.

Quem *subitis offensis, vel intempestivis blanditiis mutabilem,* merito *cõtemnant metuantq;.*

16 Etiam, si Soluta Forma. nempe cùm rerum omniũ incuriosus Princeps, & *levi auditu, quamvis magna, transmittit.* Ibidẽ.

Abundè ratus, si præsentibus fruatur, nec in longius consultans. Ibidẽ.

Sive cum Honores effusè dividit, Magnos, Diuturnos. Quidni illum spernant, aliis adhæreant, qui *munia transmittit:* 4. Ann.

Et velut spontè videtur *exire de Imperio?* 3. Hist.

17 FIT secundò Contemptus à FORTVNA. nempe si n[o]verca ea, non mater: & *votis tuis malignum pedem opponit.* Ex Ovidio de Tristib.

Scito certò. *Prosperis tuis rebus certaturi*

taturi

Tac.2. Histor. *taturi ad obsequium, Fortunam adversam omnes ex æquo detractabunt.*

Imo in te incurrent:

Schol. Theocr. Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται:

Ruente quercu ligna quivis colligit.

Tac.1. Annal. Amplius, si eadem, *munimenta* tibi non dat aut subtrahit, *quibus insistas.* 18

Successores dico certos, aut liberos. Valdè ab ea respernunt, & vertus se ad speratum aliquem Solem. Alexander Magnus scivit, & questus Cur.6. est: *Orbitas mea, quod sine liberis sum, spernitur.* 19

Revera enim, ut Tragicus ait:

Eurip. Τύραννοι παῖδες ἔρυμα δώμασι.

Munimen aulæ, regii sunt liberi.

Tac.5. Histor. Et *non legiones, nō classes, aquè firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum.*

TERTIO & postremo, fit à Mo- 20

5. Ann. RIBUS Contemptus: maximè istis. Si quis libidini deditus, seq; *per licita & illicita fœdat.*

Nam muliebria hæc flagitia valdè opinionem non regis modo, sed viri

viri detrahunt. Alii *virilius peccant*, ait quispiam. Sen. de Brevit. cap. 6.

In Venerem ac libidinem projectorum inhonesta labes est. Ibidē.

21. In pari caussa, qui *Luxui & saginæ mancipati, emtique*: Tac. 2. Histor.

Medio dici temulenti. Ibidē.

Novi Vitellii sive vituli, qui *ut ignava animalia, si cibum suggeras, jacent torpentque: & præterita, instantia, futura, pari oblivione dimittunt.* Ibidē.

Dux noster ad Prudentiam, benè. Arist. 5. Polit. cap. 10.
ἀπολαυστικῶς ζῶντες εὐκαταφρόνητοι γίνονται, καὶ πολλοὺς καιροὺς παραδιδόασι τοῖς ἐπιτιθεμένοις: *Solutè viventes, despicabiles fiunt, & multas opportunitates præbent insidiantibus.*

Οὔτε γὰρ εὐεπίθετος, οὔτ᾽ εὐκαταφρόνητος ὁ νήφων, ἀλλ᾽ ὁ μεθύων. οὐδ᾽ ὁ ἄγρυπνος, ἀλλ᾽ ὁ καθεύδων: *Nec.n. facilis aggressu aut contemptu sobrius, sed ebriosus: nec vigilans & excitatus, sed ignavus.* Arist. 5. Polit. cap. 11.

Item in quibus *tarditas ingenii, stupor; debilitas linguæ.* Cicer. in Pisonem.

22. Aut alia magis levicula, ut Facies parum decora, Ætas gravior, Vale-

tudo

Tac. 1. Histor. tudo imbecillior. quæ sæpe *irrisui & fastidio sunt*:

4. Annal. *Vt est mos vulgo, fortuita* aut externa *ad culpam trahenti*:

1. Hist. *Et Imperatores forma ac decore corporis comparanti.*

Plura talia, ipse manu facili educes & hauries è rivulis, quos ad Auctoritatem reclusi.

CAP. XIII.

Quæsitum an Prudentia mixta locum apud Principem habeat? id est, ea in qua fraudes. Dictum, & doctum, aliquem habere.

SUMMARIA.

1 Astum *in regno esse posse.*
Etsi rigidi quidam negent.
2 *Sed mores hominumq; contra volunt.*
3 *Cretizandum cum Crete.*
4 *Idq; ex usu Principis, & publico.*
5 *Bono fine, quadam talia bona.*

6 Prin-

6 *Principem præfracte rectum esse non debere.*
7 *Ad utilia inclinare.*
8 *Non tamen ad scelesta.*
9 *Circumire, non aberrare.*
10 *Alii quoque faciunt.*
11 *Mente opus, ubi manus non sufficit.*
12 *Princeps ex Leone & Vulpe.*
13 *Adolescentuli hoc parum capiunt.*
14 *Bene senes, aut periti.*
15 *In Machiavellum nimis quidam sæviunt.*

VIdeor liberaliter satis & plena, quod dicitur manu, tibi prompsisse è gemino Prudentiæ fonte: & quidem probum ac merum. Fasne est, ut leviter misceam, & jungam aliquid è fraudium fæce? ego puto, quidquid Zenones quidam mihi abnuant, quibus *unum illud ad laudem, cum virtute directum iter, probatur.* Cicer. pro M. Cæl. 3.

Qui fas non putant: *Rationem bono consilio à diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque converti.* de Natura deorũ.

Quos

Ad Att. 2. epist. 1.

Quos alibi sane libens audio: hic qui possum? Ævum & homines ignorare mihi videntur, & *dicere tanquam in Plutonis πολιτείᾳ, non tanquã in Romul. facie sententiam.*

Pro Rosc. Com.

Inter quos enim vivimus? nempe argutos, malos: & qui *ex fraude, fallaciis, mendaciis, constare toti videntur.*

Ipsi Principes, cum quibus nobis res, pleriq; in hac classe: & quidquid leonem præferant.

Pers. Sat. 5.

Astutam vapido servant sub pectore vulpem.

Cic. 3. de Offic.

Et hic mihi clamat quispiam, *Nequid insidiosè, neque dissimulatè, nequid fallaciter?*

Arist. 5. Polit.

O puri, imò ô pueri! Per *fraudem & dolum regna evertuntur*, ait Philosophus:

Tu servari per eadem, nefas esse 3
vis? nec posse Principem interdum:

Adag.

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα?
Cum vulpe junctum, pariter vulpinarier?

Præsertim si publicus Usus Salus- 4
que suadeat: quæ semper cum Principis.

cipis uſu ac ſalute conjuncta? Profecto erras. *Communis utilitatis derelictio contra naturam eſt*, non ſolum rationem. Cic. 3. de Offic.

Stare omnes debemus, tanquam in orbe aliquo reipublicæ, qui cum jam verſatur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius utilitas ſalusq; converterit. Pro Plancio.

5 Turpe aliquid in eo mixtum videbitur? fruſtrà. hoc enim aſpectu, *quod plerumq; turpe haberi ſolet, turpe non erit.* Cic. 3. de Offic.

Semper officio fungitur, utilitati hominum conſulens & ſocietati. Ibidẽ.

6 Itaque ne tanto opere, quæſo, mirentur aut indignentur; ſi nobis arbitris, *non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio.* Pro M. Cæl.

7 Velimusque Principem, alto quidem ſplendidoque ingenio: ſed tamen *eruditum utilia honeſtis miſcere.* Tacit. Agric.

8 Miſcere, dico. Nam ut prorſus ab Honeſto recedat, nulla vis ſuadere me adiget. Sperno ſerio & exſecror illas voces: *Nihil glorioſum, niſi tutũ:*

& omnia

Sallust. Orat. Lepid. *& omnia retinendæ dominationis honesta esse.*

Item:

Seneca Thyeste. *Vbicunq; tantum honesta dominanti licent,*
Precario regnatur.

Ad Orcum hi sensus, unde nati. De me fateor:

Aucto. Theb. *Ego ille sum, qui scelera committi vetem:*
Ego sum magister juris ac moris probi.

Et hoc volo tantum, jus fasq; esse interdum in turbido hoc rerum humanarum pelago, *obliquare sinus.* Virgil.

Cic. ad Lentu. epist. 9. Et si recta *portum tenere nequeas, idipsum mutata velificatione assequi.*

Quis me adeò culpet, aut curà virtute abeam? Vinum, vinum esse non desinit, si aqua leviter temperatum: nec Prudentia, Prudentia, si guttulæ in ea fraudis. Semper intellego, ut modice & ad Bonum finem. Nonne matres aut medici quoque, tenerae ætati fucum sæpe faciunt,

Lucr. 1. *Vt puerorum ætas improvida ludificetur,*

Labro-

Labrorum tenus? Ibidē.

—— *deceptaq; non capiatur?*

Cur Princeps non idem in Plebeculam suam, aut vicinum aliquem
11 Dynastam possit? Profecto

Cùm contendi nequitum est, clam tendenda est plaga. Pacuv.

Et ex Spartani Regis monito: Plutar. Lysan. & Apoph.
Ὅπου ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται χρὴ τὴν ἀλωπεκῆν προσράπτειν: *Vbi Leonina pellis non pertingit, oportet Vulpinam assuere.*

12 Mihi, cum Pindaro, semper laudatus ille vir, qui

—— τόλμᾳ μὲν ἐοικὼς

Θυμὸν ἐρβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων Isth. Od.4.

Ἐν πόνῳ. μῆτιν δ᾽ ἀλώπηξ·

—— *fiducia referens*

Animum graviter frementium lernum

In discrimine: consilio vero vulpes.

13 Tuq; in tempore & loco, esto securus, quid isti a Schola aut Umbra adolescentuli dicent: quos scio τῆς πολιτικῆς οὐκ εἶναι οἰκείους ἀκροατὰς: *Civilis disciplina non esse idoneos auditores:* Arist. 1. Ethic. cap. 3.

Mul-

Multo minus arbitror. & virum 14
profecto quærit hoc Tribunal, qui
οὐκ ἄπειρος τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων: *non ignarus rerum, quæ eveniunt in hac vita.*

Ibidē.

Ab illo facilè obtinebimus, nec 15
Maculonum Italum tam districtè damnandum: qui miser à qua non manu hodie vapulat?) & esse quamdam, ut vir sanctus ait, καλὴν καὶ ἐπαινετὴν πανουργίαν: *honestam atque laudabilem calliditatem.*

Basil. in Proverb.

CAP. XIV.

Quomodo, & quatenus, Fraudes admittendæ? Triplex earum genus factum, & distincte aliæ in Regnū receptæ, aliæ exclusæ.

SUMMARIA.

1 Fraudium *communis definitio.*
2 *Earundem divisio.*
3 *Levis.*
4 *Media.*

5 *Ma-*

5 *Magna.*
6 Diffidentia *commẽdata regnanti.*
7 *Cui turpis credulitas.*
8 *Et per eam error.*
9 *Ac sæpè noxa.*
10 *Infida enim ubiq; omnia.*
Et simulata. ibid.
11 *Præsertim in Aula.*
12 *Ideò cavendum, & diffidendum.*
13 *Quibusdam tamen fidendum.*
14 *Sed perpaucis.*
15 *Diffidentia celanda.*
16 *Dissimulanda adhibenda.*
17 *Cujus latè usus.*
18 *Et principi ea planè necessaria.*
19 *Apud hostes.*
20 *Apud suos.*
21 *Sed cum modo habenda.*
22 Conciliatio, *mihi quid?*
Vsitata. ibid.
23 *Sed & utilis.*
24 *Muneribus plerumq; fit.*
25 *Quibus faciles ubiq; corrumpi.*
26 *Arcana referant.*
27 *In bello produnt.*
28 *Etiam fœminæ huc adhibitæ.*
29 Deceptio, *quid mihi sit?*

Licita ex sensu veterum. ibid.
30 *Crebra apud Principes.*
31 *Qui usu omnia metiuntur.*
32 *Tolerat humana ratio.*
33 *At vix divina sanctio.*
34 *Nec efficimus, aut effugimus, quin levia saltem peccata sint.*
35 *Cautio in hac re.*
36 *Fraus* Magna.
37 *Fœdera per calumnias eludunt.*
38 *At Deum non ludunt.*
38 Injustitiæ *actiones.*
Obstantes tollit. eod.
40 *Per caussam aliquam.*
41 *Aut etiam nullam.*
42 *Iulii Cæsaris Fraus immanis.*
43 *Injustitia item invadit,*
44 *In mutatione Principum.*
45 *Aut in domesticis discidiis.*
46 *Ius in armis habet.*
47 *Omnia usu metitur.*
48 *Regnum schola fraudium.*
49 *Aliquam injustitiam multi approbent.*
50 *Vt præter leges occidere.*
51 *Privilegia flectere, aut frangere.*
52 *Aliena occupare.*

53 *Idq;*

53 *Idq; commodi tantùm aspectu.*
54 *Princeps Aristoteli haud purè bonus.*
55 *Democrito etiam injurius.*
56 *Nobis nunquam, nisi leviter in ultima Necessitate.*
57 *Illa excuset quædam.*
58 *Apud homines tamen potius, quàm Deum.*
59 *Qui purius omnia pura vult.*
60 *Caussa (si dicendum homini) turbarum hodie, à Gubernatione obliqua.*

NEc tamen ita hæc dissero, ut fræna omnia Fraudi malitiæq; permittam. absit. Distinctionem tibi lumen præferam, & nequid libero nimis pede vageris, lineis suis limitibusq; includam fallacem hunc campum Fraus universè mihi hic
1 est, ARGUTUM CONSILIUM VIRTUTE AUT LEGIBUS DEVIUM, REGIS
2 REGNIQ; BONO. Ea triplex: Le-
3 vis, Media, Magna. Illam appello,
QVÆ HAUD LONGE À VIRTVTE ABIT, MALITIÆ RORE LEVI-

TER ASPERSA. in quo genere mihi
est Diffidentia, & Dissimulatio. Me- 4
diam, QVÆ AB EADEM VIR-
TUTE FLECTIT LONGIUS, ET
AD VITII CONFINIA VENIT:
in qua pono Conciliationem, &
Deceptionem. Tertiam, QVÆ NON 5
A VIRTUTE SOLUM, SED LE-
GIBUS ETIAM RECEDIT, MA-
LITIÆ JAM ROBUSTÆ ET
PERFECTÆ. uti sunt Perfidia & In-
justitia. illam suadeo, hanc tolero,
istã damno. Ordine omnes vide In- 6
Levi, Diffidentiã primo posui. quam
ego prorsus Principi insinuo: quia
ut in actionibus omnibus tardum
lentumq; eum esse expedit, sic in fide
& assensu. Ut intentus, inquam, su-
spensusq; ambulet, & pœnè dixerim
ut *nihil nisi quod in oculos incurret ma-
nifestumq; erit, credat.*

Sene. 2. de Ira. Cic. Epist. lib. 10. epistol. 23.

Etsi enim *credulitas error est magis,* 7
*quàm culpa, & quidem in optimi cujus-
que mentem facillimè irrepat.*

Sene. 2. de Ira.

Tamen à Principe removenda ea
longissima, apud quem *plurimum
mali credulitas facit.*

Nonne

8 Nonne pro omnibus ille excu-
bat? Turpe igitur, & omnibus no-
xium, illum *Labi, errare, decipi.* Cicer.
Jam faciles iſti & incauti, quàm Philip.
opportuni injuriæ? Salluſt.
Undique patent. & paſſim apud Jug.
eos, *minore metu, & maiore præmio,* Tac. 1.
peccatur. Hiſtor.

9 Imò & in eos peccatur.
Aditum nocendi perfido præſtat fi Senec.
des. Oed.
Reducat ergo ſe Princeps, & tu- Cicero
tum hoc ſcuto reddat; *Nihil creden-* Orat.
do; atque omnia cavendo. poſt. re-

10 Amici & fidi videntur? circum- dit.
ſpice. Seneq.
O vita fallax, abditos ſenſus geris! Hipp.
Nimis *multis ſimulationum involu-* Cicer.
cris tegitur, & quaſi velis quibuſdam ad Q.
obtenditur uniuscuiusque natura. Frons, Frat. e-
oculi, vultus, perſæpe mentiuntur, oratio piſt. 1.
verò ſæpiſſimè.
Quod ille clamat olim: Ὦ φίλοι Ariſt.
οὐδεὶς φίλος. *O amici, nemo amicus.* apud
Tu jure potes, quia profecto *in do-* Laert.
mo principum, nomen tantum Amici- Plinius
tiæ inane irriſumque remanet: Paneg.

Res ipsa exsulat. &

Senec. Herc. Oet.

Licet omne tua vulgus in aula,
Centum pariter limina pulset:
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.

Cicer. ad Att. lib. 2. epist. 20.

Itaq; meritò *Pragmatici homines, omnibus historicis praeceptis, versibus deniq; cavere jubent, & vetant credere.* 12

Ille Siculus insusurrat:

Epich.

Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν ἄρθρα
ταῦτα τῶν φρενῶν:

Vigila, & memor es nequid credas:
nervi hi sunt Prudentiae.

Clamat alter à Graecia:

Euripid.

—— σώφρονος δ' ἀπιστίας.
οὐδ' ἐστιν ἄλλο χρησιμώτερον βροτοῖς:
—— *sapiente Diffidentia,*
Non alia res utilior est mortalibus.

Seneca Epist.

Quid ergo? inquies? nulli credam? Non hoc suadeo: (*Vtrumq; enim in vitio est, & omnibus credere, & nulli:*) 13

Cicer. ad Q. Frat. epist. 1. Lib. 1.

Sed ut paucis nec nisi iis, quorum longo usu cognita tibi fides. His talibus, quid est *quod non & committi & credi rectissime putem?* 14

Reipsa, inquam, paucis: at in spe- 15

cie

cie omnibus, id est, *Fronte & vultu, quibus Simulatio facilimè sustinetur.* Ad Lētul. epist. 9.

Nam nihil magis hic cavendum, quam ne Diffidere videaris.. *Multi fallere docuerunt, dum timent falli.* Senec. Epist.

Vult sibi quisq; credi, & habita fides ipsam plerumq; obligat fidem. Liv. 22.

16 Itaque Dissimulatio adsumenda, quam posui & suasi loco altero: quæ verè Diffidentiæ hujus proles. Quid enim ea opus, si mutua inter nos fides? Hæc est, quæ *frontem aperit, mentem tegit.* Cic. pro Cn. Plācio.

17 Necessaria sanè Principi. adeò, ut veteranus Imperator* dixerit: *Nescit regnare, qui nescit Dissimulare.* *Fridericus, sive Sigismūdus. Nam variāt.

Et Tiberius ab eadem mēte, *Nullam, ut rebatur, ex virtutibus suis magis, quam Dissimulationem diligebat.* Tac. 4. Annal.

Displicebit hoc ingenuæ alicui fronti & clamabit? *Ex omni vita Simulatio, Dissimulatioq; tollenda est.* Cic. 2 de Offic.

18 Depravata, fateor: de publica, valdè nego. Numquam regent, qui non tegent: *nec aliter possunt ii, quibus commissa est tota respublica.* Pro Milone.

Ut ad effectum consiliorum suorum

Lib.10. *veniant, multa simulent oportet inviti,*
epist.9. *& dissimulent cum dolore.*

Nec id solùm adversus Exteros 19
aut Hostes: (nam ibi receptum dogma est, Ut *malum sub lingua, non in*
Greg. *lingua habeas*: quia
15.Moral. *Professa perdunt odia vindictæ locum*:)

Seneca Sed etiam apud Tuos. Aperti isti 20
Med. & simplices *sine fuco sine fallacia.*
Cic. 1. Et qui animum, quod dicitur, *in*
ad Attic. epist. 1. *fronte promptum gerunt.*
Numquam apti huic theatro. in
quo, me judice, primum locum *A-*
Euni- *franii Simulans* habet.
us.

Sic tamen ut aptè eam fabulam a- 21
Cicer. gas & decore. Οἱ γὰρ μετρίως χρώμενοι
pro Se- τῇ εἰρωνείᾳ, καὶ περὶ τὰ μὴ λίαν ἐμπο-
xtio. δὼν καὶ φανερὰ εἰρωνευόμενοι, χαρίεντες
Arist. φαίνονται: *Nam qui modicè Dissimu-*
Eth. 5. *latione utuntur, & in iis quæ haud pla-*
cap.7. *nè perspicua & ante pedes oculosque sunt,*
gratiosi apparent.

Contrà, qui immodicè & ineptè, revera fatuelli. Cui enim bono tegmen, si transluces? Quin semel hoc in omni genere fraudium cape:

Doli-

——— *Doli non sunt Doli, nisi astu colas.* Plaut.

2 HABES de Levibus fraudibus. ad MEDIAS venio: in quibus Conciliatio prima, sive ut liberius dicam, Corruptio. Ea est, cùm callidè inclinas & allicis ad te eorum animos operasq;, qui alieni juris. O artem nimis hodie Principibus receptam! quæ una ferè in Aulis *pleraq; res* (ut ille de Fortuna ait) *ex libidine sua agitat.* Salluſt. ad Cæſ.

3 Quam valdè etiam attollit Tullius. *& Proprium hoc esse Prudentiæ statuit Conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos adiungere.* Cice. 2. de Offic.

4 Quod duplici via fit, Suasionis & Doni. Rarenter illa: hæc altera creberrimè, ut hodie *corrupti depravatiq; mores sunt admiratione divitiarum.* Ibidẽ.

5 Quotus quisque est, cui non illæ *bono atq; honesto potiores sunt?* Salluſt. Jug.

Itaq, scitè & rectè hac machina si utare; ubiq; reperies, *quos pernitiosa libido teneat alienæ potentiæ decus atq; libertatem suam gratificari.* Ibidẽ.

Ibidē. Qui & Principem suum, & omnia ejus, *vanalia habeant.* 26

Tacit. Agric. Atq; adeo (hoc reconde) in *ipsa hostium acie invenies tuas manus.* 27

Quid? quod in sacrum & individuum thorum penetravit ista fraus? Rem turpem! & fœminæ etiam inducuntur sive emuntur, *ἵν᾽ ἐξαγγέλλωσι κατὰ τῶν ἀνδρῶν: ut efferant & enuncient, quæ ad maritos.* 28

Arist. Polit. cap. 11.

Tac. 4. Annal. In Tacito legi: *Secreta quoq; ejus corrupta uxore, prodebantur.*

Jam Deceptio est, cum inducis alium in tua commoda, errore aut mendacio objecto. Quod licitum probumque in Principe esse, volunt probi auctores. Magnus Plato censuit, *συχνῷ τῷ ψεύδει καὶ ἀπάτῃ δεήσειν χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων: crebro mendacio & fraude uti imperantes debere, ad commodum subditorum.* 29

Plat. 5. de Rep.

Lib. 8. Epist. Et noster Plinius, *Decipere,* inquit, *pro moribus temporum Prudentia est.*

Diphilus. Quin etiam nescio quis Poeta:

Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρείᾳ

Λεγό-

λεγόμενον, οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.
Exist.mo mendacium, si gratia
Salutis effers: nihil habere incommodi.

30 Et Principes sanè promptè audiunt, qui nescio quomodo *laudem occulto magis tramite, quam aperta via petunt.* Vale. 8. cap. 3.

Vim differunt, potiorem dolum arbitrantur: Tac. 12. Annal.

Et sæpe quod rerum aut *temporis angustia negant, sagacitate consilii assequuntur.* Vale. 7. cap. 3.

Decipiunt verbis, literis, Legatis, atq; adeo ipsos Legatos: Seneca Thyeste.
Eosq; per quos fallere alium cogitant,
Fallunt.

31 Et quid diducam? uno verbo, cũ Lysandro plerique sentiunt, τὸ ἀληθὲς τοῦ ψεύδους κρεῖττον εἶναι, ἑκατέρου δὲ τῇ χρείᾳ τὴν ἀξίαν καὶ τὴν τιμὴν ὁρίζεσθαι: *Verùm falso esse melius, sed utriusq; dignitatem & præstantiam usu discerni.* Plutar. Apophth.

32 Atq; hæc, humanam Prudentiam si consideras, proba. Quidni? ad Bonum enim publicũ referuntur: quod

insitum in iis malitiæ virtus facilè exsugit & absorbet. Ut medicamentis venena laudabiliter miscemus, salutari illo fine: sic videntur ἐν φαρ-
Plat. 5. de Rep. μάκου εἴδει τὰ τοιαῦτα χρήσιμα εἶναι: *instar pharmaci, hæc talia utilia esse.*

Sallust. Jug. Adde receptissimos mores, & quod hæc *consuetudine jam pro nihilo habentur.*

Imo necessitatem etiam. quod cōtra tot insidiātes, vix est, ut se suosq; aliter tueatur bonus Princeps. Quibus caussis ego quoq; prædixi tolerari Medias has fraudes à me, non 33
tolli. Quid tamen, rectam illam divinamq; legem si considero? hæreo valde & sudo. Abnuere illa nobis videtur: & à simplicissimo ac purissi-
Prov. 3. mo deo hæc effata manarunt. *Abominatio Domini est omnis illusor.*

Eccl. 7. Item: *Ne velis uti mendacio ullo. numquam enim prodest frequentatio illius.*

Prov. 17. Et ut claudam omne effugium, ecce palam de Principibus: *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens.*

Quid

Quid obtendis tu Politice? Publicum bonum? Sed enim vir sanctus occurrit: *& Mentiri, inquit, non licet nec pro dei laude:* August. epist. 8. Domatis.

Tu pro humana aliqua recula aut gloria vis? *Vide, vide,* (ut invertam tibi dictum vetus) *ne dum terram defendis, cœlum amittas.*

34 Sanè ægrè vos, aut me, hic expedio, nisi quod idem ille Antistes suggerit, *esse genera quadam mendaciorũ, in quibus non sit magna culpa, sed tamen non sint sine culpa.* August. in Psal. 5.

35 In ea classe Corruptiunculas, Deceptiunculas censeamus; idque tunc saltem, cum à bono legitimoque rege contra malos usurpantur, Boni communis caussa. Si aliter; peccatum & grande peccatum sunt, quidquid me rideant veteratores ab Aula. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Prov. 10.

36 Sequuntur MAGNÆ fraudes, quas ad bina capita reduxi, Perfidiam & Injustitiam, Eas palam verbis amplecti aut tueri paucos video, nimis multos factis. Nam de Perfidia; quo-

ties

ties per cavillos & argutiolas, fœdera elusa vidimus aut pacta? in animo enim ita sentiunt: *τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις δεῖν ἐξαπατᾶν, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις: Pueros quidem talis circum venire oportere, at viros juramentis.*

Plut. Apoph.

37 Itaque iis satis, si quamcumq; rimam effugio, reperiant, & statim *liberatos se esse jurejurando interpretātur.*

Cice. 3. De Offic.

Scimus omnes,

- - - - - quo pacto soleant perplexarier:

Pactum non pactum est, non pactum
pactum est, cùm illis lubet:

Plaut. Aulul.

O vani! Certè enim *Fraus distringit, non dissolvit perjurium.*

Cice. 3. De Offic.

38 Et quid exspectent, nisi *iratos omnes deos, quorum eluditur numen?*

Liv. 9.

Nam ego illud scitum pro firmo habeo. *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, sic illud accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.*

Isidorus libro II. De sum. Bono.

39 Jam altera Fraus, Injustitia est? cum scilicet contra jura & leges, se & sua improbè potiùs quam callidè augēt. Ab hoc fonte isti actionum rivuli.

Eminen-

Eminenres illustresq; viros, κὴ διαφθείρειν λάθρα κὴ φανερῶς, καὶ φυγαδεύειν, ὡς ἀντιτέχνους καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους: *perdere clàm vel palàm, sive in exilium mittere, tanquam æmulos & dominationi quosdam obiices.* Arist. 5. Politic. ca. 10.

40 Huic rei *struere caussas, vel sponte oblatas arripere.*

Nam illud nimis mite & dilutum putant, *specie legationis*, aut honoris, *seponere.*

Tollunt potius. quoniam, ex scito Aulæ veteris, οἱ τεθνηκότες οὐ δάκνουσι: *Mortui non mordent.* Plut in Pomp.

Et laudatus ille Cæsar etiam, ὅσους μηδενὶ ἀξιοχρείῳ ἐγκλήματι μετελθεῖν ἐδύνατο, ἐν τρόπῳ δή τινι ἀφανεῖ ὑπεξήρει: *quoscumque digno & probabili crimine deferre non poterat, occulta quadam via tollebat.* Dio. 43.

42 Imò nonnullos, δι' ἑαυτῶν τῶν σφετέρων, ἐξ ἐπιβουλῆς, ἐν αὐταῖς ταῖς μάχαις ἀπόλλυσθαι ἐποίει: *à suis & qui ejusdem partis erant, per insidias, in ipsa acie tolli curavit.* Ibidē.

43 Ab eodem illo capite, & hoc manat: *Arma in omnes habere, acerrima* Sallust. in epist.

Mithr.

in eos, quibus victis spolia maxima sunt.

Tacit. 1. Hist.

Insidiari temporibus: veluti in 44
morte aliqua Principis. *Opportuni enim magnis conatibus transitus rerum.*

Plusculi versus in Equit.

Sive in discidiis finitimorum & 45
turbis. Juxta enim Aristophanem, *anguillis tunc captum*:

Et isti magni in *partem acciti, adversus omnes valescunt.*

Tacit. 6. Annal. Plut. Pomp. Idē Apoph.

Leges aliquis inclamet? audiet il- 46
lud: Οὐ παύσεσθε ἡμῖν ὑπεζωσμένοις ξίφη, νόμους ἀναγινώσκοντες: *Non cessabitis nobis gladio accinctis, leges prædicare?*
Et hoc alterum: Ὁ ταύτης (μαχαίρας) κρατῶν, βέλτιστα περὶ γῆς ὅρων διαλέγεται: *Qui isto* (gladio) *prævalet, is optimè de finibus disputat.*

Cicer. 3. de Offic. Tacit. 15. Annal. Cicer. 3. de Rep.

Hæ voces, & in animo illa decre- 47
ta: *Quidquid valdè utile sit, id fieri honestum, etiamsi antea non videretur.*
Item: *Sua retinere, privatæ domus; de alienis certare, regiam laudem esse.*
Si Principes *justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi & armis occupaverint, ad casas & egestatem reversuros.*

Habes

Habes in parte istorum Scholam. nam universum ut excutiam, nulla res me inducet. Quid autem opus? Ex oraculo scriptum.

48 *Ut nemo doceat fraudis & scelerum* Seneca
vias, Thyest.
Regnum docebit.

49 Ego illud potius videro, Tolerandane hæc talia, an damnanda? Et magnam quidem aliquam apertamque Injustitiam, nec ii palàm probant, qui probant. In exigua & palliata modo connivent & asserunt, ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ, τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν: *necessarium esse in parvis à iustitia abire, qui salvam eam velint in magnis.* *Jasoni Thessalo tribuit* Plutar. in *Polit.*

50 Quid enim, inquiunt, si unus altérve regnum meum turbant, nec legibus in eos facilè vindicem sine majore turba; nonne fas clam tollere? videtur. & hoc referendum inter *magna* illa *exempla*, quæ *habent aliquid ex iniquo, quod adversus singulos utilitate publica rependitur.* Tacit. Annal. 14.

51 Quid etiam, si leges aliquæ aut privilegia subditis, non pro meo bo-

Plutar. in Flamin. — no; violare non possim? possim: καὶ οὐ κατὰ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν νόμων ἄρχειν, πρὸς τὸ συμφέρον: *nec juxta leges solùm, sed legibus ipsis imperare, usu sic suadente.*

Deniq; tertiò, si urbs aut provincia Statui meo per opportuna, quam nisi occupo, alius faciet cum æterno meo metu aut damno: non præveniam. Illi volunt, quibus hæc talia semper licita & proba, si cũ successu. 52

Sen, Hip. — *Honesta quædã scelera successus facit.*

Dio. 48. — Ἐν γὰρ δὴ τοῖς τοιούτοις τό, τε ἀπολωλὸς πάντες ἀεὶ κατατρέχουσι, καὶ τὸ κρατῆσον τιμῶσι: *In his enim talibus, semper & victum premunt ac dedecorant, & victorem honore omni afficiunt.*

Seneca Herc. Fur. —
——prosperum ac felix scelus,
Virtus vocatur.

Hæc taliaque sunt, quæ rectissimas etiam mentes a recto abstrahunt: ut quo Utilitas vexillum suum prætulit & explicuit, illuc eant. Ita Aristoteles paullum eò inclinat, & censet Principem διαγενέσθαι κατὰ τὸ ἦθος, ἤτοι καλῶς πρὸς ἀρετὴν, ἢ ἡμίχρηστον ὄντα, καὶ μὴ πονηρὸν, ἀλλ' ἡ- 53 54

5. Polit. cap. 11.

μιπόνη-

μιπόνηρον: *moribus talem esse, ut aut planè bonus sit, aut semi-bonus; nec malus, omnino, sed semi-malus.*

55 Et magnus verusq; itē Philosophus dixit: Οὐδεμία μηχανὴ τῷ νῦν καθεστῶτι ῥυθμῷ, μὴ οὐκ ἀδικέειν τοὺς ἄρχοντας, ἢν καὶ πάνυ ἀγαθοὶ ἔωσιν: *Fieri non potest, quin etiam optimi Principes, ut nunc rerum status est, iniquè aliquid agant,* Demo-critus.

56 Nos an movemur? haud multum. Illud saltem dederim, Principem in rebus valdè afflictis & adversis, *non speciosa dictu, sed usu necessaria sequi.* Curt. 3.

Tunc, inquam, abire leviter à legibus; sed non nisi sui servandi caus-

57 sa, augēdi numquam. *Necessitas* enim *magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem frangit.* Sen. Declamat. lib. 9.

Et ut Poeta ait,

Haud est nocens, quicumq; non sponte est nocens. Seneca Hercul. Oet.

58 Hoc ipsum timidè. Deus, deus, nonne palam reclamat? qui igneo illo spiritu omnes istas humanas argutiolas difflat.

Quasi ventus folia, aut peniculum tectorium. Plaut. Mil.

Deut: Ille edicit: *Dominus aversatur o-* 59
cap. 25. *mnem injustitiam.*

Eccles. Ille minatur: *Regnum à gente in*
cap 10. *gentem transfertur, propter injustitiam, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.*

Et profectò libero ore effabor, 60
Quòd Europa tot motibus agitatur, quòd reges & regna ardent seditionum flamma & bellorum; veram fortasse justamque caussam esse, Administrationem apud plerosque parum veram aut justam.

Homer. Iliad. α.
—σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

—*depravant publica jura,*
Justitiamque fugant, divum nil verba verentes.

Ideoque meritò, quem deserunt, deserit: &

Iliad. 6.
Τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκήβολος, ἠδ' ἔτι δώσει.

Caussa horum pœnas misit Deus, & quoque mittet.

JUSTI

JUSTI LIPSI

POLITICORUM

Sive

CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI QUINTI.

CAP. I.

Transitio ad Militarem Prudētiam, cum excusatiuncula aliqua mei, quòd de ea disseram non miles.

SUMMARIA.

1 *Pars altera Prudentiæ,* Militaris.
2 *Nosne tractandæ illi apti.*
3 *Ita, sed non à nobis.*
4 *Veteres ducunt.*
5 *Qui usu docti:*
6 *Judicio magni.*
7 *Historici, magistri ad militiam.*

8 *Præ-*

8 *Præcepta clam & palam dant.*
9 *Nos in iis multi.*
Sapere aliquid debemus ex iis, eod.
10 *Vel vulgus judicat in bellis:*
11 *Cur non nos?*
12 *Qui, si non manu, mente sumus bellatores.*

Plautus Trin. SEd jam tibi, o æterna Sapientia,
Lætus, lubens, laudes ago, grates gratiasq; habeo:
quòd te duce evasi ex illis salebris, & loca deveni, per quæ facilior mihi cursus. Diu me tenuit Pacata illa & 1
toga sua verè involuta Prudentia: tamen me explicui, & ad Militarem istam veni, quæ horrida, sed minimè ardua, sagum suum promptè offert. Ego accipio, & sermonem una vestemque mutans, præcepta jam melior rei bellicæ universæ.

Virgil. *Arma viri, ferte arma.*

Cice. 2. de Orat. Tune hæc audebis homo umbra- 2
ticus? inquiunt. qui seriò *numquam hostem, numquam castra videris; numquam deniq; partem nullius bellici muneris attigeris?*

Ego

3 Ego verò audebo. nec mei tamen
ingenii aut virium fiducia, ſed eorũ,
à quibus jamdiu mutuor & ſumo.
Quid enim hic meum? ordo aliquis
4 & cõtextus fortaſſe: at verba ſenſuſ-
que mihi præeunt illi, quos in hac i-
pſa re (fidenter dicam) Annibal aliquis
audire nihil abnuat, aut ipſe Cæſar.
Nam quid ſapientes inclutoſq; illos
viros fugit? cur non hic rectum eo-
5 rum & purum judiciũ? qui partim in-
terfuerũt, imò & præfuerunt, bellis:
partim in Senatu & populo illo ver-
ſati ſunt, ubi aſſidua materies & agi-
tatio harum rerum. Viderunt igitur,
6 audierunt: & quod caput eſt, cum ju-
dicio tibi obſervarũt cauſſas ipſas o-
riginesq; rerũ, nec προφάσεις ſolùm
7 eventuum, ſed αἴτια ipſa. Alexander
ille, in re quidẽ bellica verè Magnus,
Homerum ſibi militiæ magiſtrum
aſſumere & aſſerere nihil verebatur:
non meliori jure ego mihi iſtos? Nã
vates ille (eximius ſanè & ſupra ho-
minẽ vates, ſed tamẽ vates:) quid niſi
unum bellum, & idipſum fabellis a-
ſperſum decantavit? Noſtri iſti (Hi-
ſtoricos

storicos me intellegere palàm est)ab
omni pænè ævo bella continuata se-
rie, & intemerata fide scripserunt.
Nec id tantum. sed sæpe in ipsa nar- 8
ratione, aut extra eam in concioni-
bus, velut data opera saluberrima
monita & consilia miscuerunt ad o-
mnem rem Militarem. Quę ejus pars
sive ars est, quum non ii cum exem-
plis subiiciant, tum verbis etiam de-
libent? ut *de Exercitu, de Castris, de*
*Agminibus, de * Signorum collationi-*
bus, de Opidorum oppugnationibus, de
Commeatu, de Insidiis faciendis atque
vitandis, de reliquis rebus, quæ sunt pro-
pria belli administrandi.

Cicer. 2. de Orat.

* *Id est, pugnis.*

In quibus cum tot jam annos ver- 9
ser, & curioso isto mentis oculo cot-
tidie vager per latos & lætos illos
Historiarum campos: cur non mihi
etiam fas intellegere & judicare ali-
quid in istis? Non enim vidisti, inqui-
unt. Certè. ideoque nec usum aut
tractationem armorum mihi vindi-
co; sententiam & judicium tantùm,
eaque ipsa astricta sententiæ alienæ.

Livius XL. IV.

Ecce *in circulis omnibus, atque etiam,*

si diis

si diis placet, in conviviis, sunt qui exercitum ducunt; ubi castra locanda sint, sciunt; quæ loca præsidiis occupanda, quando cum hoste manus conserenda, quando quiescendum sit.

11 Et hos nemo capit. ego canicula & impudens, si verbum his de rebus faciam ex veterum mente? Iphicrates olim interrogatus, Τίς ὢν μέγα φρονεῖς, πότερον ἱππεὺς, ἢ τοξότης, ἢ πελταστὴς, ἢ πεζός: Οὐδεὶς ἔφη τούτων, ἀλλ' ὁ πᾶσι τούτοις ἐπιστάμενος ἐπιτάττειν· *Quis tu es, qui tantos spiritus tibi sumis? utrũ eques, an sagittarius, an veles, an legionarius? Nihil horum, inquit: sed qui his omnibus novi imperare.*

Plut. in Apopht.

2 Æmulabor in parte, & dicam; Non ego dux aut miles, sed qui his in tempore consulere aliquid possim & suadere. Itaque pergam audacter, nec vacillanti pede, in incepto: & veterum scriptorum velut hortis Sententiarum flores legam, & intexam in has Capitum corollas. Quod si probè & judicio à me fiet: nemo damnet; sin aliter, tum ego quoque

Cæcil. nihil negem *Quisquilias volantes, & venti spolia*, hæc esse.

Sed utrum horum sit. jam res docebit: quam ordior, & compono me in præliarem statum, strenuè tibi, cum Aristophane.

Ex Aristophan. Nebul.

Φρονῶν, βουλεύων, καὶ τῇ γλώττῃ πολεμίζων:

Consilio, calamis, & lingua pugnaturus.

CAP. II.

Prudentiæ hæc pars cōmendata Principi: quæ necessaria ad tutelam salutemq; regni.

SUMMARIA.

1 *Principis munus, Tueri.*
Id non potest sine Fortitudine: eod.
2 *Nec Fortitudo efficax, sine Prudentia Militari.*
3 *Absoluti regis laus.*
4 *Rerum quies & firmitas à Militia.*

Milita-

1 Militarem autem Prudentiam, antè omnia necessariam ego Principi assero, adeò ut sine ea vix Princeps. Quomodo enim aliter se tueatur, sua, ac suos? Vis nuda ac mera huic rei parum est, nisi arte quadã & consilio temperetur: id est, Prudentia militandi. *Δυοῖν γὰρ ὄντων, δι᾽ ὧν σώζεται πολίτευμα πᾶν, τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους ἀνδρείας, καὶ τῆς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμονοίας: Cùm enim duo sint, quibus omnis respublica servatur, in hostes Fortitudo & domi Concordia:* Polyb. 5.

2 Hanc quidem abundè Togata Prudentia præstiterit: illam, nõ est ut aliunde petas aut impetres, quam ab ista, non certè felicem, & cum successu. Benè ergo scriptum: *Cetera utcumq; dissimulari, sed boni Ducis imperatoriam esse virtutem.* Tacitus Agric.

3 Et Homerus perfectũ suum legitimumq; regem ornavit hoc elogio:

Ἀμφότερον βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής: Homer. Iliad. γ.

Utrumque, & rector bonus, & bonus Induperator.

Ac nimirum dicendum est, quod sentio.

Cicer. pro Mur. *Virtus militaris, præstat ceteris omnibus.*

Ibidē. Quę enim res vitam aut tranquillum usum habeat sine ista? Patria, libertas, cives atque adeo ipsi reges *latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis.* 4

Itaque vides quàm seriò hæc amplectenda sit: & meritò animum atque aures dare te debere ad hanc disciplinam quæ talis:

CAP. III.

Materies, & ordo dicendorum, Bellum Externum definitum, & remota ab eo suscipiendo Injustitia.

SUMMARIA.

1 Bellum *duplex.*
2 *Quæ in Externo spectanda?*
3 *Jura belli servanda.*
4 *Alias promiscuæ & perpetuæ cædes erunt.*
5 *Improba dicta.*

6 *Justitia*

6 *Justitia non ab exitu, sed à caussa asserenda.*
7 *Iniqua bella à duplici ferè caussa.*
8 *Ambitione?*
9 *Et Avaritia.*
10 *Addi potest & Ira.*

1 Militaris omnis Prudentia circa bellum est: Bellum autem duplex: Externum & Internum. Illud definio, VIM ET ARMA IN PRINCIPEM AUT POPULUM ALIENUM. De quo primò dicam, & universa; quæ eo faciunt præcepta ad tria hæc capita redigam. Suscipiendi, Gerendi, Finiendi. Horum aliquid si negligis, aut perperam administras, vix est, ut Bono Eventui unquam li-
2 tes. In Suscipiendo bello duo hæc seriò moneo, ut Injustitia omnis & Temeritas ab eo absint. Illa prior maximè: nec unquã arma ulla moveas, nisi quæ mos & ratio admittunt. *Sunt enim & belli, sicut pacis, jura: justeq; ea non minùs, quàm fortiter debes gerere.* Liv. 5.
3 Atque adeò *in omni republica maximè conservanda jura sunt belli.* Ci. 1. de Offic.

 Nam

Ibidē. Nam *temerè in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est.*

Tac. 4. Histo. Quod si admittimus, *quid aliud quàm omnium inter se gentium bella existent?* 4

Sallust. ad Cæs. Et *barbaro ritu, cædem cæde, & sanguinem sanguine expiabimus?*

Abſit nec unquam animum tuum penetrent illæ voces: *In armis jus ferre. &, omnia fortium virorum esse.* 5

Liv. 5.

Item:

Seneca Herc. Fur. —— *Quæritur belli exitus*
Non caussa.

Et illud subtilissimæ malitiæ:

Lucan. 7. —— *hæc acies victum factura nocentem est.*

Non, non, mi homo: erras nec Acies est, quæ innocentiam approbat, sed caussa, etsi plerumque fateor, *Eventus belli, velut æquus judex, unde jus stabat, ei victoriam dedit.* 6

Livius 22.

Nam caussa, velut Caput Bonæ spei est (liceat huc alludere) quod te ducat ad Triumphales illas terras:

Lucan. 7. *Caussa jubet superos melior sperare secundos.*

Et oc-

Et occulta quadam internaq; vi,
Frãgit, & attollit, vires in milite caussæ: Propert. 6.
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor. eleg. 6.

Imò ausus est Græcus poeta scribere:

Οὐδεὶς στρατεύσας ἄδικα, σῶς ἦλθεν πάλιν: Eurip. E-
Iniqua bellans bella, salvus haud (redit. recht.

Nimis rigidè scimusq; interdum aliter esse, arcano & nobis ignoto fi-
7 ne. Sunt autẽ iniqua illa omnia bella, quibus Ambitio aut Avaritia caussæ. Quàm multa ea sunt! Nam, si verum fateris audemus, plerisque regibus *una & ea vetus caussa bellandi est, profunda cupido Imperii & Divitiarũ.* Salust. in Frag.

8 *Libidinem dominandi, caussam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant.* Idem Catil.

Atq; id in magnis animis ingeniisq; plerumque contingit. Cicer. 1. De Offic.

Quibus pulchrum videtur *ex omni occasione quærere triumphum.* Plinius Paneg.

Bellorũ exuviæ, truncis affixa tropæis,
Lorica, & fracta de caßide buccula pendens. Juvenal. Satyr.

Humanis majora bonis creduntur.

Sallust. in Frag.

Itaque tales *arma in omnes habent,* 9
acerrima tamē *in eos, quibus victis spolia maxima sunt.*

Tacit. 4. Histor.

Nec unquam, aut unquam, hoc falsum: illis *maximum discrimen, penes quos aurum* & *opes, præcipua bellorum caussa.*

Bene igitur poeta:

Seneca Hippol.

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps.

Aptumque, quod de Ira subjun- 10
git: quæ ipsa inter injustas belli caussas. Nam illa, aut odio impulsi, arma sæpe movent non movenda. Damnat hanc aliasq; illas pius Antistes: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur.*

August. contra Faustũ lib. 22. ca. 74.

CAP. IV.

Ordine & partitè posita, quæ ad Iustum.

ſtum bellum requiruntur: & maxime, quibus id cauſsis capiẽdum.

SUMMARIA.

1 *Principi ſoli jus armorum.*
2 *Aut ſupremo Magiſtratui.*
3 *Defendere ſemper licitum:*
4 *Non ſe ſolum:*
5 *Sed & alios, ut Socios:*
6 *Aut iniquè oppreſſos.*
7 *Defenſionis ſpecie non longius eundum.*
8 *Invadere fas, ob injurias:*
9 *Sed priùs tentata juris vita.*
10 *Quæ potior illa armorum.*
11 *Invadere etiam fas Barbaros & impios.*
12 *Finis bonus requiritur:*
Qui eſt, Pax & quies. ibid.

FUGIES igitur iſta Princeps, nec umquam Bello te implicabis, niſi Juſto. Quod, inquies, illud eſt? diſtinctè accipe. quod tria hæc habet juſta: Auctorem, Cauſſam, Finem. Auctor juſtus eſt, ipſe Princeps.

August. contra Faust. Nec enim cuilibet sanè fas aperire Belli istas portas: sed *ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poscit, ut suscipiendi belli Auctoritas atque consilium penes Principes sit.*

Aut certè eos, qui in quaque rep. loco Principum. Ideo Plato lege 2

Lib. 12. de leg. sanxit: Ἐὰν τι ἰδίᾳ ποιῆται πρός τινας εἰρήνην ἢ πόλεμον, ἄνευ τοῦ κοινοῦ, θάνατος ἔστω ζημία: *Si quis privatim, sine publico scito, pacem bellumve fecerit, capital esto.*

At caussa justa duplex: Defensio & 3

Cicero pro Mil. Invasio. In Defensione quis ambiget? *Illud est non modo justum, sed etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur.*

Ibidē. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit; ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent.*

Defensionem autem dico duplicem, Tuam & alienam. Tuam, cum 4

Sallust. Catil. vim à te tuisque arces, & *libertatem, patriam, parentesq; armis tegis.*

Alienam, iterum duplicem: cum à Sociis, aut Oppressis. De Sociis intellexit 5

tellexit Tullius, *Nullum bellum,* in 3. de
quit, *à civitate optimè suscipitur, nisi* Rep.
aut pro Fide, aut pro Salute.

Fide sanè agitur, & ea te impellit, ut opitulere iis, quibus cùm societas tibi & auxilii pacta. Itaque & Princeps Philosophus decrevit: Δεῖ Aristo.
τοὺς ἀδικουμένους, ὑπὲρ ἑαυτῶν πολε- Rhet.
μεῖν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ εὐεργετῶν, ad Alex-
ἢ συμμάχοις ἀδικουμένοις βοηθεῖν: *Opor* xand.
tet injuriam passis pro seipsis arma capere, sive pro cognatis & beneficiis, itemque sociis injuria affectis auxiliari.

6 Nec dissimilis ratio in oppressis quos si gravior aliqua vis aut extrema Tyrannis urget, videtur cogere te commune Societatis vinclum, ut adjuves. *Qui enim non de-* Cice. 1.
fendit nec obsistit, si potest, injuriæ, tàm de Of-
est in vitio, quàm si parentes, aut patri- fic.
am, aut socios deserat.

Imò & Christianus Doctor in ea Am-
parte: *Fortitudo, quæ per bella tuetur à* bros.
Barbaris patriã, vel defendit Infirmos, de Of-
vel à latronibus socios plena Justitia est. fic.

7 Atq; hæc licita & legitima Defensio est, maneas in ea tantum, nec hoc

prætextu pedem manumq; promoveas, & aliena apprehendas. Quod Romanos fecisse, ingenuè fatetur Romani eloquii flos: *Noster*, inquit, *populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est.*

Cicer. 3 de Rep.

8 Malè: nec tu imitare. Jam Invasio quoq; licita & justa est, sed nō omnis. Illa palàm, cùm injuriam vindicas, & jure gentiū res tuas repetis. Nam Justitiæ *primum hoc munus est, ut ne cui quis noceat, Nisi lacessitus injuria.*

Idem 1. de Offic.

9 Exceptionem vides. Itaque si quis res tuas aut jus rapuit: cape arma, cum ea conditione tamen: ut ex formula veteri, prius mittas clarigatum, *id est, res raptas clarè repetitum.*

Pli. 22. Nat. hist. cap. 11.

10 Nec enim, etiam læsus, justè statim bellum inferes. *sed cum duo sint genera decertandi, unum per Disceptationem, alterum per Vim: cumq; illud proprium sit hominis, alterum belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.*

Cice. 1.

Observa. quoties enim judicio quispiam se sistit, arma sistenda sunt: καὶ ἐπὶ τὸν δίκας διδόντα, οὐ νόμιμον ὡς ἐπ᾽ ἀδικοῦντα.

Archidamus

ἀδικοῦντα ἰέναι, ut gravissimæ gentis rex censuit: *In eũ, qui jure agere & satisfacere paratus est, nefas bellum sumere, tanquam in injurium.* apud Thuc. lib. 1.

At si abnuit & res retinet: *quid est quod contra vim sine vi fieri possit?* Cicer. lib. 11. Episto. 10.

Hic illud valeat: *Iustum bellum, quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Liv. 9.

11 Jam & Invasio quædam legitima videtur, etiam sine injuria, ut in Barbaros, & morib. aut religione prorsum à nobis abhorrentes: maximè si potentes ii, & aliena ipsi invaserunt, aut invadunt. Caussa enim hic est. Coërctio, & in malo repressio. Augustinus eleganter: *Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur.* Epist. 5.

Idemque iterum: *Apud veros Dei cultores, etiam illa bella peccata non sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur, & boni subleventur.* Lib. de Verb. Dom.

12 Sperno Caussas alias, & de Fine adjungo: qui etiam in bona caussa potest esse malus. Quid si enim Ultio tibi proposita? quid si Gloria,

aut

aut Imperium? peccas. nec dirigenda alio arma sunt (si pura ea esse vis) quam ad Tranquillitatem & Tutelam. *Ita bellum suscipiatur, ut nihil aliud quàm Pax quæsita videatur.*

Cic. 1. de Offic.

Sapientes Pacis caussa bellum gerūt, & laborem spe otii sustentant.

Sallust. ad Cæs.

CAP. V.

Temeritas remota à bellorum initiis: & summatim, quæ in [illegible]ptione omni cogitanda sint.

SUMMARIA.

1. *Bellis facilè te induas.*
2. *Ægrè explices.*
3. *Præcogitanda omnia eventa.*
4. *Nam Mars Ambiguus.*
5. *Et fortuna in bellis dominatur.*
6. *De summa rerum alea jacitur.*
7. *Clades publica præcogitanda:*
8. *Vastitas.*
9. *Stupra.*

10 *Cædes.*

10 Cædes.
11 Mala privata præcogitanda.
12 Princeps tunc odia excipit.
13 Caussa mali dicitur.
14 Horum respectu omne bellum fugiendum.
15 Ad quod multi excitant.
16 Vt Nobiles.
17 Turbidi.
18 Exsules.
19 Publico prætextu, sed privata caussa.
20 Non audiendi.
21 Belli nomen bellum.
Res turpissima. ibid.
22 Vix, nisi necessario, eo veniendum.
23 Nec molestiæ capienda.
24 Aut cædes instituenda.

SAtis (quod in me quidem est) ab
Injustitia te arcui, nunc etiam à
Temeritate. Nec enim statim, vel
cùm justa Caussa oblata est, descen-
dere te velim in Martium hunc cam-
1 pum. Magna res est: deliberatio-
nem postulat, eamq; lentam. Nam
scitò *omne bellum sumi facilè, cæterum*
ægerri-

ægerrimè deſinere, nec in ejusdem poteſtate initium & finem eſſe.

Ut in puteum facilè te demiſeris, haud facilè eduxeris: ita in bellum. 2
Ibidē. quod *incipere cuivis etiam ignavo licet deponi, cùm victores velint.*

Thucyd. 1. Itaq; ſi apis: τοῦ πολέμου τὸ παράλογον, ὅσον ἐστι, πρὶν ἐν αὐτῷ γενέσθαι, προδιάγνωθι: *Quicquid præter opinionem evenire in bello poteſt, priusquam ingrediare, conſidera.* 3

Liv. 30. *Cùm tuas vires, tùm vim fortunæ, Martemq; belli communem propone animo.*

Ibidē. *Vtrimq; ferrum, & corpora humana eru*t. Nusquam minùs, quàm in bello eventus reſpondent.* 4

Seneca Theb. *Licet omne tecum Græciæ robur trahas,* 5
Licet arma longè miles ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

Liv. 9. *Quæ per omnia humana, maximè*
Salluſt. *in res bellicas potens.*

Jug. Itaq; *quantumvis opibus tuis confidas,* 6

das, non debes certa pro incertis mutare.

Non expedit concutere felicem statum. Seneca Oedip.

Quid juvat te *aureo hamo piscari?* Sueto. Augu.

Simul parta, ac sperata decora, unius horæ fortuna evertere potest. cap. 25.

7 Adde huc mala, quæ necessario in omni bello. cujus *non adventus solùm, sed etiam metus affert calamitatem.* Liv. 30. Cicer. pro Leg. Manilia.

8 *——— non ullus aratro*
Dignus honos, squallent abductis arva colonis. Virg. 1. Georg.

9 *Tum scelera, dempto fine, per cunctas domos*
10 *Iere. nullum caruit exemplo nefas.* Seneca Hipp.

Et quod caput est, quæ sanguinis effusio & quæ cædes?

Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde
Lubrica saxa madent. nulli sua profuit ætas. Lucanus.

—— notum quid cæde calentibus armis
Quantum ira liceat, motusque quid audeat ensis. Sil. 1.

Hæc

Hæc publica sunt. quid si accedũt 11
privata etiam tua mala? certè. Nam
Tac. 1. Hist. ærarium exhauris, *conversa in usum militum omni pecunia.*

Te obiicis periculis, imò & calu- 12
Quin-ctil. Declã. mniis. *Nihil* enim *tàm capax malignitatis sermonumq́, quàm bellum.*

Imò scripsit quispiam: πολέμου 13
Thuc. καθεστῶτος ἀεὶ ἀναγκαῖον εἶναι τοὺς προέχοντας ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν διαβάλλεσθαι: *Bello instituto, necessum esse Principes malè audire & culpari, ob damna.*

Tacit. Agric. Et sanè *iniquissima bellorum conditio hæc est. prospera omnes sibi vendicant; adversa uni imputantur.*

Augu. 19. de Civit. Dei. Quæ talia penitùs si consideras, 14
an non fateare. *Bellum etiam justum detestandum?*

Præsertim pio & Christiano Principi. qui, ex divina lege, *alieno sangui-*
Seneca Epist. *ni tanquam suo parcit, & scit homini non esse homine prodigè utendum.*

Liv. 11. Sperne igitur illas in Aula tua *fa-* 15
mam fam sq; belli.

Tac. 11. Annal. Quo in numero interdum *No-* 16
bilitas, cui in pace durius servitium est.

Sæpius

7 Sæpius feroces aliquot & turbidi, quos dixeris: *πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν: in id natos, ut neq; ipsi quiescant, neq; alios sinant.* Thucyd. 1.

8 Non raro etiam Peregrini & Exules. qui sua spe aut *metu cunctantem in arma propellunt*: Tac. 3. Hist.

9 Nam ut Poëta canit:

Quemq; sua rapiunt scelerata in prælia caussæ. Luca. 1.

10 Suæ inquam, nòn Tuæ aut Publicæ, ne erres. Sed tu quid credas? In tali re, scito *consilium ab omnibus dari, sed periculum paucos sumere.* Tac. 3. Histor.

Uno adverso ictu *languebāt omnium studia, qui primo alacres fidem atq; animum ostentabant.* 1. Hist.

11 Ne temerè ergo crede: & sententiæ unius scuto omnes istos suasores repelle. Γλυκὺ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς: *Suave bellum non expertis. at qui gustavit, contremiscit animo quoties advenire illud videt.* Pindarus apud Stob.

12 Felicem & magnū Augustum illum semper cogita: qui *nulli genti si-* Sueto. Augu.

cap. 20. *ne justis & necessariis* (vocem nota) *caussis bellum intulit.*

Tacit. de Moribus Germ.

Atque utinam hunc affectum tibi 2
imprimam! *ut sine cupiditate, sine impotentia, quietus secretusque.*

Plinius Paneg. *Nec provoces bella, nec timeas.*

Id beatius; quàm suas alienasque fortunas spe metuque versare.

Tacit. de Moribus Germ. 1. Hist.

Et illuc descendere, ut aut *perire necesse sit, aut, quod æquè apud bonos miserum est, occidere.*

CAP. VI.

Ad Gerendum bellum tria requisita. Primo Apparatus triplex: Pecunia, Commeatuum, Armorum.

SUMMARIA.

1. Apparatus *belli quid, & quotuplex?*
2. *Ante bellum faciendum.*
3. *Per bellum exactiones odiosæ aut periculosæ.*

4 *Pecu-*

4 *Pecunia, spiritus Vitalis belli.*
5 *Nec arma valida, sine illa.*
6 *Annonæ necessitas.*
7 *Vsus duplex.*
8 *Miles intractabilis.*
9 *Et duci nec audiens, cum egens.*
10 *Armorum præparatio.*
11 *Navium rerumq; navalium.*
12 *Metuendum hæc Principem faciunt.*
13 *Et pacatum.*

DEcreta mea in Suscipiendo bello habes: transeo ad Gerendũ, in quo tria considero vel potius desidero Apparatum: Viros, Consilia.
1 Apparatum dico RES NECESSARIAS AD USUM OMNEM BELLI, uti sunt hæc tria: Pecunia, Cõmeatus, Arma. Nam hæc nisi jam ante & ex præparato habes, frustra cogites
2 de bello. *Prius est parare bellum, quàm exercere.* Quinctil. lib. 11. Inst.

Imò.

Diu apparandum est bellum, ut vincas celerius. Publ.

3 Nam in ipso bello, incõmodum aut

aut ferum quoniam, ut prudentissimus Atheniensium verè monuit: αἱ περιουσίαι τοὺς πολέμους μᾶλλον ἢ αἱ βίαιοι ἐσφοραὶ ἀνέχουσι: *Ex præparato copia bella magis sustinent, quàm violenta collationes.*

Pericles apud Thuc. lib. 1.

Veget. 3. c. 3. Igitur provido Principi *antequam inchoetur bellum, de copiis expensisque solicitus debet esse tractatus.*

4 Maximè de Pecunia, quæ adeo necessaria, ut quemadmodum *Medici negant sine nervis homines ambulare posse:*

Petrō. Satyr.

Ita nec bellum usquam progredi sine ista. Hæc motum, hæc animam illi dat: & oraculum est, τὰ πολλὰ τοῦ πολέμου, γνώμῃ καὶ χρημάτων περιουσίᾳ κρατεῖσθαι: *Plerasque belli res confici Consilio & vi Pecuniarum.*

Thucyd. 2.

5 Nam profectò, si consideras, ἔστιν ὁ πόλεμος οὐχ ὅπλων τὸ πλέον, ἀλλὰ δαπάνης, δι' ἣν τὰ ὅπλα ὠφελεῖ: *Bellum est non in armis maximè, sed in expensis & sumptibus, per quos efficacia arma & utilia fiunt.*

Idem 1.

Et plura de Pecuniæ vi * supra dixi. Nec minùs necessaria etiã Annona;

*Lib. 4. cap. 9.

na: sine quâ non dicam vincere non Veg. 3.
est, sed nec vivere. Nam *qui frumentũ* cap. 26.
necessariumq; commeatum non prepa- Idem 3.
rat, vincitur sine ferro. cap. 3.

Et *reliquis casibus potest in tempore subveniri: pabulatio & annona in necessitate non habent remedium, nisi antè condita.*

7 Paranda igitur ea, & quidem in usum duplicem: Militũ & Præsidiorum. Illi, dum in agmine & castris sunt, ne egeant: ista, *ut adversus moras obsidionis annuis copiis firmentur.* Tacit. Agric.

Mirari libet hac in re Romanam dispositionem, quæ ad utrumq; hũc usum in plerisq; opidis, *totius anni, in * aceto, frumento, larido, atq; hordeo & * paleis condita habebat.* Cap. in Gord. * *Ad pescam militarem.*

Culpare contra hodiernam incuriam, cùm ferè *mendicitas ad omnem desperationem vocat armatos.* * *Ad usum equorũ.*

8 *Disciplinam non potest servare, jejunus exercitus.* Lamp. Alex.

9 Et, ut Imperator ille dicebat, miles *non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens aliquid in zonula.* Cassiod. 9. Var. c. 13.

TER-

Lampr. in Alex. TERTIO loco Arma posui. intellego, ut Armamentarium aliquod Princeps habeat; in quo ad certum numerũ peditum equitumq; tela & arma, itemq; tormenta, machinæ, pulvis, & quæ talia juvandis viribus hæc aut prior ætas invenit. Addo naves, & instrumentum omne nauticum, si regio ejus maritima & portuosa. Nam subito ista ægrè parantur: & semel parata non solum in bellum valent, sed ne sit bellum.

Idem 3. *Nemo provocare audet aut facere injuriam ei regno aut populo, quem intellegit expeditum atque promptum ad vindicandum.*

Idem 2. Et *qui desiderat pacem, præparet bellum.*

CAP. VII.

Milites terrestri quidem bello necessarii, duplices: Equites, Pedites-que. Quæsitum breviter, utrorum maior usus.

SUM-

SUMMARIA.

1 *Quid Viri, & eorum divisio?*
2 *Equites præstant peditibus.*
3 *Sed dumtaxat in pugna.*
4 *Toti bello pedites meliores.*
5 *Imo & in pugna boni.*
6 *Iuxta cum Equitibus, si aptè instructi & positi.*
7 *Barbari Equitatu gaudent.*
8 *Minor in Pedites sumtus.*

1 AT Viros hic intellego, ARMATAM MVLTITVDINEM, APTAM IMPVGNARE VEL REPVGNARE. Eam divido, in Milites & Duces. Milites iterum duplices, Pedites & Equites. Nam utrisq; sane opus est, a quibus *omne* bellicis *consiliis robur*, *& sine quibus quamvis egregia, invalida sunt.* Tac. 1. Hist.

2 Sed utris magis? dubites. Polybius (peritus Hercules in omni re bellica & civili scriptor) Equites attollere videtur, & vim præcipuam asscribere ad vincendum: κρεῖττον ἐστι, inquit, Lib. 3. πρὸς τοὺς τῶν πολέμων καιροὺς, ἡμίσεις ἔ-

χειν πεζοὺς ὑπερκρατεῖν δὲ τοῖς ὅλοις μᾶλλον, ἢ πάντα πάρεστι τοῖς πολεμίοις ἔχοντα διακινδυνεύειν: *Melius est ad belli usus* dimidiam partem peditum habere, prævalere numero equitum, quàm omnia parta hostibus nactum in aciem descendere.*

* *Intelge, respectu hostium.*

3 Nec de pugna, nimis negem: nego de Bello universo, in quo Peditẽ præpono. Nam ad opida propugnãda aut expugnanda quis equitũ magnus usus? quis etiam in montanis

Veg. 2. cap. 2. 4 locis, aut impeditis? *Ex quo intelligitur magis necessarios reipubl. pedites, qui possunt ubiq; prodesse.*

Tacit. de Moribus Germ. Scriptor meus hoc vidit, & vigilanti lectori ingessit, de Cattis: O*mne*, inquit, *in pedite robur.*

Ibidẽ. Additque: *alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum.*

5 Quanquam & in ipsis præliis cur Pediti minor vis? Tardius ille vincit

Ibidẽ. fortasse, sed certius. Nam *equestrium virium proprium, citò parare, cito cedere victoriam.*

3. Hist. Quin ipsum illum impetũ & *procellam equestrem.*

Facilè

6 Facilè excipit, si idoneus illi ordo & arma : quod fit per disciplinam. Summus harum omniumque rerum judex, ita protulit *Ἄνευ μὲν συντάξεως, ἄχρηστον τὸ ὁπλιτικὸν, αἱ δὲ περὶ τῶν τοιούτων ἐμπειρίαι καὶ τάξεις, ἐν τοῖς ἀρχαίοις οὐχ ὑπῆρχον, ὡς ἐν τοῖς ἱππεῦσιν εἶναι τὴν ἰσχύν : Sine ordine, inutilis pedestris armatura, ratio autem & peritia ordinandi ignota antiquis : ideoq; in equite apud eos omne robur.* Arist. 2. Polit. cap. 13.

7 Disce. ubicunq; bona & composita militia, Peditem prævalere: apud
8 rudes aut barbaros, contra. Nec sanè inutiliter disciplina & ratio illum provexit : quia parabilior; & simul *major numerus peditum sumptu & impensa minore nutritur.* Veg. 2. cap. 1.

Ex his concludo, *in universum æstimanti plus penes peditem roboris esse.* Tac. de Morib. Germ.

CAP. VIII.

Vtrosq; bonos esse debere: Alioqui pro nihilo omnis copia. Fieri bonos du-

pliciter, Dilectu & Disciplina. Ea neglegi hodie, & super hac re iusta, veraq; querela.

SUMMARIA.

1 Milites *boni habendi magis, quam multi.*
2 *Pauci, qui semper vincunt.*
3 *Militia nostra corruptissima.*
4 *Sine serio dilectu.*
5 *Vilissimi enim asciscuntur, aut pessimi.*
6 *Vitiis cooperti.*
7 *Sine ulla Disciplina.*
8 *Certatim lasciviunt.*
9 *Paganos vexant.*
10 *Commessantur.*
11 *Potant & tum pugnant.*
12 *Apud Hostes trepidant.*
13 *Fugiunt.*
14 *Violenti ad prædas, ignavi ad prælia.*
15 *Decoris securi.*

HÆc discrimina Militum sunt: quæ frustra tamen ingero, nisi illi

1 illi boni. Cui uſui, quamvis magna Equitum Peditumq; multitudo, ſi ignava, imperita, & tantum multitudo? Tu ſcito *non vires eam habere, ſed pondus.* Sene.6. de benef. cap.30. Liv.9.

Et eſſe *impedimentum majus, quam auxilium.* Syneſ. Epiſt. 79.

Græcus ille ſcitè monuit: *χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν: Manibus opus eſt bello, non multis nominibus.*

Tolle mihi vana, & in oculis vulgi magna. quoniam *in omni conflictu non jam prodeſt multitudo, quàm virtus.* Veget. 1. c. 8. Tac.14. Annal.

2 *Etiam in multis regionibus, pauci ſunt, qui prælia profligant.*

Ad virtutem ergo veniendum: id eſt, ut bonos eos habeas forteſq;. nec habebis unquam, niſi hæc duo velut inſtrumenta adhibeas, Dilectum & Diſciplinam: alterum parandis iis, alterum formandis. In quo video futurum ut multa ſuadeã, quæ ex uſu

3 magis, quàm quæ in uſu. Quid faciam? hodiernam Militiam triſti oculo intueor; pudendam lugendamq;

P 3 nobis,

nobis, hosti ridendam aut spernendam.

Itaque cogor apertis tibiis canere, & *illa militiæ flagitia palam aspernari.*

Tac. 1. Annal.

Atq; adeo imaginem ejus proponere: non ut convitium ævo faciam, sed ut medicinam. Nam principio, 4 Dilectus quæ forma apud nos? nulla. *Emunt militem, non legunt.*

Ex Galbæ dicto. 1. Hist.

Pecuniola proponitur, tympanũ 5 strepit: & ecce coëunt aliquot *ignoti inter se, ignorantesq;.*

Liv. 21. Cur. 9.

Purgamenta urbium suarum:

Tac. 3. Histor.

Quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi necessitudo est:

Egesip. 1. c. 4.

Assueti latrociniis, bellorum insolentes,

Pseudo.

Atque ut uno verbo absolvam, 6 *quorum lingua vana, manus rapacissima, gula immensa, pedes fugaces, quæ honestè nominari non possunt, turpissima.*

Sallust. in Cic.

Pleriq; enim profectò tales: (nam omnes absit ut culpem) aut si qui melioris notę immixti, facilè abripiuntur & velut obducuntur à reliqua il-

7 la fece. Atq; hæc in Dilectu In Disci-
plina quid? *nec formam saltem ejus & extrema tanquam lineamenta servamus.* Cice. 5. deRep.

8 Atque ut *olim virtutis modestiaq;, nunc procacitatis petulantiaque certamen est.* Tac. 3. Histor.

Omnia indisposita, temulenta, pervigilis ac Bacchanalibus, quàm Disciplina & castris propiora. 2. Hist.

9 Imo *nec in procinctu & castris habentur, sed per omnia municipia desides, hospitibus tantùm metuendi:* 3. Hist.

10 *Effundunt se in luxum, & epulas, & nocturnos cœtus.* 4. Hist.

11 Ibi *circumferri merum largius jubent, debacchaturi super mensa* ALEXANDRVM. Curt. 7.

Suas vires extollere, hostium paucitatem contemnere. Ibidē.

12 Sed, ô dedecus! ad ipsos cum ventum est, *neq; animo, neq; auribus, neq; lingua competere.* Sallust. Fragm.

Et fit illud Homericum:

— πᾶσιν δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός. Iliad. o.

Iliad. o. —— *inq; pedes cunctis mens decidit imos.*

Cornificii dictum de suis militibus. Verè *galeati lepores.* 13

Quibus ut ad populandos finitimorum agros, tectaq; urenda, & capienda pecora, aliqua vis sit: ita in acie ac signis collatis nulla est. 14

Liv. 28. Tac. 2. Histor. Nam ita collectis, ita habitis, *nec in victoria decus est, nec in fuga flagitium.* 15

Sallust. Jug. Ad summam, Militia hæc nostra est: *Exercitus lingua, quã manu promptior: prædator è sociis, & ipse præda hostium.*

CAP. IX.

De Dilectu cœptum dici, sed primo quæsitum, Exteri an Domestici præferendi? nos istos censemus, cum caussa.

SUMMARIA.

1 *Hæc immutanda.*
2 *Revocato Dilectu & Disciplina.*

3 *Quid*

3 *Quid ille sit?*
4 *An* Exteri & mercenarii *legendi?*
Ego & ratio negamus:
5 *Nam vix fides apud eos.*
6 *Vix patientia.*
7 *In pugnam frigidi.*
8 *Aut pavidi.*
9 *Civibus perniciosi.*
19 *Graves ærario.*
11 *Magis fidi* Interanei.
12 *Obedientes.*
13 *Acres in pugnam.*
14 *Reverentia vel amore regum.*
15 *Amantiores patriæ.*
16 *Mercenarii tamen interdum utiles:*
17 *Sed pauciores.*
18 *Vbi multi, sæpè destituunt, aut prodfunt.*

QVæ omnia fœda, turpia, & perdendæ militiæ patriæque esse 1 quis non videt? Tibi emendanda Princeps: cujus est *pro salute reipubl. & nova excogitare, & antiqua restituere.* Veg. 1. cap. 27.

Restitue ergo illa duo, quæ jam præsignavi, Dilectum & Disciplinā: sola probæ germanæque Militiæ vel fundamenta, vel firmamenta. Dile- 3
ctum appello, EORVM QVI ARMIS IDONEI SVNT CVM JVDICIO ELECTIONEM. IDQVE è TVIS. Di- 4
sertè addo, è Tuis. nam Militiam hanc Peregrinam, qui approbem? aut quis seriò Dilectui in ea locus? Mos invexit, fateor: sed non Ratio. quam ego audio, & Domesticum militem longè semper præferam Externo. Caussæ istæ.

Tac. 3. Histor. Infidi sæpe exteri: & *majore ex di-* 5
verso mercede, jus fasq; exuunt.

Lucanus. Tritum illud in iis propriè obtinet,

Vanalesq; manus. ibi fas, ubi maxima merces.

Tac. 4. Histor. Iidem Refractarii. amantque *non* 6
juberi, non regi, cunctaq; ex libidine agere.

1. Hist. Idque sæpe *propinquo summæ rei di-* 7
scrimine.

3. Hist. Cùm tumultuari eos videbis & *se-* 8
ditiosè agere:

Aut

8 Aut in ipsa etiam pugna, *sine pudore flagitii, sine cura ducum, abire, fugere*. 1. Ann.

Quid mirum? *non fide, non affectu tenentur*. In Agric,

Ut seriò velint, aut debeant *dominationi alienæ sanguinem commodare*. Ibidẽ.

Itaq; plerumq; *plus tibi minarum, quam periculi*. Liv. 6.

9 Adde. quod graves incolis. soliti *omnia tanquam externa aut urbes hostium, urere, vastare, rapere*: Tac. 2. Histor.

Populatores terræ, quàm à populationibus vindicare debebant. Curt. 3.

10 Imo teipsum diripere. veræ *hirudines ærarii*: Cic. 2. ad Attic.

Et quorum opera maximè, hodiè

Ossa vides regum vacuis exsucta medullis. Juven, Sat. 8.

11 At in Domestico & proprio milite, melior mitiorque res est. *qui non fortitudinem magis, quàm fidem colit*. Curt. 10.

12 Cui *obsequium & patientia imperii longè præstantior, quam extaris*. Ibidẽ.

13 Ille idem acer in acie: in *prima fronte concurrens, & adversa vulneri-* Sene. 1. de Clement.

bus pectora ferens, ne Imperatoris sui signa vertantur.

Ibidē. *Est* enim natura plerisque *populis urbibusq;, consensus quidam protegendi armandiq; reges.* 1

Curt. 10. Quod *nomen, gentes quæ sub regibus sunt, pro deo colunt.*

Tac. 2. Histor. Deniq; ille modestior, & reveretur ac suspicit *loca sedesq; patrias.* 15

Curt. 10. Ut ego omnino præferēdos censeam *genitos tibi milites, non ascitos.*

Nec illos tamen planè spernendos. utiq; si major vis aut necessitas ingruat: per quam mitti suadeam ad finitimos, qui *auxilia mercede faciant.* 1

Tac. 6. Annal. Sed auxilia. ut vires inquam & robur exercitus è tuis sint, nec corpus exteri faciant, sed membrum. Nam *id cavendum semper* providis *ducibus*, Lib. 25. *exemplaque* vetera *pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumq; propriè virium in castris habeant.* 1

Alioqui, vide ne seriò, sed serò plores: & fiat illud vetus: 1

Ἐξηγηταὶ-

Ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον: *Decepit ipse vineam palus suam.* Aristophan. in Vespis.

CAP. X.

Objecta & rejecta ea, quæ contra Domesticum militem dicuntur. Hunc regum esse, illum Tyrannorum.

SUMMARIA.

1 *Objectio prior, à robore naturali quarundam gentium.*
2 *Secunda, à metu rebellionis.*
3 *Responsio ad illam.*
4 *Responsio ad istam.*
5 *Tyranni exarmant suos.*
6 *Reges fidem habent, & inveniunt.*

1 AT enim, inquiet aliquis: *Gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli non tantùm ad robur corporum, sed etiam animorum facit.* Veget. 1. ca. 20.

Ergo melius, spretis Domesticis, Mercenarios conduci è pugnaci aliqua gente. Item: Regi à subditis periculum

Liv. 27. riculum, si eos armat *non in fide, non in officio manebunt:*

Atque adeo aliquid fortasse *ad-*
Ibidẽ. *versus summi imperii majestatem audebunt.*

Hæc jactari vulgo, & inferi auribus Principum scio: sed malignè profectò aut falso. Nam quod ad primum, verè illud dici non nego: sed hoc quoque verè, ex quavis Europæ nostræ parte (illi scribimus) 3
Veget. *si modo exercitati & prudentes viri Di-*
2.c.13. *lectui præponantur, celeriter manum bellis aptam posse aggregari.*
Idem Viros enim ea ubique fert: *qui o-*
2.c.213. *mni armorum disciplina vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terræ subegerunt facilè coæquabunt.*

Institutio modo adhibeatur & Disciplina, de qua mox dicam. Jam 4
quod ad Metum à subditis: ille verò
Plinius vanus. *Hæc persuasio illorum fuit, qui*
Paneg. *hostilia cum facerent, timebant.*

A Tyrannis, inquam, hęc opinio. 5
Plat. 8. *Φοβούμενος γὰρ ὁ ἄρχων ἀρχομένων, οὔτε κα-*
de Leg. *λὸν οὔτε πλούσιον, οὔτε ἰσχυρὸν οὔτε τὸ παράπαν πολεμικὸν ἑκὼν ἐάσει γίγνεσθαι:*

Nam

Nam Princeps ſubditos metuens, neque bonos eos, neq; opulentos, neque fortes aut animoſos, neque in univerſum bellicoſos fieri, volens quidem, unquam patietur.

At ea à noſtro Principe abeſt: cui bono, ſemper illi boni. *Obiicient ſe mucronibus inſidiantium,* 6

Et ſe ſuaq; jactabunt, quocunq; deſideraverit imperantis ſalus.

Senec. 1. De Clement. Ibidē.

CAP. XI.

Qui legendi in milites? Duo genera facienda: Ordinarios & Subſidiarios. atq; utriq; ſeorſim deſcripti.

SUMMARIA.

1 Ordinarius *miles:*
2 *Subſidiarius.*
3 *Prioris laus & uſus.*
4 *Non multi ii ſcribendi:*
Ob cauſſam duplicem. eod.
5 *Non item, in pace una habendi.*
6 *Quàm multi, noſtro judicio, legendi?*

Equites

7 *Equites hic inprimis curo.*
8 Subsidiariorum *descriptio & usus.*
9 *Discrimen ab Ordinariis.*
10 *In pace vivunt:*
11 *In bello bellant.*
12 *Obnoxii sunt.*
13 *Damnosi non sunt.*
14 *Paratiores exteris.*
15 *Epagis parandi.*
Urbani proni in motus: ibid.
Fiducia locorum, & suopte ingenio. ibid.
16 *Non item isti,*
17 *Numerus eorum, nostro judicio.*
18 *Quos plerosq; pedites velim.*

ERgo Dilectus è tuis esto, sed, ut addidi, CUM JUDICIO: quod in his duobus pono, Quos & Quomodo legas. De priore ita censeo, duo genera Militum scribenda: Ordinarios, & Subsidiarios. Illos, QUI AS- 1
SIDUE ET VELUT EX MUNERE ATQUE ARTE MILITENT: Istos, QUI 2
RARENTER, QUIQUE DOMI SINT ALIARUM RERUM. Priores illos non 3
aliud esse volo; quàm legitimos quosdam

quosdam perfectosque milites, & ut ita dicam, verè Martis pullos. qui lecti in hanc unam spem, formentur omni *armorum exercitio, disciplina castrorum, usuq́; militiæ.* Veget. 1. ca. 1.

Qui sint velut invicta quædam acies: & *ipsa plerumque fama bella profligent.* Tac. de Moribus Germ.

Hi tales omnino Principi necessarii, *in pace decus, in bello præsidium:* Ibidē.

4 Sed necessarii haud multi. non solùm quia Sumptus vito (immensi enim faciendi sint in assiduum illum frequentemque militem:) sed quia Turbas. Nam profectò ubi illi multi, facilè *proni ad res novas.* 1. Hist.

Tum ingenio suo, tum *ubi vires respexere, securitate.* Ibidē.

Atque eveniet, ut *contra morem obsequii, contra fas Disciplinæ* interdum *vim meditentur.* 2. Annal.

5 Quibus rebus una cautio, si nec multitudinis sint: nec semper una. Hoc volo, ut *extra bellum, centurias tantùm suas turmasq́; noverint.* 1. Hist.

Nam *longis spatiis discreti exercitus,* Ibidē.

quod

quod saluberrimum est, nec vitiis nec viribus miscentur.

Sed quo numero Ordinarii isti igi- 6
tur? Ægrè certum aliquem definiam (pendet sæpè à temporibus res, tum à magnitudine cujusq; regni:) tamē communiter καὶ παχυμερῶς sic præscribo In mediocri aliquo regno, unam * Legionem satis esse, cum tribus equitum * Alis: in magno, alterum tantum. Nam Equitum numerum paullò grandiorem, quam pro modo Peditum, hic esse volo. quia è
Subsidiariis, Pedites facilè expleas, 7
& bonos reperias: at in Equite aliter est. in quo tractu & mora opus, ut *exerceas & docendū cures equo, armisq;*.

** Plenã intellegò: sex milliū*

** Plenis item; equitum quadringentorum.*

Ordinarii isti sunto. At SUBSIDIARIIS etiam opus ut te firmus: quoniam palam est, exiguam illam manum non esse ad omnem vim hostilem. Hos non aliud esse volo, quam paratas semper Auxiliares aliquas copias, sine duplici: sive ut prioribus illis in acie jungas, sive ut in præsi-
dia distribuas opidorum. Qui hoc 8
ab Ordinariis differūt, quod illi qui-

Liv. 27.

Tacit. de Mo-

dem

dem toto genere vitæ milites sint, & *tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma, bello reserventur:* ribus Germ.

Isti, dumtaxat *juventus sueta armis, & more militiæ exercita.* 1. Histor.

0 Qui extra belli tempus, *in artes vitasq; varias dispersati.* Sallust. ad Cæs.

1 Res suas agunt: per bellũ evocantur, & eamdem aut similem operam tibi, quam Mercenarii, præstant, Sed Tacit.
2 hoc meliorem: quod non solùm *reverentius & æqualius duci parebunt.* 2. Hist.

3 Sed etiam minus impendiosi tibi erunt. quoniam omninò *vilius constat armis erudire suos, quam alienos mercede conducere.* Veget. 1.c.28.

4 Quod exteri illi in itu & reditu consumunt, hoc si in armandis istis impendis & exercendis: egregiã habes, & ad manum tibi semper militarem manum. Nam illi longinq; accersendi, & cum dispendio sæpe exspectandi sunt: hi in tua sede, uno e-
5 dicto evocantur & adsunt. Unde eos parabis? è pagis. Nam opida hic fugio caussa duplici. primum, quia omnino melior ad arma rustica plebs.

Ut

*Cap. ut * mox dicam: deinde, quia securi-
sequent. tati etiam Principis consulo & quie-
ti. Nam ab armis ferociorem & ma-
gis exultantem populum fieri, non
est negandum. quæ si opidanis pas-
Tac. 3. sim adtribuis: vereor ne locis & mœ-
Annal. nibus fieri *rebellionem* fortasse *cœptēt.*
Ibidē. Ut solent homines, *Odio præsen-* 1
tium & cupidine mutationis:
1. Hi- Atque ita *patefieri occasio etiam ad-*
stor. *versum te possit*.

Qui metus longè à Paganis. tum
quia natura mitiores; tum quia variè
sparsi & diducti, non temerè consen-
tiant & coëant in unum. Nec enim
illa in Subsidiariis mea mens; quàm
ut per pagos vicosque singulos qui-
ni, deni, viceni (ut frequentia aut in-
frequentia incolorum erit) descripti
instructique habeantur: iidemque in
centurias & cohortes suas tunc de-
nique conveniant, cum erit bellum,
Quos grandi aliquo numero esse 12
quidni suadeam? Nam revera hoc il-
Sall. lud est, *Bellum parare simul & ærario*
Jug. *parcere.*

Si triginta aut quadraginta mil-
lenarias.

lenarias cohortes (ita dividam, non in legiones) ex istis legas; utile censeam: imò si plures. sed Peditum tantum. Nam Alas rusticis non attribuo: & melius, ut in Nobilitatem & in *dites hæc à pauperibus onera inclines.*

Plura & tenuiore filo, de utilissima re in Notis.

CAP. XII.

Fere cum Dilectu utriq; capiendi: & Notæ quinque ordine positæ, germanæ in milite virtutis.

SUMMARIA.

1 *Pars præcipua Dilectus, Excerptio & Judicium.*
2 *Sunt notæ certæ militaris animi.*
3 I. Patria.
4 *Urbicolæ non boni:*
5 *Procaces,*
6 *Molles.*
7 *Agrestes boni:*
8 *Laboriosi.*
9 *Duri.*

10 Sine

10 *Sine commerciis.*
11 *Sine deliciis.*
12 *Optimi etiam ex istis silvestres & montani.*
13 *Aut ad mare horridum.*
14 II. Ætas.
15 *Juvenes legendi.*
16 *Seniores haud apti.*
17 III. Corpus.
18 *Grande quidam probant.*
19 *Nos mediocre.*
20 *Quod siccū vegetumq; potius, quam fluidum.*
21 IV. Animus.
22 *Audaces probi.*
23 *Fati sui securi.*
24 *Gloria avidi.*
25 *Verecundi.*
26 V. Vita.
27 *Mollium artium cultores, mali.*
28 *Sedentarii mali.*
29 *Viles aut infames, mali.*
30 *Idonei ad Dilectum amovendi.*
31 *Isq; iterandus.*

QUos eligas, dixi: pars altera Judicii superest, Quomodo. Nec enim passim profectò aut temere oblati adsumendi: sed *castra quoq;, quos ad labo-*

ad laborem & periculum accipiunt, fastidiosè legunt. Senecæ Epist.

Quid mirum? *Vires regni, & Romani nominis* (ait ille) *fundamentum, in prima Dilectorum examinatione consistunt.* Veget. 1. ca. 7.

Quo magis hæc pars tibi cum cura habenda, & *cum constet, in omnibus locis, & ignavos & strenuos nasci:* Cap. 2.

Illi seria inquisitione reiiciendi, hi capiendi sunt; si fortem quidem mi-
2 litiam vis & felicem. Boni autem robustique militis certa inditia & velut Notæ sunt, ad quas non fallaciter eum legas. Quas facio quinque: Patriam, Ætatem, Corpus, Animum,
3 Vitam. Nomine PATRIÆ intellegi palam est locum, ubi quis natus aut educatus. quem haud temerè in Dilectu consideres: quoniam profectò *locorum asperitas hominum quoque ingenia durat.* Curt. 7.

4 *Fortior miles è confragoso venit: segnior est, urbanus & verna.* Seneca Epist.

5 Itaq; in utravis militia hunc spetno. *Nam vernacula* illa *multitudo, lascivia sueta, laborum intolerans:* Tac 1. Annal.

Mercu-

Mercurio addicta, qui effeminat. 6
3. Annal. semperque homines, *quanto pecunia dites & voluptatibus opulenti, tanto magis imbelles.*

Veget. 1.cap.3. *Ex agris ergo*, nostro judicio, *supplendum robur præcipuè videtur exercitus.* 7

1.de Re rust.c.1. Catonis oraculum audio: *Ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gigeuntur.*

Veget. 1.cap.3. Et usu constat *aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub divo & in laboribus enutritur.* 8

Sallust. Jug. Quæ assuevit *hiemem & æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare.* 9

Cæs. 1. de Bello Gallico. *Minimeque ad eos mercatores sæpè commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important.* 10

Sallust. Catil. *Talibus viris, non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erit, non armatus hostis formidolosus.*

Veget. 1.cap.3. *Nescio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum novit in vita.* 11

Tac. 4. Annal. Itaque ex iis leges. sed hos maximè, qui *saltuosos locos insolentes, duritia* 12

ritiæ patientiæq; magis insuevere.

13 Aut si qui septentriones & mare versus, *ipso terra sua solo & cœlo acriùs animantur.* De Mor. Germ.

14 AT Nota altera ÆTATIS est. in quo, *si antiqua consuetudo servanda est, incipientem pubertatem ad Dilectum cogendam nullus ignorat.* Veget. 1. ca. 4.

15 Quod vult etiam ipsa ratio. *Nec enim tantùm celeriùs, sed etiam perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris.* Ibidē.

Legi igitur eos suadeā, ex Romana regula, ab anno 17. aut paullū supra.

16 Nam istos grādes & veteranos si misces, una etiam vetera vitia: ut sunt propria *hujus seculi mala, inertia, & contumacia, & dedignatio parendi.* Plinius Paneg.

Ego sanè in Dilectu *non tam veteranos intuendos nobis arbitror.* Cicero Phil.

Quam eos qui possint aliquando esse boni veterani. *Neque* enim *longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio.* Veget. 2. c. 23.

Facilius autem est ad virtutem instruere novos milites, quam revocare præteritos. Idem 3. cap. 10.

Q Nota

17 Nota tertia, CORPUS, quod grande & prælongum placuisse nonnullis video? ut C. Mario, qui tironem exegit, *ita ut senos pedes, vel certè quinos, & denas uncias haberet*: (Veget. 1. ca. 5.)

18 Ut regi Pyrrho. qui *Dilectori suo fertur dixisse: Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.* (Frontin. 4. Stratag. c. 1.)

Nec temerè à viris magnis abeo: tamen, me judice, *non tam staturæ rationem habere convenit, quam virium.* (Veget. 1. ca. 5.)

Utiliusq; est fortes milites esse, quam grandes. (Id. c. 6.)

19 Placeat mihi illa *media militaris statura.* (Liv. 7.)

Sic tamẽ *ut ex vultu, ex oculis, ex omni confirmatione membrorum eligas.* (Veget. 1. ca. 6.)

20 Nempe quibus sunt *dura corpora, stricti artus, minax vultus, major animi vigor.* (Tacit. de Moribus Germ.)

Stricta, inqam, *corpora*, nec probem facilè crassulos & *superflua carne distentos.* (Veget. 1. ca. 6.)

Velocitas enim est, *quæ percepto exercitio strenuum efficit bellatorem*: (Idem 1. ca. 6.)

A qua nimirum magna illa & *fluxa corpora* aliena. (Tacit. 2. Hist.)

Nota

Nota quarta ANIMI. Nam *hoc est, in quo totius reip. salus vertitur* (ait militaris scriptor) *ut tirones non tantum corporibus, sed etiam animis præstantissimi diligantur.* Veget. 1. ca. 7.

Animus acer & præsens, & acutus idem atq; versutus, invictos viros efficit. Cicer. 2. de Orat.

Sint igitur eligendi, Audaces, *habeant confidentiam militarem.* Veget. 1. cap. 8.

Quibus sudor, pulvis, & alia talia, epulis jucundiora sint. Sallust. Jug.

———*Quos ille timorum* Luca. 1.

Maxima haud urget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis.

Ad summam, qui *nihil metuant, nisi turpem famam.* Sallust. Jugurth.

Nam hanc sanè volo timeant, Verè scriptor Græcus: Οἱ δειλότατοι πρὸς τοὺς νόμους, θαῤῥαλεώτατοι πρὸς τοὺς πολεμίους εἰσι· καὶ τὸ παθεῖν ἥκιστα δεδίασιν, οἱ μάλιστα φοβούμενοι τὸ κακῶς ἀκοῦσαι: *Qui legum metuentissimi, iidem in hostes audacissimi; & pati quidvis minimè verentur, qui malè audire maximè verentur.* Plutar. in Agi & Cleo.

 Ho-

Veget. 1. ca. 7. *Honestas enim idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, facit esse victorem.*

Ultima Nota VITÆ, id est, quo genere quæstus aut artis sese sustentent. Nam ad mollitiem aut duritiem, ignavíam aut ferociam, haud leviter hoc facit. Ibidē. Ego *piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesq; qui aliquid tractasse videbantur ad gynaecea pertinens, longè arbitror repellendos à castris.*

Liv. 8. Quinetiam *opificum vulgus & sellularii, minimè militiæ idoneum genus.*

Sed nec servi olim admissi, aut damnati judiciis: quiquegenere aut vita infames aliter quàm tunc, cum Veget. 1. ca. 7. *tales sociantur armis, quales domini habere fastidiant.*

Tac 15. Annal. Et castra adeo non casta, ut *quidquid usquàm corrumpi & corrumpere queat, in illis visatur.*

Veget. 1. ca. 7. Habes omnia de Dilectu: nisi quod duo hæc etiam moneo. Prius, ut *non leve hoc officium putes, aut passim quibuscumq; mandandum.*

Sed

Sed *à magnis viris, magna diligentia idoneos eligi* cures *juniores.*

31 Alterum, ut identidem repetas. Quia enim morbo, fuga, missione, numerus imminuitur; *nisi annis singulis, imò singulis penè mensibus, in decedentium locum juniorum turba succedat, quamvis copiosus, exhaurietur exercitus.* Idem 2. ca. 3.

CAP. XIII.

De Disciplina vera & severa dictum. Et laudata. partes ejus (idque docendi caussa) quattuor factæ. Singulæ explicatæ.

SUMMARIA.

1 Disciplinæ *utilitas:*
2 *Ac necessitas.*
3 *Nimis neglecta hodie.*
4 *Repetenda à Romanis.*
5 *Qui felicissimè ea usi.*
6 *Descriptio disciplinæ:*

7 *Ejus partes.*
8 Exercitium.
9 *Quod in omni re valet.*
Etiam hic. ibid.
10 *Dat usum armorum.*
11 *Dat victoriam.*
12 *Exercendi* Armis *milites.*
13 *Assuefaciendi ad Ordinem.*
14 *Ad imaginem omnem præliorum.*
15 *Simulata pugnæ bona.*
16 *Cum præmiolo aliquo strenuis.*
17 *Exercendi etiam* Opere *milites.*
18 *Quod corpora firmat:*
19 *Et varium usum habet belli.*
20 *Præsertim ad castra struenda.*
21 *Sive ad munitiones in hostem.*
22 *Hæc olim Romanis solita:*
23 *Hæc Germanis aliisq;.*
24 *Nos, heu desides!*
Emendemus: ibid.
25 Ordinis *usus in exercitu.*
26 *Ad digerendum.*
27 *Ad imperandum.*
28 *Ad incedendum.*
29 *Ad standum in acie.*
30 *Deniq; contra omnem turbam.*
31 *Ordo in ipsis castris habendus.*

Assi-

Assignatione certa locorum. eod.

32 *Divisione contuberniorum.*

33 Coercitio & *adstrictio morum usurpanda.*

34 *Maximè circa tria.*

35 *Vitandus duplex luxus.*

36 *A quo mollities & languor.*

37 *Modestia servanda.*

Jactabundi, otiosi: ibid.

38 *Imò & ignavi.*

39 *Vera virtus, tacita.*

40 *Facit, non dicit.*

41 *In curia verbis opus, in pugna manibus.*

42 Splendor & *jactantia in vestitu vitanda.*

43 *Miles horreat.*

44 *Cæsar hic disciplinæ negligens.*

45 *Fortunæ suæ confisus.*

46 *Nos malumus armari pulcrè militem.*

47 *Hodie negligitur, magno malo.*

48 *Patientia decet militem.*

49 *Non inquisitio aut retractatio.*

50 *Tria ejus munera.*

51 *Imperatori jussio relinquenda:*

52 *Militi sola executio.*

53 *Breve sed pulchrum dogma.*
54 Violentia *arcenda à Milite.*
55 *Ne Provinciales infestet:*
56 *Nec passim rapiat.*
57 *Veterum hic observantia mira.*
58 Præmiis *miles erigitur:*
59 *Pœnis idem continetur.*
60 *Indulgentia pernitiosa.*
61 *Armati asperè habendi.*
62 *Hocq; ipsos delectat, et si nõ delectat.*
63 *Temporum tamen inspectio esto.*
64 *Ad Romanos iterum relegatus Princeps.*

Valer. 2. ca. 2. SEd *venio nunc ad præcipuum decus* 1 *& stabilimentum imperii* MILITARIS DISCIPLINÆ *tenacissimum vinculum:*

Ibidẽ. Ex *cujus sinu omnes triumphi manarunt.*

De qua verissimè Imperator ille ad milites: *Disciplina majorum rempubl. tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus.* (Alexan. Sev. apud Lamprid.)

Nam sine ea quid Dilectus? ille saltem qui possint esse boni milites, invenit; sed hæc, facit tales & servat.

Paucos,

Paucos viros fortes natura procreat, bona institutione plures reddit industria. Veget. 3. c. 26.

3 At ea tamen hodie non dicam languet apud nos, sed obiit; neque mala, sed nulla est. Ut omnino, si reducere & insinuare eam volumus; *de historiis vel libris, nobis antiqua consuetudo repetenda sit:* 1. ca. 8.

4 Et maximè Romanorum. Quis enim populus melius aut firmius eam coluit? Imò *Disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam caritas liberorum.* I.G.I. 19. De capt.

5 Magno quidem cum fructu: quoniam, si inspicimus, ea sola *acriter retenta Principatum terrarum Romano imperio peperit.* Vall. 2. cap. 2.

Qua ipsa de caussa, tu animose Princeps, *omnibus imperii nervis ad revocandam pristinæ disciplinam militiæ debet conniti:* Ibidē.

6 Me, pro viribus, adjuvante & præeunte. Appello autem Disciplinam, SEVERAM CONFORMATIONEM MILITIS AD ROBUR ET VIRTUTEM.

7 Partes ejus sive munia (ut quæ va-

riè sparsa sunt, in doctrinę quendam
gyrum redigam) facio quattuor: Ex-
ercitium, Ordinem, Coërctionem,
Exempla. Priores duę ad ROBUR spe-
ctant maximè; tertia ad VIRTUTEM;
quarta ad utiumque. Per EXERCI- 8
TIUM, intellego, ut electum militem
assiduè ad Arma condocefacias &
ad Opus. Ipsum nomen ita suadet.
Varr. 4. de L. L. nam *Exercitus dicitur, quod melior fit
exercitando.*

Ipsa res & ratio. Cum enim ad o- 9
mnes artes perficiendas usu aliquo
& exercitio opus sit: cur id in ista mi-
Veget. 3. in Præfat. litari neglegamus, *sine qua alia artes
esse non possunt?*

Vulcat. in Avid. Cassio. Cassius solebat dicere: *Miserum* 10
*esse, cum exerceantur athletæ, venato-
res, & gladiatores, non exerceri milites.
quibus minor esset futurus labor, si con-
suetus esset.*

Inò & felicior labor. Nam *in o-* 11
Veget. 1. cap. 1. *mni prælio, non tam multitudo & virtus
indocta, quam ars & exercitium solent
præstare victoriam.*

2, c. 23. Ergo tu curabis, ut *sive Legio sive* 12
Auxilia fuerint, exerceantur assiduè.

Quo-

Quomodo? Primum *tironibus, per cottidiana exercitia, Armorum est demonstranda doctrina.* 1. ca. 8.

Idque exemplo veteri, à *Campidoctoribus.* Veget. & alii.

1 Ut *missile, & destinato ictu, & magnis viribus jaciant:* 1. ca. 4.

Ut *norint tractare scutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere.* Ibidē.

13 Ut militari gradu *ambulare celeriter & æqualiter discant:* cap. 8.

Sic ut *ne locum deserant, ne ordines turbent.* cap. 4.

14 Denique, ut *quæcunque evenire in acie atque præliis possunt, omnia in campestri meditatione prænoscant.* cap. 1.

15 Cui rei utile, eos interdum *inter se, in modum justæ pugnæ concurrere:* Liv. 26.

16 Ac tum præmium etiam aliquod proponi: καὶ ταῖς ἱππικαῖς τάξεσιν, ἥτις κράτιστα ἂν ἱππεύοι: καὶ ταῖς ὁπλιτικαῖς ἥτις ἄριστα σωμάτων ἔχοι: *& equestribus turmis, quæ equo optimè utentur; & Legionariis cohortibus, quæ corpus decentissimè gerent sub armis.* Xenoph. in Agesilao.

17 Hoc armorum exercitium esto: sed addo & Operis, ut cōdiscat tiro assi-

Veget. duè *Laborare, decurrere, portare pon-*
1. ca. 3. *dus, & solem pulveremq́; ferre.*
3. c. 26. Indurant hæc militem : & *exerci-* 1
tus labore proficit, otio consenescit.
Sed usum quoque sæpe habent, 1
1. c. 19. cum *in arduis expeditionibus necessitas imminet annonam pariter & arma portandi.*
cap. 21. Nec ista tantum, sed *castrorum* 2
quoq; munitionem debet tiro condiscere.
cap. 4. Eoque fine *fossam ducere, & sudes scienter figere.*
cap. 21. Cur pigeat? *Nihil neq; tã salutare,*
neq; tam necessarium invenitur in bello: 1
Sive ut te tueare, sive ut hostem
Fron- premas & circumvalles. Sanè *Domi-*
tin. 4. *tius Corbulo, Dolabra, id est, operibus,*
Strat. *hostem vincendum esse dicebat.*
cap. 8. Hæc nova, inquiet aliquis. Imò
pervetera: nec Romanis tantum u-
Cice. 2. sitata, de quibus audi Tullium: *Qui*
Tuscu. *labor, & quantus agminis? Ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallũ. Nam scutum, galeam, gladium, nostri milites in onere non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus:*

Sed

13 Sed etiam priscis Germanis. è quibus Catti militem suum, *super arma, ferramentis quoque & copiis onerabant*. (Tac. de Moribus Germ.)

14 Aliis etiam gentibus. Atque hæc vera, hæc pulchra militia: non ista nostra, ubi in agmine plus calonum, imo & scortorum est, quàm militum. Nam fossores & ejusmodi operas, Deus bone, quanto labore quærimus, sumptu circumducimus! Sapiamus tandem, & cum Pertinace *Militemus*. (Capitol. in Pert.)

Nec hæc credantur esse difficilia, si usus accesserit. (Vale. 1. cap. 19.)

Omne opus difficile videtur, antequam tentes: (2. c. 18.)

At *nihil est, quod non assidua meditatio facillimum reddat*. (1. c. 19.)

Et cur *desperes fieri posse, quæ facta sunt?* (5. c. 10.)

15 Jam pars altera Disciplinæ, ORDO: qui multipliciter in Militia seruandus. Primum in digerẽdis copiis per legiones, cohortes, centurias, decurias. quod pulchrum: quoniam τεταγμένη ἡ στρατιά, κάλλιστον μὲν ἰδεῖν τοῖς. (Xeno. Oeco.)

τοῖς δυχερέσταζον ἢ τοῖς πολεμίοις: *Ordinatus exercitus, jucundissimus aspici amicis, molestissimus hostibus.*

Liv. 5. Sed & utile. quia *acies distinctior & ex pluribus partibus constans, facilis parti enti quacunq; opus sit, facilis jungenti.* 2

Tac. 1. Histor. Eademq; facilior ad Imperia: cū *miles scilicet centurioni, centurio tribuno obsequitur.* 2

Seneca Epist. Atq; ita ordine, *imperium Ducis simul omnes copiæ sentiunt.*

Ibidē. Et *ad nutum regentis, sine tumultu respondent.*

Tac. 1. Histor. Certum enim & clarum est, non omnia omnibus imperanda: sed *ita se ducum auctoritas, sic rigor Disciplinæ habet, ut multa Centuriones Tribunosque tantum juberi expediat.*

Veg. 1. cap. 4. Jam id quoq; videndum, *in Itinere vel in Acie, ut omnes milites incedendi ordinem servent.* 28

cap. 26. *Ut æquali legitimoq; spatio miles distet à milite.* 29

Ibidē. *Nec ultra quam expedit, aut conglobent agmen aut laxent.*

Grande in his rebus momentum: 30

& sæ-

& ſæpe integri exercitus perire à tali aliqua confuſione. Ἔστιν δ' οὐδὲν οὕτως Xenoph. οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ Oeco. τάξις : *Eſt vero nihil tam utile aut decorum hominibus quam ordo.*

31 Quem in Caſtris etiam mihi ſerva. ut illa habeant apta dimenſione vias ſuas, portas, fora : & ſint velut ad formam minutæ urbis. Ibi *pro* Veg. 3. *gradu, legionibus, auxiliis, equitibus, & peditibus, loca in quibus papiliones tendant, deputentur :* cap. 8.

Sic ut facile cuiq; ſit & locũ ſuum
32 & cõmilitiones repetire. Nec enim ſolum per Centurias velim eos tendere, ſed hæ *in Contubernia diviſa ſint:* 1. cap. 3. *ut decem militibus ſub uno papilione degentibus unus præſit Decanus, qui caput contubernii nominetur.*

Et plura talia, quæ alieno iſto & pæne aranearum funiculo ægrè necto. tu prompta ea habes apud Polybium maximè, ac ſcriptores Romanos.

33 Pars tertia, Coercτio : quæ mores ſcilicet militum coërcet ac frenat. Nam etſi, *neſcio quo pacto, aſſiduè*

dimi-

Cassi- *dimicantibus difficile est morum custo-*
od. 1. *dire mensuram.*

Var. e- Tamen custodiendi aliquatenus:
pist. 9. aut solvitur militia tua, imo perit.
Tria sunt, sine quibus non robur in 34
exercitu, non ordo: Continentia,
Modestia, Abstinentia. Servabis hęc
igitur. Continentiam primo, in Ci- 35
bo & Venere. id est, ne milites tui ef-
Sallust. fusè sint *conviviis & ventri dediti, &*
Jugurt. *turpissimæ parti corporis.*

Tac. 2. Utraq; res enervat: & *degenerat à* 3
Histor. *robore ac virtute miles assuetudine vo-*
luptatum.

Indid. *Si quid ardoris ac ferociæ habuit, po-*
pinis & comessationibus deteritur.

Seneca Haud vane olim dictum; *Una*
Epist. *Annibalem hiberna solverunt, & in-*
domitum illum nivibus atq; Alpibus, e-
nervaverunt fomenta Campaniæ. Ar-
mis vicit, vitiis victus est.

Quę tu cave & arce severiter à ca-
Tac. 1. stris tuis *luxuriosos apparatus convivi-*
Histor. *orum, & instrumenta libidinum.*

MODESTIAM secundo exiges, 3
eaque tripliciter, in Verbis, Vesti-
bus, factis. In Verbis: ne sint vani,

buccæ rigidi, & quod dicitur, Attici
milites, qui *in conviviis & circulis,* Liv. 32.
cum de hostibus mentio incidit, vix ma-
nibus temperant:

8 Sed iidem vix vultum eorum su-
stinent. Nam id eventu semper fir-
mum: *Ignavissimus quisq;, & in peri-* Tac. 1.
culo minimum ausurus, nimii verbis, Histor.
lingua feroces.

9 Videbisque *viros natos militiæ, fa-* Liv. 10.
ctis magnos, ad verborum linguæq; cer-
tamina rudes esse.

Egregie noster: *Fortissimus in ipso* Tac. 1.
discrimine exercitus, qui ante discrimen Histor.
modestissimus.

Itemq; Philosophus: Οἱ καὶ ἀνδρεῖ- Arist. 3.
οι, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύ- Ethic.
χιοι: *Viri fortes, in opere acres, ante id* ad Ni-
placidi. com.

Quibus scilicet *pectus animorum,* Liv. 7.
iraque tacita plenum, omnem ferociam,
in discrimen ipsum certaminis differt.

10 Compesce igitur ventosas lin-
guas, & cum Memnone edicito? *Pu-* Plutar.
gnare te conduxi, non conviciari. Apoph.

11 Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' Home.
ἐνὶ βουλῇ. Iliad. π.

Lingua

Lingua in consilio valet, in certamine dextra.

Sall. Ca. In Vestibus modestiam eam quæro. quia etsi melius, eos *in decoris armis & militaribus equis, quàm in scortis atq; conviviis libidinem habere:* 4

Tamen servari modum valde approbem, & sperni externum omnem luxum. Magni duces sic statuerunt, 4

Liv. 9. *Horridum militem esse debere, non cælatum auro argentoq;, sed ferro & animis fretum.*

Ibidē. *Quippe illa prædam verius quam arma esse nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera.*

Curt. 3. Tales prisci illi Macedones, *non auro neq; discolori veste, sed ferro atq; ære fulgentes.*

Sueto. Jul. cap. 68. Etsi Cæsar in mente alia. qui suos 4 *habuit tam cultos, ut argento & auro politis armis ornaret; simul & ad speciem, & quo tenaciores eorum in prælio essent metu damni.*

Ibidē. Sed nempe Cæsar. qui rigidæ & 4 priscæ Disciplinæ adeo nō retinens, ut sit *jactare solitus, Milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse.*

Tu

Tu sperne supervacua, *nec teneat, aut terreat vanus aspectus, & auri fulgor atq; argenti: quod neq; teget, neque vulnerat.* Tacit. Agric.

46 Multò magis hoc vide, ut bene armati tui sint, quàm ut ornati. *Necesse est enim, ut dimicandi acriorem sumat audaciam, qui munito capite & pectore, non timet vulnus.* Veg. 1. cap. 20.

47 At nunc (pudor!) *gravis pediti lorica videtur & galea.* Ibidē.

Ita fit, ut non de pugna, de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. Ibidē.

48 In Factis deniq; Modestiam exigo. ut obnoxii nimirum parentesq; sint, *intenti ad ducis non signum modo, sed nutum.* Curt. 3.

49 Odi curiosos aut refractarios: quique *jussa ducum interpretari malunt, quàm exsequi.* Tac. 2. Hist.

50 Bene Æmilius Paullus: *Militem hæc tria curare debere. Corpus ut quam validissimum & pernicissimum habeat: Arma apta: Animum paratum ad subita imperia.* Liv. 44.

Cete-

Ibidē. *Cetera, diis immortalibus & Imperatori cura esse.*

Tac. 3. Histor. Enimvero *divisa inter duces milites que munia:*

1. Hist. *Illis arma & animus sint; istis, consilium & virtutis suæ regimen relinquant.*

Ibidē. *Parendo potius, quam imperia ducum sciscitando res militaris continetur.*

Thucyd. 2. Mihi Brasidæ monitum pro pulchro: Νομίζετε, ait ad suos, εἶναι τὸ καλῶς πολεμεῖν, τὸ ἐθέλειν· καὶ τὸ αἰσχύνεσθαι, καὶ τὸ τοῖς ἄρχουσι πείθεσθαι: *Censete hæc esse bona militia, Velle, Vereri, Obedire.*

Cassiod. 11. Var. epist. 23. Tertiò ABSTINENTIAM ingessi. qua volo, milites à vi rapinisque abesse, & habere manus puras. *Non permittes milites esse possessoribus insolentes.*

Idem 7. epist. 4. *Vivant cum provincialibus jure civili; nec insolescat animus, qui se sentit armatum. quia clypeus ille exercitus tui, quietem debet præstare paganis.*

Idem 7. epist. 6.

Vopisc. in Aurel. *Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, sege-*

segetem nemo det erat, oleum, sal; lignum nemo exigat, annona sua contentus sit.

Deniq; ita transeant, *ut non modò manus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur.* Cic. p Leg. Manil.

An rideor? ut nunc mores sunt, credo. At apud veteres tam strictè hæc in usu: ut *memoria tradiderit Scaurus, promiseram arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.* Fronti. 4. Strat. cap. 3.

8 Pars ultima Disciplinæ, EXEMPLA: quo nomine Præmia intellego & Pœnas. Nam profectò ad robur & virtutem militum excitandam utraque hæc valdè possunt. Præmia quidem, si benè meritis ea tribues: & Promotiones, Honores, Opes miles sperabit ab insigni aliquo facto. Necessum est acrius ille dimicet, *quem ad opes ac dignitates ordo militiæ & Imperatoris judicium consuevit evehere.* cap. 24.

Notum illud est: *Eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum ac honos speretur.* Liv. 4.

Et,

Tac. 11. Annal. Et, *Nihil à quoquam expeti, nisi cujus fructus providerit.*

Itaque Romani hic mirifici. qui non solum altiores ordines assignabant à virtute: sed etiam publicè laudes cumulabant & honores. donabantq; pro concione, hastas, phaleras, coronas.

Jam Pœnis quoq; omnino opus, 59
& Severitas vel efficacissima ad militiam firmandam. Clearchi vox fuit:

Vale. 2. cap. 1. *A militibus Imperatorem potius, quàm hostem metui debere.*

Cæs. 3. Bel. Civ. Nam *indulgentia & largitio, speciosum reddunt præsentem exercitus amorem, paullatim tamen & occultè militarem disciplinam severitatemque minuunt.* 60

Tac. 13. Annal. At *delicta militum nulla venia prosequi, usu salubre & misericordia melius* semper *apparuit.* 61

Vale. 2. cap. 2. Astringe igitur. *Aspero & abscisæ castigationis genere militaris Disciplina indiget. quia vires armis constant: quæ ubi à recto tenore desciverunt, oppressuræ sint nisi opprimantur.*

Gaudet eo ipse miles. 62

jam

——*jam diri fœderis ictu* Luc. 5.
Parta quies, pœnaq; redit placata juventus.

Discrimen tamen aliquod tibi militaris Doctor ingerit. *Milites*, inquit, *pœna & timor in sedibus corrigũt; in expeditionibus, spes & præmia faciunt meliores.* Veg. 3. c. ult.

Dixi de Disciplina, ut potui alienis verbis, distinctè & apertè. Sed iterũ inculco, si plenam legitimamq; eam vis, *Disciplinam militarem populi Romani debes inquirere, qui ex parvissimis finibus, imperium suum penè solis regionibus & mundi ipsius fine distendit:* Idem 1. cap. 8.

Idq; post DEUM, hac una duce.

CAP. XIV.

Transitum ad Duces. Eos necessarios, non solum utiles. Duplices esse. Semper in iis Peritiam magis quã Virtutem spectari. & unum in uno bello esse debere.

SUM-

SUMMARIA.

1 Ducum necessitas.
2 Ut illis talis miles.
3 Duplici discrimine Duces: Primarii, Secundarii.
4 Supremi Duces an præliis interesse debeant.
5 Pro affirmante.
6 Pro negante.
7 Solutio. Aliquando intersit.
8 Aliquando absit.
9 Exitiosi tamen plures Duces.
10 Semperque uni bello unus præficiendus.
11 Miles potius, quam vir bonus.

DE Militibus, perduxi quo volui: alteri nunc è Viris stilum & manum meam postulant, id est, Duces. Quos utiles bello esse quid dicam? imò necessarios: animam nempè exercitus, & vitam ipsam. adeò ut verè scriptum sit, *Militarem sine duce turbam, esse corpus sine spiritu.* Cur.10.

Et,

Et, *ut remiges sine gubernatore; ita milites sine Imperatore nihil valere.* Quinctil. 5.

2 *Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem*, alibi leges. Flor. 2. cap. 18.

Benè & peritè iste dirigit? ille bonus. malè? malus. Itaq; tu ((*quod rarissimum, nec nisi ratione Disciplinæ concessum*) *plus in Duce repones, quàm in exercitu.* Tacit. de Moribus Germ.

3 Illum ante omnia quæres; talem, qualem describam. Duo enim genera Ducum: Primarii, Secundarii. Illi, QUI SUMMÆ REI IMPERANT, SUISQUE AUSPICIIS ET DUCTU REM GERUNT. Isti, QUI IMPERANTIS ALTERIUS NUTU SIVE JUSSU IMPERANT ET SUO SALTEM DUCTU REM GERUNT. In prima classe, quivis Rex aut Princeps, in suo solo: in altera, ii qui ab his constituuntur Administri bello-
4 rum & Legati. De prioribus illis. cum bellum est, *interesse eos pugnæ an seponi melius foret, dubitavere.* Tacit. 1. Hist.

Nec injuria. Adesse enim ipsi rebus debere videntur. quoniam

Plaut. ——— *Vbi summus Imperator non* 5
Amph. *adest ad exercitum,*
Citiùs quod non facto est usus, fit, quàm quod facto est opus.

Adde, quod præsentia sua robur & vires inspirant militi, nec malè Antigonus olim trepidanti gubernatori (in navali prælio contra Ptolemæi duces) & multitudinem hostilium
Plutar. navium causanti: Ἐμὲ δ᾽, ἔφη, αὐτὸν
Apoph. παρόντα πρὸς πόσα ἀντιτάττεις: *Me verè ipsum*, inquit, *præsentem eum quot comparas?*

Tac. 2. Rectè, sed tamē altrinsecus caussa 6
Hist. ambigendi etiam: quia tutius videtur, ut ille summus *dubiis præliorum exemptus, summæ rerum & imperii seipsum reservet.*

Egesi. Nam *in milite, unius sors est, in Im-*
5. c. 30. *peratore universorum periculum.*

Ego, distinctiuncula rem expedio. 7
Tac. 4. Nam *si status imperii, aut salus provin-*
Histor. *ciarum in discrimine vertatur, debebit in acie stare.*

Ibidē. At censeo *minora bella, minoribus* 8 *ducibus delegenda.*

3. Ann. *Non enim decorum Principi, si una altera-*

alterave civitas turbet, omitti urbem, unde in omnia regimen.

Ergo interdum ibit ipse, interdum mittet. Pluresne? nihil impedit: sic tamen ut imperii militaris summa
9 sit penes unum. Semper enim reperies: μέγα βλάψαι καὶ τὸ πλῆθος τῶν στρατηγῶν, καὶ τὴν ἀναρχίαν: *Plurimum nocere & multitudinem imperantium, & regimen nullum aut incertum.* Thucyd. 6.

Nec de nihilo invaluit adagio:

Πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν:
Multi imperantes perdidere Cariam. Proverbialis versus.

10 Ergo legendus aliquis unus peritus, prudens. ne is *quem tu imperare jusseris, is sibi alium Imperatorem quaerat.* Sallust. Jug.

11 Nam peritiae potissima hic ratio. & rectè Aristoteles: Ἐν τῇ στρατηγίᾳ, εἰς τὴν ἐμπειρίαν μᾶλλον δεῖ βλέπειν, τῆς ἀρετῆς: *In bellica praefectura major aspectus habendus Peritiae, quam Virtutis aut morum.* 5. Polit. cap. 9.

CAP. XV.

Boni Ducis τεκμήρια *sive Notæ. quinq; eas videri: quas ordine explicamus.*

SUMMARIA.

1 *Quæ spectanda in bono Duce.*
2 I. Scientia *sive peritia.*
3 *Quæ ferè à periculo utriusq; fortunæ.*
4 II. Virtus.
Vt Alacer, actuosusq; sit. ibid.
5 *Suis praeat & verè ducat.*
6 *Internas etiam virtutes habeat.*
7 III. Providentia.
Cautus esto. eod.
8 *Et si calidos amat vulgus.*
9 *Sed Temeritas alienissima à Duce.*
10 *Ianus ille esto.*
11 *Nam properi, ruunt.*
12 *Agunt, non patrant.*
13 *Lenti, firmiores.*
14 *Efficaciores.*

Sed

SEd ut totum hoc magis tibi resefrem, & clarius liqueat, qui utiliter capiendi; ego tibi veros germanosque Duces & eorum partes, paucis nec vanis coloribus depingam. Tu da mihi mentem, & quod in sacris olim acclamari solitum; Hoc
1 age. Ego in legitimo Duce quinque hæc requiro: Scientiam, Virtutem, Providentiam, Auctoritatem,
2 Fortunam. SCIENTIAM: nempe ut artis suæ gnarus sit, & qui militiam longo usu combiberit, non auditione solum aut lectione. *Qui plures*, inquam, *per provincias stipendia expleverit*: Tacit. 3. Ann.

Et *nullum genus belli sit, in quo illum non exercuerit fortuna.* Cic. pro Annil. Ibidē.

3 Qui norit, *quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendoq; bello modus.* 1. Ann.

Qui *secundarum ambiguarumque rerum sciens, eoq; interitus.*

Nam isti assiduè in rebus prolixis & lætis, displicent *nec temere adversa casuum repetat, quem fortuna nūquam decepit.* Liv. 30.

Tac.12. Annal. VIRTUTEM secundò adjungo: 4
& intellego Corporis ingeniique vigorem quêdam, & simul animi probitatem. Vigorem in his talibus: ut *exerceat legiones etiam sine bello; cura, provisu, perinde agat, ac si hostis ingruat.*

3. Hist. Ipsemet *plerumq; in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore.*

Qui ausit 5

Sil. 1. *—— primus sumpsisse labores,*
Primus iter carpsisse pedes.

Liv. 7. Quiq; adeo de se possit effari: *Facta non dicta mea, vos milites, sequi volo: nec disciplinam modo, sed exemplum etiam à me petere.*

Ipse manu sua pila gerens, praedit anheli
Militis ora pedes. monstrat tolerare labores,
Non iubet.

Cic. p Leg. Manilis. Denique breviter; cui adsit *Labor in negotio, Fortitudo in periculo, industria in agendo, Celeritas in conficiendo.* 6

At Animi virtutes adhibendæ etiam 6

iam quædam sunt. *Non enim solùm bellandi virtus in summo atq; profecto Imperatore quærenda est, sed multæ sunt partes eximiæ, huius administræ comitesq; virtutis.* Ibidē.

Quanta in Innocentia debent esse Imperatores? quanta omnibus in rebus Tēperantia? quanta Fide? quanta Facilitate? quanta Humanitate? Ibidē.

Quæ nisi aut omnia, aut pleraq; habeat, *non ego possum Imperatorem in aliquo numero putare.* Ibidē.

7 At tertiò PROVIDENTIAM laudo: id est, cautos cunctantesque duces, *nullo loco, nisi quantum necessitas rogat, commissuros se Fortunæ.* Liv. 21.

Sperno equidem istos *ferociter omnia ac præpropere agentes:* Indid.

Et *contemnendis, quàm cavendis hostibus meliores.* Tac. 4. Hist.

8 Etsi grati sæpè vulgo. quoniam stolidis aut *barbaris cunctatio servilis, statim exsequi regium videtur.* Ann. 6.

Ac sane *si militaris suffragii res sit, haud dubie Minutium* aliquem *Fabio præferant ducem.* Liv. 22.

9 Non tu sic desipies. magisq; cum

Sueto. Augu. cap. 25. Augusto, *Nihil minus in perfecto duce, quam festinationem temeritatemq; convenire, arbitrabère.*

Et cum Sertorio: Ὅτι δεῖ τὸν στρατη- 1
Plutar. in Sert. γὸν κατόπιν μᾶλλον, ἢ κατὰ πρόσωπον βλέπειν: *Quod oporteat ducem respicere magis, quam prospicere.*

Cato ap. Veget. 1. cap. 13. *Præliorum enim delicta emendationem non recipiunt.*

Et ut ille ajebat: οὐκ ἔστιν ἐν πολέμῳ δὶς ἁμαρτεῖν: *Non licet in bello bis peccare.*

Plutar. Apoph. Liv. 12. Atqui peccat pænè necessario, qui 11
festinat. *Temeritas, præterquam quod stulta est, etiam infelix.*

Lib. 3. Nōne exposita ad omnes laqueos? Polybius pulchrè: προπέτειά γε μὴν καὶ θρασύτης καὶ θυμὸς ἄλογος, ἔτι δὲ κενοδοξία καὶ τῦφος, εὐχείρωτα μὲν τοῖς ἐχθροῖς, ἐπισφαλέστατα δὲ τοῖς φίλοις. πρὸς γὰρ πᾶσαν ἐπιβουλήν, ἐνέδραν, ἀπάτην ἕτοιμος ὅ γε τοιοῦτος: *Celeritas & Audacia & Impetus præter rationem, & Vanitas ac typhus, hostibus quidem percōmoda, noxia verè maximè amicis. Nam ad omnes insidias, fraudes, atq; astus obnoxius est hic talis.*

Quod

Quod si tamen non labitur: quid efficit? parum. & *Temeritas ubi primum impetum effudit, sicut quædam animalia, amisso aculeo, torpet.* Cur. 4.

Ergo omnino ex Euripideo scito,

Ἀσφαλὴς μὲν ἐς' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης: Eurip. in Phœnis.

Melior est Dux cautus, tutus, quam projectè audaculus.

Sine timidum, pro cauto; tardum, pro considerato; imbellem pro perito belli vocent: Liv. 12.

Sine *læti* sint *in vulgus milites, ferocia ducis.* Indid.

Malo te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Indid.

Ista nubes, quæ sedit in montibus, sollicitata procella aliquando *imbrem dabit.* Indid.

Non enim ego, ut nihil agatur, moneo: sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna. Indid.

Quanquam utinam & ista adsit! Nam quarto loco in Duce desiderio FELICITATEM. Ea sane comes ferè consilii & rationis est, sed tamē paullo benignius quibusdam attributa à

Cic. pro Leg. Manil. Deo. Ille unus ejus auctor: *eamque præstare à seipso nemo potest.*

Prouerbialis versus. Θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτοῖς: *Felicitas est munus à summo Deo.*

In Epinom. Etsi igitur Providētia potens valdè ad successum: tamē ego cum Platone censeo, στρατηγικὴν τέχνην εὐτυχίας πλείστης δεομένην: *militarem artem plurima fortuna egentem.*

16 Eustac. in 2. Iliad. Sunt enim quidam profectò ἐν τετράδι γεννηθέντες: *quarta luna nati.*

Ex A. gel. *Qui domi habent equum Seianum.*

17 Cic. pro Manil. Adeo cuicumque rei manum aut mentē admovent, ea se avertit. Contra alii, *quibus etiam venti tempestatesq; obsecundant.*

Itaq; in Ducibus deligendis, hanc quoque sortem aspiciam: & *existimo olim Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis Imperatoribus, non solùm propter virtutem, sed etiam propter Fortunam, sæpiùs imperia mandata atque exercitus esse commissos.*

18 Cic pro Leg Manil. Postremum AUCTORITATEM requisivi. *Vehementer enim pertinet ad bella administranda, quid hostes, quid*

quid socii, de Imperatoribus existiment.

19 Ea * proles maximè Felicitatis videtur: tamen apud Tuos etiam paranda ab astricta quadã imperii forma. Vegetii monitum prudens *Dux*, inquit, *Auctoritatem maximam severitate sumat. omnes culpas militares legibus vindicet, nulli orantium credatur ignoscere.* * Dixi libro 4. cap. 9. 3. c. 10.

20 Nam faciles profecto isti & mites, vilescunt. Benè olim Scipio: τοὺς μὲν αὐστηροὺς καὶ ἐννόμους τῶν στρατηγῶν, τοῖς οἰκείοις. τοὺς δὲ εὐχερεῖς καὶ φιλοδώρους, τοῖς πολεμίοις εἶναι χρησίμους: *Ducum austeros & rigidos, suis; at faciles & largitores, hostibus esse utiles.* Appiã. Iberic.

21 Quid ita? τὰ γὰρ στρατόπεδα τοῖς μὲν ἐστὶ κεχαρισμένα τε καὶ καταφρονητικά. τοῖς δὲ σκυθρωπὰ μὲν, εὐπειθῆ δὲ καὶ πᾶσιν ἕτοιμα: *Nam istis quidem* (facilibus) *milites delectari videntur, sed eosdem contemnunt: illos* (austeros) *adversari, sed iisdem obediunt & per omnia parent.* Ibidẽ.

22 Imo revera nec *militibus quidem* isti *ingrati, eandem virtutem admirantibus, cui irascuntur.* Tac. 1. Histor.

Præsertim si temperetur interdũ 2
Indid. aliqua comitate. *Nam favorem militibus ut largitione & ambitu male acquiras, ita is per bonas artes haud spernendus.*

Curt. 3. Uti sunt, *Exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusq; paullum à privato differens.*

Tac. 3. Annal. Item, *ut quis inops, aut saucius, vestem & fomenta dilargiri:*

Curt. 3. Aliisq; *vel ingenii dotibus vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus sis, efficere.*

CAP. XVI.

Consilia necessaria bello esse. Eorum specimen sive gustus, itemque monita, quæ usui Ante pugnam, & in pugna.

SUMMARIA.

1. Consiliorum *utilitas.*
2. *Imperatori ea necessaria.*
3. *Eventus plerumq; ab illis.*
4. *Tamen certa præscribere, arduum.*

5. Ta-

5 *Et non nemo in me carpat.*
6 *Speciem eorum damus.*
7 *Consilia nobis duplicia.*
8 Occasionis *prima ratio.*
9 *Illa arripienda.*
10 Famæ *ratio altera.*
11 *Cujus momentum in bello.*
12 *Nec tamen semper audienda.*
13 *Magis recta ratio.*
14 *Mala in bellis* Securitas,
15 *Hostiumq; contemptus.*
16 *Nihil parvum in bello.*
17 *Fiducia semper noxia.*
18 Exploratio *in hostes utilis.*
19 *Qui, quales, quanti?*
20 *Maximè, cujusmodi ipse Dux?*
21 *Cujusmodi etiam hostes?*
22 *Eorum fides tentanda:*
23 *Aut turba immittenda.*
24 *Oraculum.*
25 *Tempestive pugnandum.*
26 *Id est, raro.*
27 *Incerta enim illa alea.*
28 *Alia magis via bellandus hostis.*
29 *Mora sæpè frangendus.*
30 *Tamen interdum & Pugna.*
31 *Idq; pro re & temporibus.*

32 Puta,

32 *Puta, si diu subsistere non potes:*
33 *Aut, si meritò præsumis victoriam.*
34 *Alias, noxia semper pugna.*
35 *Prodigiorum habenda ratio:*
36 *Fortasse & somniorum.*
37 *Pugnæ ineundæ ratio:*
38 *Subito aut ex insidiis:*
39 *Aut cum oppurtunum se dat hostis.*
40 *Loci habenda ratio.*
41 *Instructionis habenda ratio.*
42 *Homericus aciei ordo.*
43 *Subsidia semper habenda.*
44 *Inopinata terrent.*
45 *Dividenda per nationes acies.*
46 *In tempore instruenda.*
47 *Dux sit confidens & lætus:*
48 *Suos hortetur:*
49 *In re trepida, non trepidet.*
50 *Suos sistat & incitet.*
51 *Providè in Victoria agendum.*
52 *Non pertinaciter instandum.*
53 *Via munienda ad fugam.*
54 *A præda arcendi milites, donec plenè vicerint.*

AC de Viris: universè jam absolvi: Consilia superant, ultimum 1

sed necessarium Belli instrumẽtum. Quid sine iis Apparatus omnes sint? fumus quid Viri? funus. Nec verbis ostendi opus: *Periculo atq; negotiis cõpertũ est, ingenium in bello plurimũ posse.* Sallust. Catil.

Videbisque magnos Duces *plura consilio, quam vi perfecisse.* Tac. 2. Annal.

2 Ideò Cæsar definiit *Non minus esse Imperatoris consilio suprrare, quam gladio.* 1. Com. Bel. Civil.

Et Carthaginenses *Duces bella pravo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebant, quod bene gesserant, deorum immortalium adjutorio; quòd malè commiserant, ipsorum culpa imputantes.* Valer. 2. ca. 2.

Nec sanè immeritò. Nam etsi *mul-*

3 *tum cum in omnibus rebus, tum in re militari potest fortuna.* Cæsar. Com. 6.

Et quidquid est prosperè gestum, id pene omne ducit suum: Cice pro Marcell.

Tamen profectò Consilii quoque magnæ & validæ hic partes sunt: ab eoque bono, illa ferè bona. Quo adspectu dixit Atrius, *Fabrum esse suæ quemque fortunæ.* Apud Sallust. ad Cæs.

Et Fabius: *Bono Imperatori haud magni*

Liv. 22. *magni momenti fortunam esse: mentem rationemq; dominari.*

Consilia igitur adhibenda. sed quæ, aut quomodo? ægrè dixerim. 4

Ibidē. Nam *Consilia magis res dant hominibus, quam homines rebus.*

Iis te aptare debes: præsertim in

Thuc. 1. bello: Ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δ᾽ ἀφ᾽ αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον: *Minimè omnium enim bellum ex decretis procedit, sed ipsum ex se multa invenit, & ut res sunt natæ.*

Liv. 22. Sed nec decorè satis dixerim. An 5 *ego jam nunc locatus in urbe sciam, quæ tibi armato gerenda sint.*

Ridear, nec immerito aliquis me dixerit delirum illum Phormionem. 6 Itaque numquam hoc mihi sumam, ut tanquam è sublimi, Sagatis aut Paludatis in Toga mea præcepta dem: sed saltem ex magno Consiliorum acervo pauca seligam, & velut pugno præferam in exemplum. Quod tamen ut partitè & methodo 7 aliqua fiat: distinguo Consilia, in Recta & Obliqua. Illa appello. Quæ

PLA-

PLANAM ET MILITAREM VIAM INEUNT: Hæc, QUÆ OCCULTAM ET FRAUDIUM ATQUE ASTUS SEMITA GRASSANTUR. Prioris generis hæc sunt:

8 OCCASIO in bellis observanda.
κρατεῖ δὲ ἐπὶ πάντων μὲν τῶν ἀνθρωπείων ὁ καιρὸς, μάλιστα δὲ τῶν πολεμικῶν: Valet verò in omnibus humanis rebus & pollet Occasio, sed maximè in bellicis. Proлyb.9.

Occasio in bello solet amplius juvare, quam Virtus. Veget. 3. c. 26.

9 Itaq; *armatus intentusq; sit, ut neq; tuæ occasioni desis, neq; suam hosti des.* Livius cap.22.

Id est viri & ducis, non deesse Fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium. Idem lib. 28.

10 FAMÆ serviendum. Nam *Fama bella constant, & sæpè etiam quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit.* Curt.8.

11 *Fama bellum conficit* (ait alius) *& parva momenta in spem metumve impellunt animos.* Livius 27.

Præsertim sub initia. & *Fama in novis cœptis validissima est:* Tacit. 13.

Primisq; eventibus, metus aut fiducia gignitur. 12 Annal.

Scito

In Agric. Scito igitur *instandum famæ; & prout prima cesserint, fore universa.*

12 Sed FAMÆ etiam NON serviendum, in ipsa, inquam, ratione gerendi belli. In ea enim *adversus famam rumoresque hominum firmus stabis.* (Liv. 22.)

13 Vell. 2. Et *quæ probanda sunt, non quæ utique probabuntur, sequeris.*

Ibidē. Nec *unquam consilia Ducis, judicio exercitus; sed exercitus, Providentia Ducis regendus est.*

Seneca Octav. *Malè imperatur, cùm regit vulgus Duces.*

Tacit. 3. Histor. Scito *militibus cupidinem pugnandi convenire; Duces, providendo, consultando, cunctatione sæpius quam temeritate prodesse.*

14 Vell. 2. SECURITAS fugienda. *Nemo clarius opprimitur, quam qui nihil timet.* (Indid.)

15 Et *frequentissimum initium calamitatis, Securitas.* (Liv. 21.)

Sæpe & contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesque perlevi momento victi sunt.

Curt. 6. *Nihil tuto in hoste despicitur, quem spreveris, valentiorē negligentia facies.*

Itaque

Itaque ego *ut nihil timendi, sic ni-* Liv. 6.
hil contemnendi auctor sim.
5 *Sæpe in bello, parvis momentis, ma-* Cæs. 1.
gni casus intercedunt. Bel.
Et *nihil tam leve est, quod non ma-* Ciu.
gnæ interdum rei momentum faciat. Liv. 25.
Quo magis præceptum illud in omniū Æmil.
animis esse debet: Nihil in bello oportere Probl.
contemni. nec sine caussa dici, Matrem in
timidi flere non solere. Thra-
7 Incredibile est, *Nimia fiducia quā-* syl.
ta calamitati soleat esse. Idē in
8 INQUIRENDUM in omnia. *Tuum,* Pelop.
& hostium exercitum, locorum situm, Livius
naturam regionis nosce. cap. 22.
Pulchrum in Annibale elogium: Ibidē.
Omnia ei hostium, haud secus quam sua
nota erant.
9 Displicet illud Spartanorū: qui in- Plu-
terrogare soliti, Οὐχ ὁπόσοι εἰσὶν, ἀλλὰ tarch.
ποῦ εἰσιν: *non quot essent, sed ubi essent.* in Agi
Prætumidum est. Ille *difficile vin-* & Cle-
citur, qui de suis & adversariis copiis ve- om.
rè potest judicare. Veget.
10 Sed in primis Ducis ipsius inge- 3 ca. 26.
niū nosce: Οὐ γὰρ εἰκὸς ἄλλως εἰπεῖν, ὡς Polyb.
εἴ τις οἴεται κυριώτερόν τι μέρος εἶναι στρα- 3.
τηγίας.

τηγίας ἢ τὸ γνῶναι τὴν προαίρεσιν καὶ φύσιν τοῦ τῶν ἐναντίων ἡγεμόνος, ἀγνοεῖ καὶ τετύφωται: *Nec enim aliter ego dixero, quam si quis censet aliud magis proprium esse boni Ducis officium, quam hostium Imperatoris ingenium naturamq; nosse, errare eum, imo insanire.*

Inquire & in mores naturamque 2
Liv. 7. hostium. Nam quorundam *in impetu vis est, qui parva iidem mora languescunt.*

Tac. 12. Annal. Ut plerique Barbari, quorum *impetus acres cunctatione languescunt, aut in perfidiam mutantur.*

Ibidē. Hoc quoq; tenta. *necte moras, muta locos; & missis* (nempe occultè) *corruptoribus; exuendam ad fidem hostes emercare.* 2

De Mor. Germ. Aut certè dispara eos & divelle. 2
Nihil præstare majus Fortuna potest, quam hostium discordiam.

Veget. 3, ca. 9. Atque *inter eos discordiarum serere* 2
caussas, sapientis est Ducis. Nulla enim quamvis minima natio (o verbum notabile!) *potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus seipsa consumpserit.*

Viden-

5 Videndum QUANDO pugnes. Me judice numquam temerè.

——— Ductorque placebit, Claud.
Qui non pracipiti rapiet simul omnia casu;
Sed qui maturo vel læta vel aspera rerum.
Consilio momenta regens, nec tristibus impar.
Nec pro successu tumidus: spaciumq; morandi,
Vincendiq; modum, mutatis nôscet habenis.

6 Paullus Æmilius dixit: *Perrarò nimis, bonum Imperatorem signis collatis decertare, nisi summa Necessitudo, aut summa ei Occasio data esset.* Sempron. apud Agell.

Cæsar Augustu dixit: *Prælium aut bellum nūquam suscipiendum, nisi cùm major emolumenti spes, quam damni metus ostenderetur.* Noctib. lib. 13. cap. 3.

27 Ἄδηλα γὰρ τὰ τῶν πολέμων, καὶ ἐξ ὀλίγου τὰ πολλὰ, καὶ δι' ὀργῆς αἱ ἐπιχειρήσεις γίγνονται. πολλάκις δὲ τὸ ἔλασον πλῆθος δεδιὸς, ἄμεινον ἠμύνατο τοὺς πλέονας, διὰ τὸ καταφρονοῦντας ἀπαρασκεύους γενέσθαι: *Incerta enim res bellisa, &* Sueton. cap. 25. Thuc. 2.

multa

multa ex parvo, & aggreſſiones ferè per impetũ fiunt. Sæpe ante vel minor multitudo majorem coercet ac vincit cum metu incedens, quoniam hæc ob contemptum imperatior eſt.

Cicer. pro Mil. *Incerti exitus pugnarum, & Mars communis: qui ſæpe ſpoliantem jam & exſultantem evertit & perculit ab abjecto.*

Liv.7. Ergo hic lentè. Præſertim *adverſus hoſtem, quem Tempus deteriorem indies & Locus alienus facient:* 2

Idẽ 22. *Qui in hoſtili eſt terra, inter omnia inimica infeſtaq́;:*

Ibidẽ. Quem *nullæ urbes accipiunt, nulla mœnia:*

Ibidẽ. Hunc talem *dubitas quin ſedendo ſuperaturus ſis?*

Tacit. 2. Hiſt. *Multa bella impetu valida, per tædia ac moras evanuere.* 2

Nec de pugna tamen ſemper abnuo. Nam *ſtultitia ſit, ſedendo ac votis debellari credere poſſe:* 3
Liv.22.

Xenoph. 8. Pæd. Καὶ ἐν τῷ μέλλειν πολλάκις τοῖς ἄρχουσι καὶ τῆς καλῆς παρασκευῆς ἀπόλλυταί τι: *Et in tradendo, ſæpe Ducibus etiam optimi Apparatus pars aliqua perit:*

Sed

Sed consilio & judicio, *rem mitti in discrimen jubeo.* Tac. 2. Histor.

Nēpe si in arcto tuæ res: *non commeatum, non supplementum, non pecuniam habeas.* Liv. 22.

Cum bonis diis *educ in aciem, copiamq; pugnandi facito.* Indidē.

In rebus asperis & tenui spe, fortissima quæq; consilia tutissima sunt. Idem lib. 25.

Et ut Poeta quoque monet,

Capienda rebus in malis præceps via est. Seneca Agamem.

3 Aut, si tua pars palam potior, de quo tamen seriò, & nihil tibi blandiens, cognosce. *Dux vigilans, sobrius, prudens, tanquam de civili caussa inter partes judicaturus, adhibito consilio, de suis & adversarii copiis judicet. Et si multis rebus superior invenitur, opportunum sibi ne differat conflictum.* Veget. 3. ca. 9.

4 Aliter, *neutquam mihi placeat, quando nulla cogat res, committere se Fortunæ.* Liv. 7.

Sanè isti, qui *magis animis quam viribus freti, ad certamen descendunt.* Indidē.

Festinatum temerè prælium pari formidine deserunt. Tac. 4. Histor.

Quid

Quid si & in Divina modicè in- 35
quiras? modicè dico, & sine supersti-
tione. Haud spernenda omnino vi-
II. Hist. dentur *cœlo terraq; prodigia, & fulmi-*
num monitus, & futurorum præsagia,
læta, tristia, ambigua, manifesta.

Curt. 3. Imò nec Somnia. Nam *instantibus* 36
curis, agitant sæpe per somnum species
imminentium rerum: sive illas ægritu-
do sive divinatio animi præsagientis ac-
cersit.

Tacitus Sanè ego te nolim *contemptorem*
talium, ut fortuitorum.

1. Hist. Nam *amat Benignitas numinis, seu*
Ammia. 21. *quod merentur homines, seu quod tan-*
gitur eorum affectione, his quoque ratio-
nibus prodere, quæ impendent.

Videndum QUOMODO pugnes. 37

Veget. 3. c. 22. Captanda primò Tempora *ut impe-*
ratis, cibum capientibus, in itinere lassis,
equos suos pascentibus, ac nihil tale suspi-
cantibus supervenias:

Idem 3. ca. 9. *Boni enim Duces, non aperto Marte,* 38
in quo est commune periculum, sed ex oc-
culto semper attendant.

Quo casu, tui audent, illi trepi-
Ibidē. dant. *cavendumq; ne dubitantem aut*
formi-

formidantem exercitum ad pugnam publicam aliquando producas.

Nisi quod simulare metum, interdum haud malum: *& spe victoriæ inducere, ut vincantur.* Tacitus 2. Annal.

39 Item illud utile, videre *quando hostis imprudentia ruat, & (quod loco sapientiæ est) alienam stultitiam operiri.* 2. Histor.

Ὅστις δὲ τὰς ἁμαρτίας τῶν ἐναντίων κάλλιστα ἰδὼν, καὶ ἅμα πρὸς τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν τὴν ἐπιχείρησιν ποιεῖται, μὴ ἀπὸ τοῦ προφανοῦς μᾶλλον καὶ ἀντιπαραταχθέντος, ἢ ἐκ τοῦ πρὸς τὸ παρὸν ξυμφέροντος, πλεῖς' ἀνορθοῖτο: *Quicumque peccata adversariorum optimè videt, & simul pro sua copia eos aggreditur, non tam ex aperto & quasi acie palam instructa, quam ex usu præsenti, plerumque huic res succedat.* Thuc. 5.

Ad summam, cum id potest, Tempora observa. *quia si in occasionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paullum fueris, ne quicquam mox omissam querare.* Liv. 25.

Dixi, cum potest. Nam certa *Necessitas ante rationem est, maximè in bello. quod rarò permittit tempora legere.* Curt. 7.

Veget. 3. ca. 9. Secundò Locus considerandus: *utrum inimicis, an tibi videatur accommodus.* 40

Hic quoq; enim momentū, & *amplius prodest Locus sæpe quam Virtus.* (cap. 26.)

cap. 9. Exempli caussa. *Si equitatu audemus, campos debemus optare: si pedite, loca eligere angusta, fossis, paludibus, vel arboribus impedita.*

Tac. 2. Annal. Sæpe etiam juvat si ita captus, ut tuis sit *necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.*

3. Hist. Sanè *propinqua* munimenta aut mœnia, *quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dare* solent.

Veget. 3. ca 14. At tertiò, momentum vel maximum in Acie. quæ *si sapienter disponitur plurimum juvat: si imperitè, quamvis optimi bellatores mala dispositione franguntur.* 41

Varia de ea præcepta: quod melius illo Homerico: 42

Iliad. δ.

Ιππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφι,
Πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν πολέας τε καὶ ἐσθλούς.

Ἕρκος

Ἕρκος ἔμμεν πολέμοιο· κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν,
Ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίῃ πολεμίζῃ.
Atque Equites posuit cum Curribus ordine primo:
Ac peditum à tergo floremq; & robora, belli
Munimen septumq;: sed in medio agmine viles
Ignavosq;, uti vel nolentes depugnarent.

43 Cui accedit militaris Doctor. *Ad victoriam*, inquit, *plurimum confert, ut lectissimos de peditibus & equitibus habeat Dux post aciem, in subsidiis preparatos.* Veget. 3. ca. 17.

Imò quasi in insidiis: τὸ γὰρ ἐπιὸν ὕστερον, δεινότερον τοῖς πολεμίοις τοῦ παρόντος, καὶ μαχομένου: *Nam qui superveniunt, terribiliores sunt hosti, iis qui in manibus sunt & pugnant.* Thuc. 5.

44 Caussa. quia inopinata maximè movent: & ut ille ait, *subita conterrent hostes, usitata vilescunt.* Veget. 3. c. 26.

Ita clamor aliquis repentinus aut imago & aspectus, fuga sæpe exerci-

Plutarch. in Dato majore.

tum implevit : *καὶ τὰ τοιαῦτα τοῦ ξίφους μᾶλλον καταπλήττεται τοὺς ἐναντίους : & hæc talia, magis quam gladius, consternant hostem.*

Tacit. de Moribus Germ.

Primi in omnibus prœliis oculi vincuntur.

Sive etiam Aures. videbisque militem *Vanis & inanibus magis, quam justis formidinis caussis moveri.*

Curt. 4.

Noto amplius, instruenda Acie 45
plerumque utile, per gentes eam nationesque disponi : cum ob alias caussas, tum *ut discretus labor fortes ignavosq; distinguat, atque ipsa contentione decoris accendantur.*

Tacit. 3. Histor.

Idque ita, ut exteri aut mercenarii proximi sint discrimini : tibi scilicet *ingens victoriæ decus, citra domesticum sanguinem bellanti.*

in Agric.

Veget. 3. c. 19.

Semper autem *studere debes, ut prior* 46
instruas aciem.

Ibidē.

Caussa duplici, primum, *quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi utile judicas, cum nullus obsistit.*

Ibidē.

Deinde, quod *& tuis auges confidentiam, & adversariis minuis. quia fortiores*

fortiores videntur, qui provocare non dubitant.

Plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti. Liv. 28.

47 Quò valdè litem pertinet, si ante & in pugna Dux alacer, *Ardorem animi vultu oculisq; praeferens.* Vell. 2.

Quid enim audeant, si te videant *segnem, & velut animi captum, huc illuc clamoribus circumagi?* Tacit. 3. Hist.

Profectò *necesse est ad fugam parati sint, qui Ducem suum sentiunt desperare.* Veget. 3. c. 22.

48 Excita, & doce: *Quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse.* Liv 22.

Effugere mortem, quisquis contempserit, timidissimum quemque eam consequi.

Semper in prœlio his maximum periculum esse, qui maxime timent. Audaciam pro muro haberi. Salluſt. Jug.

Ne pigros quidem sibi fata disponere, sed unicum bonum diuturnam vitam existimantes, sæpe acerba morte occupari. Curt. 5.

Hęc taliaq; (pauca pono in exemplum) opportunè disseres: & *quam-* Ta. 14.

Annal. *quam virtuti confidas, tamen exhortationes & preces miscebis.*

Jam pugnas. Tui inclinant? ne dif- 49
Veget. fide. *Eventus omnium* (aut certè, *plu-*
3. c. 25. *rium*) *preliorum, inter initia contra illos magis fuit, quibus victoria debebatur.*

Tac. 5. Hic animo opus, *ut nullum, in tali*
Histor. *trepidatione, constantis Ducis aut fortissimi militis officium omittas.*

Ibidē. *Occursa paventibus, retine cedentes;* 50
ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce, insignis hosti, conspicuus tuis.

Lucan. Audi poetam de Cæsare:
Lib. 7.

Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Promovet ipse acies, impellit terga suorum,
Verbere converso cessantes excitat hasta.

Veget. At contra, Tui vincunt? cohibe, 51
3. ca. 25. nec nimis diffunde. *Frequenter jam fugientes, dispersos incautissime sequentes, reparatis viribus interemit.*

Tac 2. *Satis cito, incipis victoriam, ubi pro-*
Hist. in *visum fuerit ne vincare.*

Agric. *Aliquando etiam victis ira virtusq;.*

Præsertim

52 Præsertim si nimium instas. *Clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sumit arma formido.* Veget. 3 ca.25. Curt.6.

Reprehensi ex fuga pugnabunt, quia fugere non possunt.

53 Ideo *Scipionis laudata sententia est, Viam hostibus qua fugiant muniendam.* Veget. 3.ca.21.

Et *Pyrrhus inter cetera præcepta Imperatoria, memoriæ tradidit. Non esse pertinaciter instandum hosti fugienti, non solum, ne fortius ex necessitate resisteret, sed ut postea quoque facilius acie cederet.* Frontin. 2. cap.6.

54 Quod postremum, callidum, ego scio, & aptum in militia tota. Denique à Præda etiam arcendus miles. Nimis sæpe *obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, omisso hoste, spolia consectandi.* Tacit. 4 Hist.

CAP. XVII.

De callidis Consiliis sive Stratagematis. An uti iis jus & fas? Nostra sententia, non utilia ea solùm, sed gloriosa.

SUMMARIA.

1 Strategemata *quid, & quo fine?*
2 *Caussa nominis.*
3 *Quidam ea damnant:*
4 *Et populi nonnulli spreverunt:*
5 *Quasi parum generosa,*
6 *Parum efficacia ad plenam victoriam:*
7 *Atque etiam contra bonam fidem.*
8 *Nos contra sentimus.*
- *Hostem omni via jus lædere. ibid.*
9 *A simili.*
10 *A testimonio.*
11 *Spartanorum de his judicium:*
12 *Qui antepofuerunt hæc tecta rectis.*
13 *Responsio ad rationes adversas.*
Distinctio inter hostes. eod.
14 *Christiana sanctio.*
15 *Ad Florum responsio.*
16 *Quæ fraudes bonæ?*
17 *Adhortatio ad eas.*
18 *Laudatio.*

PRioris generis Consiliorum specimen vides. venio ad genus alterum, flexuosum magis & occultum: *quorum vis propriè in arte sollertiaq; posita proficit, tam ubi cavendus* 1
Frontini. 1. Præfat.
quam

quam ubi opprimendus est hostis.

2 Ea, Germanica voce, Strategemata dicimus: credo, quia aut manant inveniunturque à Duce, vel quia
3 bono illo maximè digna. In quo tamen controversiæ aliquid nobis, cum simplicibus illis candidisque naturis, quæ damnant; & ajunt esse veri militis, imò viri, *non fraude, neque occultis, sed palam & armatum hostes suos ulcisci.* Tacit. 2. Annal.

Stare pro iis poeta videtur:

Οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρᾳ Eurip in Rhes.
Κτεῖναι τὸν ἐχθρόν:
Vir nemo mentis altæ clanculũ velit
Occidere hostem.

4 Atque etiam populi quidam novi & veteres. ut ab illa ipsa fallace Græcia, Achæi, qui, Polybio narrante & laudante, τοσοῦτον ἀπηλλοτριοῦντο τοῦ κακομηχανεῖν, ὥστ' οὐδὲ τοὺς πολεμίους ἠροῦντο δι' ἀπάτης νικᾶν: *in tantum abhorrebant à machinationibus istis & struendis dolis, ut nec hostes suos vellent per fraudem vincere.* Livius 13.

5 Caussam idem addit: Ὑπολαμβάνοντες, inquit, οὔτε λαμπρὸν, οὐδὲ Ibidẽ.

μὴν βέβαιον εἶναι τῶν κατορθωμάτων, ἐὰν μή τις ἐκ προφανοῦς μαχόμενος ἡττήσῃ ταῖς ψυχαῖς τοὺς ἀντιταττομένους: Censentes, *neque ſplendidam neque firmam ullam victoriam, niſi quis palam & ex condicto depugnans, animos quoque dejeciſſet adverſariorum.* Scilicet

Claudian. in 6. Conſulat. Hono.

> *——nulla eſt Victoria major,*
> *Quam quæ confeſſos animo quoque*
> *ſubjugat hoſtes.*

Nam revera, qui dolo ſuccubuerunt, facilè iterum inſurgunt: *non virtute, ſed occaſione & arte Ducis victos ferati.* 6

Tacitus Agric.

Denique ſcripſit Romanus quiſpiam: *Eam vir ſanctus & ſapiens ſciet veram eſſe victoriam, quæ ſalva fide & integra dignitate parabitur.* 7

Florus 1. ca. 12.

Atqui nonne utraq;, inquiunt, hic periclitatur? & ubi dolus ac ſupplantatio, vix fides eſſe poteſt, certè non dignitas ſalva. Hæc ſunt, quæ ab iis dicuntur: ego contra deſſero, & repono Primum, hoſtem eſſe, in quem ea uſurpamus, id eſt, quem perdere mos fasq; ſit: & quid refert quo modo? Tritum illud Poetæ innotuit, 8

——Dolus

——— *Dolus an virtus, quis in hoste requirat.* Virgil. 2.

Cum quo Poeta alter:

——— χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν. Pindar. Isthm. Od. 4.

——— *oportet quidlibet Conantem, frangere adversarium.*

9 Ecce venator etiam feras quasdã vi & manu interficit, quasdam occultus subsistit & laqueis aut retibus captat: quis reprehendit? A laude propius totum hoc genus insidiarum abesse videtur, quam à culpa. Certè
10 vir & dux bonus Brasidas, ita effatur: τὰ κλέμματα ταῦτα καλλίστην δόξαν ἔχει, ἃ τὸν πολέμιον μάλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειεν: *Ita belli furta pulcherrimam laudem habent, per quæ hostes maximè decipiuntur, & amici plurimum juvantur.* Thuc. 5.

Ipse Polybius admirator paullò antè Achæorum, palã ad nos transit. & ait: τῶν κατὰ πόλεμον ἔργων ἐλάττω τὰ προδήλως καὶ μετὰ βίας ἐπιτελούμενα, τῶν μετὰ δόλου καὶ σὺν καιρῷ πραττομένων: *Facinorum militarium ea esse minoris laudis ac momenti, quæ propalam &* Lib. 8.

per vim patrantur, his quæ ex occasione & per dolum.

Quod si gens etiam genti opponenda: an Spartanos appendere cum Achęis verear in eadē lance? imò virtute & fortuna præponderabunt. Illi igitur, καίπερ ὄντες πολεμικώτατοι, μείζονα καὶ μᾶλλον ἀνθρώποις πρέπουσαν ἡγοῦντο τὴν διὰ λόγου καὶ συνέσεως πρᾶξιν, ἢ τὴν μετὰ βίας καὶ ἀνδρείας: *etsi pugnacissimi, tamen digniorem magisq; convenientem homini censebant actionem ratione & mente institutam, quam hanc per vim aut robur.*

Ibidē. Ideoque θύει μὲν ἐν Σπάρτῃ τῶν ἀποστρατηγῶν, ὁ μὲν δι' ἀπάτης ἢ πειθοῦς ὃ βούλεται διαπραξάμενος βοῦν, ὁ δὲ διὰ μάχης, ἀλεκτρυόνα: *Sparta, è Ducibus qui se abdicant, ille qui rem dolo aut suasione confecit, bovem immolat: qui prælio gallum.*

Majorem scilicet minoremq; victimam, pro re tali. At negat, inquiunt, Euripides esse viri generosi. Erant. non ille de hoste publico aut prœliis loquitur: sed sentit de privatis inimicitiis; in quibus locum

(juste-

(juſtè quidem) eſſe non vult huic fraudi, aliud eſt in bellis. Nam etiam Romani veteres, avidi alias & tenaces regiæ hujus viæ, quemdam *bonum Dolum dicebant, & pro ſollertia hoc nomen accipiebant: maximè ſi adverſus hoſtem latronemve quis machinaretur.* Ulpia. l. 1. de dolo.

14 Quid verbis opus eſt? Ipſe ſacrorum Antiſtes definivit, *Cum juſtum bellum ſuſcipitur, ut apertè pugnet quis aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt.* Aug. in quæſt. ſuper Joſue queſt. 1.

15 Nam quod Romanus ille ſcriptor damnare videtur, ille verò non damnat. Salvam tantum in iis vult Fidem & Dignitatem. Nam contra fœdera aut pacta fraudem quis probet? quis item vilem aliquam & abjectam? ut ſi quis hoſtem veneno tollat, aut clam immiſſo emptoq; per-

16 cuſſore. Hæc talia ſperne, & cum Ageſilao cenſe: ἀποσπεισάμενον μὲν ἀδίκως, ἀσεβὲς· τοὺς δὲ πολεμίους παραλογίζεσθαι, οὐ μόνον δίκαιον καὶ ἐπίδοξον, ἀλλὰ καὶ ἡδὺ καὶ κερδαλέον: *Fœderatum injuſtè fallere, impium; at hoſtes, non ſolùm* Plutar.

juſtum,

justum, sed etiam suave & fructuosum est.

Hos tales, cum Homero:

Odyss. λ. Κτείνης ἠὲ δόλῳ, ἢ ἀμφαδὸν ὀξέϊ χαλ- 17
κῷ:

Confice sive dolo, seu stricto cominus ense.

Xeno. Hippa. Ὄντως, γὰρ οὐδὲν κερδαλεώτερον ἐν 18
πολέμῳ ἀπάτης: *Re ipsa nihil utilius in bello dolis.*

Quorum specimen quid à me hic exspectes? Frontinum & Polyænum è veteribus habes: & non nemo etiam hodie percoluit illum campum.

CAP. XVIII.

Quid post Pugnam faciendum videatur: & an in Victoria, sive Clade, quomodo Princeps salubriter & decore se gerat?

SUMMARIA.

1 *Ad Victoriæ usum tria præcepta.*

2 I. Cau-

2 I. Cautela *adhibenda.*
3 II. Lenitas.
4 *Nec spes omnis abcidenda hosti.*
5 *Ad pacem idemtidem provocandus.*
6 *Agris parcendum.*
7 III. Superbia *segreganda.*
8 *Nam casus incerti.*
9 *Et sæpe victor, victus.*
10 *Clades tuas scire oportet.*
11 *Aut non mederis.*
12 *Iis obnitendum.*
13 *Et meliora speranda.*
14 *Robur animi induendum.*
15 *Contra fortunam insurgendum.*
16 *Vires reparandæ.*
17 *Per decus mori melius, quam per dedecus vivere.*

AD pugnam Consiliis meis satis te instruxi: aliquid etiam de iis quæ post Pugnam usui sunt, dicam, & hoc velut fluxu ducam te ad candidam illā metam: id est, Pacē. Post pugnā, aut Victoria est, aut Clades.
2 In illa tria præcipio: ut Cautè eā habeas, ut Leniter, ut Modestè. Cautè ideò,

Liv. 21. ideò, *quod fermè fit, ut res ſecundæ ne-* 2.
glegentiam creent:
Tacit. Atq; ita *aliquod vulnus per nimiam*
Agric. *fiduciam accipiatur.*
4. Hiſt. *Crebra* autem, *etſi modica damna,*
famam partæ victoriæ lacerant.

Leniter etiam: quia ſuapte natura 3.
ea cruda.

Seneca ——— *Regi frenis nequit*
Troad. *Et ira, & ardens hoſtis, & Victoria,*
Gladiuſq; felix: cujus infecti ſemel
Vecors libido eſt.

Regenda tamen, aut valde heres 4.
in tuo curſu. Nam ubi extrema o-
Tac. 3. mnia in oculis, *deſperatione in auda-*
Hiſtor. *ciam accinguntur.*
Curt. 5. *Ignaviam quoq; Neceſſitas acuit, &*
ſæpe deſperatio ſpei cauſſa eſt.
Portius *Graviſſimi ſunt morſus irritæ Neceſ-*
Latro *ſitatis.*
in De- Ergo hoc cave, & ad ſpem ſemper
clam. aliquid relinque. Inſta, terre: ſed *ubi* 5.
Tacit. *ſatis terrueris, parcendo rurſus irrita-*
Agric. *menta pacis oſtenta.*
Indid. Hoc mollit & *frangit aſpectu pi-*
gnorum.

Aſpectu Opum: quas ipſas ne pla- 6.
nè per-

nè perde. Archidamus prudenter: μὴ γὰρ ἄλλο τι νομίσητε, inquit, τὴν γῆν αὐτῶν (τῶν πολεμίων) ἢ ὅμηρον ἔχειν: καὶ οὐχ ἧσσον, ὅσῳ ἄμεινον ἐξείργασται, ἧς φείδεσθαι χρὴ ὡς ἐπὶ πλεῖστον, μὴ ἐς ἀπόνοιαν καταστήσαντας αὐτοὺς ἀληπτοτέρους ἔχειν: *Nec enim aliud terram hoſtium cenſete, quam velut obſidem. idq; eo magis, quo illa cultior. Huic parcendum ut plurimum eſt. Nec hoſtes in amentiam & deſperationem redacti, difficiliores expugnatu reddendi.* Thucyd. 1.

Et alioqui ſpecioſa in hoc fiducia, quod parcas, ut tuis. Nam

Quæ corripi igne, quæ meti gladio jubes. Seneca. Theb.
Aliena credis.

7 Tertiò, Modeſtè eam habe. Nam non ſolùm *Felicitas in malo ingenio avaritiam, ſuperbiam, ceteraq; occulta mala patefacit:* Tac. 3. Hiſtor.

Sed *rebus ſecundis, etiam egredi duces inſoleſcunt.* 3. Hiſt.

Et cum Pindarico illo Tantalo. Olym. Od. 1.
μέγαν ὄλβον καταπέψαι οὐ δύνανται: *Magnam felicitatem concoquere non poſſunt.*

O ſtul-

Thu-cyd. 1. O ſtulti! ὅ, τε ἐν πολέμῳ εὐτυχίᾳ πλεονάζων, οὐκ ἐντεθύμηται θράσει ἀπίστῳ ἐπαιρόμενος: *Is, qui in bello ob res ſecundas exſultat, neſcit, quam infida ſuperbia ſe extollat.* 8

Publi-us. *Fortuna vitrea eſt, tunc cum ſplendet, frangitur.*

Plinius Paneg. *Habet has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ſecunda ex adverſis naſcantur.* 9

Seneca Agam. *Victor timere quid poteſt? quod non timet.*

Jam in CLADE duo moneo: ut Prudẽter eam & Fortiter feras. Prudenter, hoc ſenſu: ut noris eam ſeriò & appendas. Nam quidam, *è contrario, læta, omnia ſibi fingat*: 10

Tac. 3. Hiſtor.

Ibidẽ. *Et nuntios cladis occultantes, ſtulta diſſimulatione, remedia potius malorum, quam mala differunt.* 11

Quod nulla ratio eſt, ut fiat. Nam primum.

Seneca Agam.

—— cladis ſcire qui refugit ſuas,
Gravat timorem. dubia plus torquent mala.

Sicut contra, *Sæpe calamitatis ſolatium eſt, noſſe ſortem ſuam.*

Dein-

Deinde profectò

Iners malorum remedium, Ignorantia est: Seneca Oedip.

2 Imò nullum: nec mederi tibi fas, cùm nescis. Tu verò agnosce, atque adeo examina & appende. Si exigua damna, *ira te magis quam metu accendant.* Tac. 15. Annal.

Si grandiora; ne sic quidem *hastam abiice,* Cic. p Muræn.

3 *Nec prælii unius eventu pavesce.*

Nonne *Mars communis & victum sæpe erigit, & adfligit victorem?* Tac. 2. Histor.

Infirmi ingenii est, lapsu aliquo, summæ rei diffidere, cum exiguis momentis subito inclinentur omnia, quæ in bello geruntur. Liv. 28. Egesip. 4. c. 2.

4 Ergo hic illud valeat, ut feras Fortiter.

——Regium hoc ipsum reor, Seneca Oedip.
Adversa capere, quoque sit dubius magis
Dubius & cadentis imperii moles labat,
Hoc stare certo pressius fortem gradu.

5 Didici *fortes & strenuos contra Fortunam insistere spei; timidos & igna-* Tac. 2. Histor.

vos,

vos, ad desperationem formidine properare:

Indid. Tu verò erige te, *vires juxta & procul sitas circumspice:* 16

Veget. 3. c. 25. *Novi dilectus, nova quærantur auxilia?*

Tacit. Agric. Opida aut *castella, adversus moras obsidionis, annuus copiis firmentur.*

Ad summam (bona modo caussa

Flor. 1. cap. 15. tua sit) *omnia experire: more anguium, qui obtrito capite, postremum cauda minantur:*

Curt. 5. *Si justa ac pia bella dii aversantur, fortibus tamen viris licebit honestè mori.* 17

Sallust. *Quoniam quidem unum omnibus finem Natura vel ferro septis statuit:*

Tacit. 5. Hist. *Id solum refert, novissimum spiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per virtutem.*

CAP. XIX.

Ad Pacem ex animo adhortatio. Ac primum illuc inclinamus eos, qui Victi: sed ad Tutam & Bonam.

SUM-

SUMMARIA.

1 *Pars tertia hujus libri.*
2 *Mundus non stet per assidua bella.*
3 *Eorum finis, Pax.*
Laudatiuncula pacis. ibid.
4 *Vtriq; parti expedit.*
5 *Victa magis.*
6 *Arma tenenda, si eam volumus.*
7 *Metus faciendus hosti.*
8 *Duo in pace specto.*
Vt honesta sit. eod.
9 *Cum aperta servitute, turpis.*
10 *Mors viro potior.*
11 *Pax sine fuco esto.*
12 *Finiat bellum, non differat.*
13 *Quando ea optimè coeat?*
14 *Interdum fasces Dignitas submittit.*
15 *Necessitate cogente.*
16 *Nec inutile sine conditione etiam dare se hosti.*
17 *Si is tamen generosus.*

1 SEd ſatis, ſatis, jam Pugnarum eſt: Pax ſalutaris quando nos reſpicies? Ad te venio, & abſterſo Martio

tio hoc pulvere, quiescam paullum sub felici arbore Minervæ. Dixi quomodo suscipienda bella, & Gerenda: nunc avidè, quomodo Finienda. Nam 2

Seneca Herc. Fur.

Si æternæ semper odia mortales gerant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella. tum vastis ager
Squallebit arvis, subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.

Quamvis magna, quamvis diuturna bella, Pace finienda sunt: cujus & *nomen dulce est, res verò ipsa cum jucunda, tum salutaris.* 3

Cicer. Phi. 13.

Idem de leg. Agr.

Quæ non modo ii quibus natum sensum natura dedit, sed etiam tecta atq; agri latari videntur.

S... 2.

—— Pax optima rerum
Quas homini novisse datum est.
Pax una triumphis
Innumeris potior.

Ergo pariter ad hanc ite, *tam quibus* 4

bus Salus, quam quibus Gloria chariſſima eſt: Tacit. Agric.

Victi dico & Victores, ad hanc ite. Illa *ex æquo utilis;* 15. Annal.

Et

Pacem reduci velle, Victori expedit, Seneca Herc.

Victo neceſſe eſt. Fur.

6 Sed tu me prior audi, qui Victus. Phil. 4.
Paullo ante ad arma te excitavi: nec nunc executio quia hæc directa ad Pacem via. *Si pace frui volumus*, inquit Tullius, *bellum gerendum eſt; ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur.*

Ἐκ πολέμου μὲν γὰρ εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται. Thucyd. 1.

E bello enim pax magis firmatur.

7 Quomodo? nempe ne ignavum & vile aliquod animal videare: & ſciat *eſſe tibi adhuc vires, ſi deliberas, ambiguas; acres ſi deſperaris.* Tacit. 3. Hiſt. 4. Ann.

Ideo *erectum & fidentem animi oſtende.*

Et dic illud Homericum: Iliad. γ.

Τῷ μοι δοῦρά τέ ἐστι καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι,

Καὶ

Καὶ κόρυθες, καὶ θώρηκες λαμπρὸν γανόωντες.

Et mihi sunt teretes hastæ, clypeique rotundi,

Guilie. Neubrigés. Rerum Anglic. Lib. 11. cap. 12. Liv. 25. Ex Cic. Philip. 12. Ad Attic. 7. epist. 14.

Tum galeæ, tum thoraces splendore micantes.

Vetus verbum non te fallet; *Sub clypeo melius succedere pacis negotium.*

Considerabis autem in omni pace hęc duo, ut Honesta ea, & ut Simplex sit. Honestam intellego, cùm *aliqua tolerabili conditione finies bellum.* 8

Ut verè *Pax ea sit, non pactio servitutis.*

Nam quamvis *pax vel injusta, utilior sit iustissimo bello;*

Tamen profecto viro Principi intolerabilis, quæ labem ejusmodi aut ignominiam adfert. 9

Seneca Theb. Phil. 3.

In servitutem cadere de regno, grave est.

Videaturque *cum dignitate potius cadendum, quam cum ignominia serviendum.* 10

Deinde Simplicem eam volui: id est, puram, niveam, & vere Pacem. 11

Nam

Nam fictam, fucatam illam, & *pacis* Phil. 7.
nomine involutum bellum, reformido.
12 Sæpè *ob* potentiam *interna mala,* Salluſt.
dilata magis prælia, quam datam pacem Epiſt.
intelleges. Mithr.
Ego autem cenſeo, *Pace ſuſpecta* Tac. 4.
tutius bellum. Hiſtor.
13 Hæc duo ſunt, quæ ſemper conſi-
deres, nec plane ſemper impetres:
niſi fortè initio belli. Nam optimum
& propè *unum tempus eſt de pace a-* Cæſ. 1.
gendi, dum ſibi uterq; confidit, & pares Bel.
ambo videntur. Civ.
Et videntur partes, qui non fecerunt Cur. 7.
inter ſe periculum virium. Cic. 5.
14 At rebus inclinatis, magis eſt, ut Epiſt.
te inclines: & *quavis tuta conditione* 21.
pacem accipere malis, quam viribus Curt. 5.
cum valentiore certare.
Gubernator, ubi naufragium timet, Tac. 2.
jactura, quicquid ſanari poteſt, redi- Hiſt.
mit. 5. Hiſt.
Experti invicem eſtis tu ac Fortuna: 2. Hiſt.
Contra te ſtetit. quod *proroges ul-*
tra ruinam?
Scito *apud victos plus ferè querimo-*
niarum, quam virium:

3. Hist. *Et quanquam atrociter loquantur,*
minorem esse apud eos animum.

Itaq; morde frenum (& quod in 15
Liv. 9. re simili quispiam dixit) *Necessitati*
pare, quam ne dii quidem superant.

Idē 7. Ecce *Pacem etiam, qui vincere pos-*
sunt, volunt: quid te oportet?

Ibidē. *Quin omissa Ira ac Spe fallacibus au-* 16
ctoribus, teipsum tuaq; omnia cognitæ
permitte fidei.

2. Ann. Sæpe hoc profuit; & *supplices, ni-*
hil abnuendo, veniam omnium acce-
pere.

Sallust. Nam victores (qui alto quidem 17
Orat. sunt animo) *secunda res in miseratio-*
Lepidi. *nem ex ira vertunt.*

CAP. XX.

Victores ad Pacem provocati, argumento triplici: quia id Decorum, Utile, Tutum. atq; adeo ad pacem mitem: sed cum exclusione fraudis. Pro ea auctor ipse Pacis invocatus.

SUM-

SUMMARIA.

1 *Pax vincenti* decora.
2 *In occasione accipienda.*
3 Utilis *etiam.*
Vt bello & molestiis defungare.ib.
4 *Non diu in eosdem bellandum.*
5 *Pax* tuta.
6 *Fortuna incerta.*
7 *Quæ in extremo sæpe pungit.*
8 *Non ergo irritanda.*
9 *Sapientiam cum ea misce.*
10 *Pax tolerabilis esto.*
11 *Imo benigna.*
12 *Nam mala, infirma.*
13 *Bona, constantissima.*
14 *Insidiæ tamen cavendæ.*
15 *Animadverte.*
16 *Oratio pro pace.*

QUos huc quoq; jam impellam. Nam ades tu VICTOR: & quamvis vela tibi tumeant secundo vento, capesse hũc portum. Procella involvi potes, & everti. Nam quamvis ille dixerit, *Pacem & concordiam Victis utilia, Victoribus tantum pulchra esse.* 3.Hist.

Ne crede illa verò non Pulchra iis 1 solùm, sed Utilis plerumq; & Tuta.

Liv. 30. Palam quidem pulchra: *& in bonis tuis rebus, hostium dubiis, tibi ampla ac speciosa danti pax est.*

Quam decorum Principi, *cum*
Ibidē. *victoriam propè in manibus habeas, pacem non abnuere! ut sciant omnes, te &*
Lib. 23. *Suscipere juste bella & Finire.*

Si prætermittis hoc tempus, quo dare 2 *magis quàm accipere potes pacem, vereor, ne hæc lætitia luxuriet tibi aut vana evadat.*

Tac. 15. Annal. Et fiat illud, *Gloriaq; & præda nonnihil partum, si aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura habuisset.*

Bernardus in Epist. Sanè vir sanctus inclamat: *Pacem contemnentes, & gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam.*

Tac. 12. Annal. Jam Utilis quoq; eadem. Nam si 3 in bello perseveras, quid nisi *tædium ex mora, periculum ex properantia* te manet?

In Agr. Nam ferè *pius impetus, major constantia penes miseros.*

Sil. 1. *Et fractis rebus violentior ultima virtus.*

Quam

Quam maxime mortiferi morsus esse solent morientium bestiarum. Flor. II. cap. 15.

Adde, quod *Fortuna belli artem victos quoq; docet.* Curt. 3.

4 Nec temerè id prævisum præcautumque Lycurgo: qui Rethram sive legem tulit, *κωλύουσαν ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς πολεμίους στρατεύειν, ἵνα μὴ πολλάκις ἀμύνεσθαι συνεθιζόμενοι πολεμικοὶ γένωνται: vetantem eosdem hostes sæpius impugnare, nec repugnare coacti, ipsi quoq; bellicosi evaderent.* Plutar. in Lycurg.

5 Deniq; Tuta: quoniam vitas per eam incerta belli. *Melior tutiorq; est certa pax, quam sperata victoria. Illa in tua, hæc in deorum manu est.* Livius 30.

6 *Vim Fortunæ reputa, & omnia quæ agimus, subjecta esse mille casibus.* Ibidē.

——— nemo se tutò diu
Periculis offerre tam crebris potest. Seneca Her. fur.

Omnia audacissimè incipientem nunquam fefellit Fortuna?

7 Eo magis timè. & *ne quantò altiùs elatus es, hoc fœdiùs corruas.* Liv. 30. Ibidē.

Semel profectò premere felices Deus
Cùm cœpit, urget. hos habent magna exitus. Senec.

Curt.3. Itaque *illam ipsam Fortunam, qua* 8
aspirante res tam prospere gessisti, verea-
ris.
Ibidē. Fortuna enim est: & *ex his quæ tri-*
Home. *buit tibi, quàm mutabilis sit, repu-*
Iliad. *ta.*
ν. Ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κα-
τέκτα:
Mars communis, & interimit quoq;
jam perimentem,
Liv.30. *Ideo in secundis rebus, nihil in quem-*
quam superbè ac violenter consulere de-
cet, nec præsenti credere Fortunæ: cum
quid vesper ferat, incertus sis.
Lib.30. Profectò *si in secundis rebus bonam* 9
quoq; mentem darent dii, non ea solùm
quæ evenissent, sed etiam quæ evenire
possent, reputaremus.
Ibidē. Dabis ergo Pacem, *nec ita aliena*
Tac.12. *appetes, ut de tuis dimices.*
Annal. Sed qualem? Mitem. Nam *bello-* 10
Sallust. *rum egregii fines, quoties ignoscendo*
Orat. *transigitur.*
Philip. Cogita, *Ignoscendo populi Romani* 11
In Jug. *magnitudinem auxisse:*
Tac.13. *Neq; victis quidquam, præter injuriæ*
Annal. *licentiam, eripuisse.*

Quid-

Quidni imiteris? *Quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum.*

Vti animosè debes tanto munere deorum, dandi auferendique vitam potens: Senec. 1. De Clem.

12 Et interdum *contentus esse, nihil ex rege victo, præter gloriam sumere.* Ibidē.

Ex Fama tua hoc erit, imo etiam ex Usu. Si enim duram acerbamque das, quis servabit? *Nec credideris ullũ populum, aut hominem denique, in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius quàm necesse sit, mansurum.* Liv. 8.

Vivet semper in pectoribus eorum, quidquid istuc præsens necessitas injunxerit. Liv. 9.

13 Et in tempore clamabunt, *Miseram pacem vel bello bene mutari.* Tacit. 3. Annal.

Liberè & verè olim Privernas ille in Senatu Romano, interrogatur, Qualem ab iis pacem exspectarent? *Si bonam dederitis*, inquit, *& fidam, & perpetuam: si malam, haud diuturnam.* Lib. 8.

Veriloquium est: *Ibi pacem esse fidam, ubi voluntarii pacati sint, neque* Ibidē.

eo loco ubi servitutem esse velint, fidem sperandam esse.

Esto Pax igitur Mitis, sed in eos, qui ex animo eam volunt. Nam si qui subdolè aut insidiosè agunt, hos 14.
Veget. tales astringe. *Frequentius* enim *conventionum pacisque simulatio credulis*
III.
cap. III. *quam arma nocuerunt.*

Polybii hic dogma aureum: τοὺς 15.
Liv. III. ἐπὶ τῶν πραγμάτων ταττομένους, χρὴ τῶν τοιούτων οὐδενὸς μᾶλλον φροντίζειν, ὥστε μὴ λανθάνειν τὰς προαιρέσεις τῶν διαλυομένων τὰς ἔχθρας, ἢ συντιθεμένων τὰς φιλίας, πότε τοῖς καιροῖς εἴκοντες, καὶ πότε ταῖς ψυχαῖς ἡττώμενοι ποιοῦνται τὰς συνθήκας, ἵνα τοὺς μὲν ἐφέδρους νομίζοντες εἶναι τῶν καιρῶν ἀεὶ φυλάττωνται. τοῖς δὲ πιστεύοντες, ὡς ὑπηκόοις ἢ φίλοις ἀληθινοῖς, πᾶν τὸ παραπῖπτον ἐξ ἑτοίμου παραγγέλλωσιν: *Oportet eos, qui rebus præsunt, nihil magis curare, quam ut ne eos lateat, quo animo sint, qui aut bella finiũt, aut amicitias constituunt. quando temporibus cedentes, & quando revera animis fracti pacem ineunt. ut illos quidem, tanquam subsessores & insidiatores temporum, observent ac caveant: istis fidem.*

dem habentes, tanquam verè subditis aut amicis, quidquid evenerit, imperent atq; præcipiant.

16 Hominibus suasi hactenus. nunc ad te, ô æternum Numen. qui *non Deus es dissensionis, sed Pacis:* Paul. 1. ad Cor. cap. 14.

Breves sed calidas preces converto. *O mucro Domini, quousq; non requiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile.* Jerem. cap. 47.

Cogita super nos cogitationes pacis, & non afflictionis, ut des nobis finem & patientiam, & invocabimus te, & vivemus. Ex eod. cap. 24.

JUSTI LIPSI POLITICORUM,

Sive

CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI SEXTI

CAP. I.

Ad Civile bellum ventum, & eius miseriæ breviter oculis subiectæ.

SUMMARIA.

1 *Quid sit* Civile *bellum?*
2 *Culmen miseriarum.*
3 *Formidatum iis, qui verè cives.*
4 *Imò, qui homines.*
5 *In eo scelera.*
6 *Et impietas.*
7 *In eo clades.*
8 *Promiscua cædes.*
9 *Perfidia.*
10 *Nulla Disciplina.*

11 *Aut obedientia.*
12 *Variæ transitiones.*
13 *Victoria aspera.*
14 *Nec in potestate vincentis.*

FInem Externo bello imposui: utinam Civilibus malis! quæ *nostra per tot annos vidit ætas.* Livius præfat.

1 Nam huc ordo me trahit; & definio Civile bellum, ARMA SVBDITORVM IN PRINCIPEM MOTA,
2 AVT INTER SESE. Quo nihil miserius, nihil fœdius, & quod merito mare ipsum dixerim calamitatum. Homerus verè scripsit.

3 Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος, Iliad. ι.
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος:
Ille nefarius & sine gente tribuque mihi esto.
Qui civile cupit ferum & exsecrabile bellum.

4 Cujus mentē explicuit & diffudit magis Tullius: *Nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura cara habere potest, quem discordia, quem cædes*

des civium, quem bellum civile delectat.
eumq; ex numero hominum eiiciẽdum,
ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto.

Et reipsa quid scelerum ab eo ab- 5
Sallust. est? *quæve humana superant, aut divi-*
Orat. *na impolluta sunt?*

Lepidi. *Castra ex una parte contraria, pa-* 6
Sene. 2. *rentum liberorumque sacramenta di-*
De Ira *versa.*

Luc. 7. *—— videre parentes*
Id. 1. *Frontibus adversis, fraternaque*
Sallust. *cominus arma:*
Orat. *Cognatasq; acies.*

Lepidi. Quid cladium non ei inest? *Pro-* 7
Tac. 1. *scriptiones innoxiorum ob divitias, cru-*
Histor. *ciatus virorum illustrium, vastæ urbes*
fuga & cædibus, civium miserorum bo-
na quasi hostilis *præda, venum aut do-*
no data.

Occidere palam, ignoscere non nisi 8
fallendo licet.

3 Hist. *Non ætas, non dignitas, quemquam*
protegit, quo minus stupra cædibus, &
cædes stupris misceantur.

Luc. 1. *Nobilitas cum plebe perit, lateq; va-*
gatur

Ensis,

Ensis, & à nullo revocatam est pectore ferrum.

9 Jam minora illa flagitia adde. *Fluxam per discordias militum fidem:* Tac. II. Histor.

10 Corruptam *Disciplinam. quam in pace inexorabilem, discordiæ civium resolvunt, paratis utrimq; corruptoribus, & perfidia impunita:* I. Hist.

11 Ideoque *Pecuniam inter civiles discordias ferro validiorem.* II. Histor.

Cernimus *milites in omne fas nefasq; avidos aut venales, non sacro, non profano abstinentes:* Ibidē.

Quippe *obnoxiis ducibus, & prohibere non ausis.* Ibidē.

Sciuntq; *per turbas & raptus facilius eos ad civile bellum impelli.* I. Hist.

Atque universè verum: *Civilibus bellis, plus militibus quàm Ducibus licere.* II. Histor.

——Rheni mihi Cæsar in undis Luca. 5.
Dux erat, hic socius, facinus quos
inquinat, æquat.

12 Quid? quòd nec apud togatos & paganos *usquam fides aut amor. metu ac necessitate huc illuc mutantur:* Tacit. I. Hist.

Faciles

II. Hist. *Faciles occupantibus, & meliorum incuriosi.*

Cicc. 6. Epist. ad Famil. Epist. 9. Ibidē. Ad summam, *Omnia sunt in bellis civibus misera, sed nihil miserius quam ipsa victoria:* 13

Quæ etiam si ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit: ut etsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur

Tacit. 3. Hist. *Duces enim accedendo civili bello acres, temperandæ victoriæ impares.* 14

Cic. 12. Epist. ad Famil. Epist. 18. *Bellorumq; civilium hi semper exitus, ut non ea solum fiant, quæ velit victor, verum etiam ut iis mos gerēdus sit, quibus adjutoribus parta est victoria.*

Plura sunt in detestationem hujus pestis: quæ nimis nota nobis, omitto.

CAP. II.

De caussis civilium bellorum. Eæ factæ duplices, Lōginquæ & Propinquæ. Prius de prioribus dictum.

SUMMARIA.

1 *Cardo hic rei, cavere bellum.*
2 *Caussa Remota:*

Caussa

Caussa Propinqua. ibid.

3 Fatum & *ordo rerum gignit civiles turbas.*

4 *Europai notate.*

5 Luxus *paullatim quoque eas gignit.*

6 *Ab illo enim æs alienum.*

7 *Ab hoc spes nova.*

8 *Remedium aut solatium potius, in Fatum.*

ILluc transeo, ut de Caussis ejus distinctè differam, & de Fine. Quid enim opus de Modo gerendi? par ille
1 aut idem, qui in Externo. Et alioqui, non tam de Gerendo eo cogitandũ sapienti Principi, quam cavẽdo. Hoc caput, hic spes rei, & initia profectò ac semina Civilium motuum restinguenda sunt: aut ubi accensa, nulla prudentia te habebit indemnem. Necessario aut interitus consequetur, aut mutatio rerum. Igitur de Causis ἐπιμελῶς & intentè differam: & in herba, si possum, opprimam pestilentem hanc frugem.

2 Caussæ Civilis belli duplices: Remotę, & Propinquę. Dico illas, Quę primæ veræq; causæ sunt, sed minus

adhæ-

adhærent effectui, aut apparēt. Istas, Quæ ortæ ab illis, eventui conjunguntur, & palam se ostendunt, Priores, Sapientes intuentur: Vulgi oculi, eversi ad istas. Sunt inter Remotas duæ, Fatum & Luxus. Fatum in pri- 3.
mis: quia ab eventibus omnis ævi certum, Deum velut sollenniter magna imperia perdere per hanc viam.

Luca. 1. *In se magna ruunt. Lætis hunc numina rebus*
Crescendi posuere modum.

Licet de omni republica præsa-
AdCæs. gias, quod Crispus de sua: *Ego sic exi-* 4.
stimo; quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conserturos: ita defessos & exsangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queant hoc imperium.

Flor. 3. At Luxus etiam caussa altera. *Quæ* 5.
cap. 12. *enim alia res civiles furores peperit, quā nimia Felicitas?*

Opes atque Divitiæ afflixere seculi
Ibidē. *mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina.*

na, rempublicam pessundere.

Magnificus apparatus conviviorum, & sumptuosa largitio, nónne ab opulentia, paritura mox Egestatem? Ibidē.

6 *Cum* scilicet *rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri aut fœnus, sed sola instrumenta vitiorum manebunt.* Tac. 1. Histor.

7 Hi tales, *misere cuncta, & privata vulnera, respublicæ malis operire statuent.* Indid.

Quippe ita se res habet, ut publica ruina quisq; malit, quam sua proteri; & idem passurus, minus conspici. Vell. II.

Sunt igitur isti gradus: Luca, 1.

Non auro tectisve modus, mensasq; priores
Aspernata fames.
Hinc usura vorax, avidumque in tempora fœnus, Ibidē.
Et concussa fides, & multis utile bellum.

8 Atque hæ duæ Remotæ illæ caussæ sunt, quod in eas remedium? in alteram nullam. Frustrà cum Fato pugnes, id est, divino decreto. *Ita Fato placuit nullius rei eodem semper loco stare fortunam.* Seneca Con. sol.

Nihil

adHel. Id. Epist. *Nihil mutationis periculo exceptum: non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus. Quamvis Deo agente ducatur, non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu dies aliquis deiiciet.*

Ibidē. *Certis eunt cuncta temporibus. nasci debent, crescere, exstingui.*

Supra, Lib. 4. cap. 10. At in Luxum (si in tempore provides) firmum auxilium habes à nostra Censura.

CAP. III.

De caussis propinquis belli Civilis. Eæ tres. Factio prima est: ejus pernicies in omni statu. & sintne dissidia unquam usui?

SUMMARIA.

1 *Descripta Factio.*
2 *Fons Factionis, Odium: aut Ambitio.*
3 *Pestis hæc mera statuum.*
4 *Aulici Consiliarii probant:*
5 *Improbè.*

6 *Factio*

6 *Factio popularis noxia.*
7 *Factio potentum noxia.*
8 *Gallia loquitur.*
9 *Tamen aliqua dissidia usui:*
10 *Sed exigua:*
11 *Et inter finitimos recepta.*
12 *Factiones legibus premendæ.*
13 *Earumque insignia.*
14 *Et semina.*
15 *Vetandi cœtus.*

HÆc igitur sunt, ut poeta ait: Luca. 1.

——publica belli
Semina, quæ populos semper
mersere potentes.

Venio ad Propinquas caussas: quæ tres occurrunt, Factio, Seditio, Ty-
1 rannis. Factionem nomino, PAUCORUM AUT PLURIUM INTER SE COITIONEM, ET
2 CUM ALIIS DISSENSUM. Cui origo sæpe à privatis, aut publicis familiarum Odiis: sæpius ac Ambitione. dum quisque præire vult, aliumque detrahere: & huic fini conspirant. *Nemo enim eorum qui in rep. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur, aspicit:* Seneca Epist.

Tam

Indid. *Tam sollicitus ne quem ante se videat, quam ne se post alium.*

Indid. *Habet hoc vitium omnis Ambitio, Non respicit.*

Tradunt igitur se, ut fluctus fluctum atq; inde contentio, odia, bel- 3
Liv. 3. lum. *Factionis fuere, eruntq; pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive. quaque alia in Deum iras velut ultima publicorum malorum, vertunt.*

Nam quod quidam hodie male 4
Tacitus Agric. callidi eas etiam approbant, & negant Principi *quidquam adversus subditos utilius, quam si in commune non consilant.*

Heu quam errant! Cum enim du- 5
plex, ut in definitione ostendi, Factio sit, Paucorum aut Plurium: perniciosa utraque. & hæc quidem pa- 6
lam, quæ viribus freta statim ad ma-
Liv. 34. nus & arma tendit: & plerumq; *pars quæ domestico certamine inferior est, extremo potius se applicat, quam civi cedat.*

Sed nec prior illa minus exitia- 7
bilis, quæ inter Paucos & potentes.

Nam

Nam paullatim, ut Philosophus quoque adnotat, αἱ τῶν γνωρίμων στάσεις συναπολαύειν ποιοῦσι καὶ τὴν ὅλην πόλιν: *Nobilium factiones trahunt ad se & in partes universum etiam populum.* Aristo. 5. Polit. cap. 4.

Imo ægrius hi placantur. *neque alius solet esse discordiarum exitus inter claros & potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus & regnum.* Cicer. Orat. De Arusp. resp.

8 Quomodo igitur utiles? nam hæc exemplis here atque hodie etiam sumus edocti. Illud quidē fateor, haud
9 ab re esse, leviter inter se dissentire finitima opida aut provincias: sed leviter, & hoc uno bono, ne in te conspirent. Cato in familia sua id spectavit: qui ἀεί τινα στάσιν ἔχειν τοὺς δούλους ἐμηχανᾶτο καὶ διαφορὰν πρὸς ἀλλήλους, ὑποπτεύων τὴν ὁμόνοιαν καὶ δεδιώς: *semper contentiunculas aliquas aut dissensum inter servos callide serebat, suspectam habens nimiam concordiam eorum metuensq;.* Plutar. Caton.

1 Nec male hic illud applicaverim: *Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casum nisi invicem obstarent,* Seneca Epist.

obstarent, hoc ipso continetur.

Taci. 5. Talem igitur aliquem dissensum,
Histor. & *solita inter accolas odia.*

Fortasse tolerem: at nunquam ve-
ras illas, præsertim inter Nobiles,
Arist. 5. factiones, Imò τὰς τῶν γνωρίμων φιλο- 12
Politi. νεικίας καὶ στάσεις, ait princeps Philosó-
cap. 8. phus, καὶ διὰ τῶν νόμων πειρᾶσθαι δεῖ φυ-
λάττειν: *Nobilium contentiones & par-
tes, etiã legibus oportet prohibere conari.*

Neq; insignia ulla, aut discrimina 13
Nominum Vestiumq; permittere: sa-
luberrimè olim à Mecænate monitũ
Dio. ad Augustum, Κάλλιστον τάς τε ἔχθρας
52. καὶ φιλοτιμίας τὰς πρὸς ἀλλήλους παντά-
πασιν ἐκκόπτειν, καὶ μήτε ἐπωνυμίας τι-
νὰς κενὰς, μήτ' ἄλλο τι ἐξ οὗ διενεχθήσον-
ταί τισιν, ἐφιέναι σφίσι ποιεῖσθαι: *Optimũ
vero inimicitias omne ambitiosa certa-
mina prorsus exscindere, atque adeo nec
Nomina nova aut aliud quid, ex quo
oriri discidia poßint, ipsis permittere.*

Aristo. Atque hæc talia in semine com- 14
5. Poli- primenda. καὶ ἀρχομένων δεῖ τῶν τοιού-
tic. c. 6. των εὐλαβεῖσθαι, καὶ διαλύειν τὰς τῶν ἡ-
γεμόνων καὶ δυναμένων στάσεις: *Incipientia
ista cavenda sunt, & dissipanda magi-
stratuum*

stratuum aut petentium contentiones.

Parva enim *sæpe scintilla neglecta* Curt. 6. *magnum excitavit incendium.*

Et semper *ab hoc genere summum* Liv. 34. *periculum est, si cœtus, & concilia, & secretas consultationes, esse sinas.*

CAP. IV.

Caussa altera è Propinquis, Seditio: ejus Origo, Progressus, Remedia, distinctè explicata.

SUMMARIA.

1 *Definita* Seditio.
2 *Ejus origo varia: ut oppressio, aut metus.*
3 *Laxitas nimia.*
4 *Angustia.*
5 *Tribunitii spiritus.*
6 *Quos Ambitio impellit;*
7 *Quos æs alienum;*
8 *Quos insita vanitas.*
9 *Progressus & augmēta seditionum.*
10 *Libertas & tutela publica, prætexi solita.*

11 *Vulgus*

JAm Seditio etiam caussa Civilis 1
belli: quam definio, MULTITUDINIS IN PRINCIPEM AUT MAGISTRATUS, SUBITUM ET VIOLENTUM MOTUM. De cujus Origine, Progressu, Remediis utiliter

2 tiliter & ordine dicam. Origo ei à caussis variis. Sæpe ab oppressione aut metu. cum *imminentium periculorum remedium, ipsa pericula arbitrati.*

Consternantur ad Arma. Aristoteles caussam hanc discretè tetigit. *Διὰ δὲ φόβον*, inquit, *στασιάζουσιν οἵ τε ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην, καὶ οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι, βουλόμενοι, φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι*: *Ob metum seditiones movēt, tam hi qui fecere injuriam, metuentes pœnam, quam ii, qui in se exspectant, prævenire volentes, priusquam ea inferatur.* 5. Polit. cap. 3.

3 Ab Indulgentia etiam & rebus laxis. quomodo Appius apud Livium dixit; *Non miseriis, sed licentia; tantum concitum turbarum*: *& lascivire magis plebem, quam sævire.* Liv. II.

4 Sæpè etiam ab Inopia, & rebus artis. *Semper* enim *in civitate quibus opes nulla sunt, bonis invident; vetera odere, nova expetunt; odio suarum rerum mutari omnia student.* Sall. Jug.

5 Denique sæpissimè à Ducibus, cum Tribuni quidam exagitant & signiferi turbarum. Nam *multitudo* Livius 28.

omnis, sicut mare, per se immobilis est:

Æoli isti excitant: & *caussa atque origo omnis furoris penes auctores est, reliqui contagione insaniunt.*

Quos operę est, ut tibi describam. 6
Sunt in ea classe primum, Ambitiosi

Ta. II. Annal. aliquot homines, qui *privatim degeneres in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent.*

Cic. II. in Catil. Quique *honores, quos quieta republica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur.*

Tac. I. Hist. Secundo, Obærati & re familiari 7 perdita quibus scilicet *afflicta fides in pace, & rebus turbatis alacres, & per incerta tutissimi.*

Sallust. Orat. Philippi. *Quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt:*

Ideoq; avide, *tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt.*

Ibidē. Tertio etiam Vani quidam & ventosi qui *non tam præmiis periculorum,* 8

Tac. II. Histor. *quam ipsis periculis læti, pro certis & olim partis, nova, ambigua, ancipitia malunt.*

II. Annal. Hæc origo est, hæ caussæ & flabella: at Progressus iste. Hi tales va- 9

ria arte *imperitos animos impellunt.*

Primò clam & *nocturnis colloquiis,* Ibidē.
aut flexo in vesperam die, dilapsis melioribus deterrimum quemq; congregantes.

Illic, *inserunt querelas, & ambiguos* 1. Hist.
de Principe sermones, quæq; alia turbamenta vulgi.

Mox etiam, *promptis jam & aliis* 1. Annal.
seditionis ministris.

10 Agunt audacius; & palam *Libertas* 4. Hist.
ac speciosa nomina prætexuntur:

Sed quam falsò? Nam *ut imperium* 16. Annal.
evertant, Libertatem præferunt; si everterint, ipsam aggredientur.

Nec quisquam alienum servitium, & 4. Hist.
dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.

11 *Adstrepit* tamen *his vulgus.*

Primò *levissimus quisque, & futuri* 1. Annal.
improvidus, spe vana tumens:

Mox, *quod in seditionibus accidit,* 1. Hist.
unde plures erant, omnes fuere. Indid.

12 Atq; hic regnum obtinent fervidi 5. Hist.
maximè & procaces, quique *inclementer in Principem invehi soliti, ut nihil spei sibi inter adversa reliquerunt.*

Ibidē. Nam isti *apertè descendisse in caussam videntur:*

Ibidē. *Eoq;* plebi *gratiores, culpa vel gloria socii.* 13

1. Annal. Ad summam, *quando quis audacia promptus, tanto magis fidus, rebusque motis potior habetur.*

Proverbialis versus. Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς:

In turbis, etiam pravus sortitur honorem.

Progressus est iste: sed quæ Remedia? jam dabo. Suadeo ut in tempore 14

Tac. 15. Annal. occurras. Nam sæpe *modicis remediis primi motus consedere.*

Cicer. Phi. 5. *Omne malum nascens facilè opprimitur: inveteratum, fit plerumque robustius.*

Tac. 1. Histor. Vide igitur, si *incipiens & nondum adulta seditio melioribus consiliis flectetur.*

Mitte qui moneant, suadeant: & 15

3. Hist. præsertim eos, quibus, *facundia adsit, mulcendiq; vulgum artes, & auctoritas.*

Non etiam tu ipse eas? haud teme-

1. Hist. rè. & malo ut *integra auctoritas tua majoribus remediis servetur:*

Tamen

16 Tamen interdum haud abnuam, *præſidium te ab audacia mutuari,* 1. Annal.

Fecit magnus Cæſar: &

——— ſtetit aggere fulti. Luca. 5.
Ceſpitis intrepidus vultus, meruitq́; timeri
Nil metuens.

Etiam *Divus Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas legiones exterruit.* Tacit. 1. Annal.

Cur non tu idem in re ancipiti, & *ubi periculoſior ſit quies, quam temeritas* 1. Hiſt.

17 Aude, illi metuent: &

Deteget imbelles animos nil fortiter auſa Luca. 5.
Seditio, tantumque fugam meditata juventus.

18 Nam plebem noſce. *ferocior* illa *ad rebellandum, quam ad bellandum:* Ex Liv. 7.

Eique inſitum *tentare magis, quam tueri libertatem.* Idem 6.

19 Audi vaticinium: *Omnis multitudo, maxime militaris, mobili impetu fertur.* Curt. 4.

Ita ſeditionis nõ remedia, quam principia, majora ſunt.

20 *Coquus, magnum aenum quando fervit, paulla confutat trua.* Titinnius.

Tac. I. Annal. Quid tamen si coaluit & jam fortis est Seditio? nempe *fortioribus remediis agendam:*

Ibidē. Et *si imperium detractetur, bello certandum.*

II. Hist. Nec tamen statim. *Da malorum pœnitentiæ, bonorum consensui spacium.* 2

Liv. II. Cogita *diem forsitan tempusque ipsum petiturum iras, sanitatemq; animis allaturum.*

Tac. I. Annal. Interea variè *spem offer, metum intende.* 2

Sed inprimis per artes divelle eos 2

Tacitus. ac disjunge: *quo remedio tutissime consensus multitudinis tollitur.*

Quosdam occultis præmiis ad te 2

Liv. II. allice: *neque unquam deerunt, qui gratiam melioris partis bono publico velint quæsitam.*

Tac. II. Histor. Quosdam subdole ad ipsos mitte: 2 qui eadem *velle simulent, quo plus auctoritatis consiliis insit.*

Hi fallent. Tu quoque da verba; 2

4 Hist. quoniam *verba apud eos plurimum valent.*

Plutar. Polit. Τὸν μὲν λύκον οὔ φασι τῶν ὤτων κρατεῖν [illegible]

μάλιστα: Lupum ajunt auribus non teneri: at populum & civitatem auribus maxime oportet ducere:

7 Offer blanda, imo ambigue promitte. quid refert? facile mox *irrita facies, quæ per seditionem expresserint.* Tac. 1. Annal.

Ego bonum hunc dolum toto ostio admitto. Falle, falle potius, quã

8 cæde. Quod si quid hic maculæ, elui id velim clementia & lenitate. Ad te redierunt?ne sævi. *Omnium culpa fuit, paucorum sit pœna.* Ex Ta. Hist. 1. Liv. 28.

9 Abunde satis, si *nefariæ seditionis auctores sanguine luant, quod admiserunt.*

Imò *si unus alterve, maximè prompti, subvertantur.* Tac. 4. Annal.

Quidquid multis peccatur, inultum est. Luca. 5.

Unde orta culpa est, ibi pœna consistat: Liv. 28. Ibidẽ.

Et scito *ad multitudinem, castigationem satis esse.*

10 Sed nec in conscios inquire. Bona fide securi omnes sint: & Tiberii exemplo, Tac. II. Annal.

emplo, *quamquam multi sustentasse opibus, juvisse consiliis dicentur, haud quares.*

CAP. V.

De Tyrannide quid ea sit, & ejus ingenium? mala subjecta oculis: quæsitumque, tollenda ea an tolleranda?

SUMMARIA.

1 *Definitio* Tyrannidis.
2 *Vis ei adhæret:*
3 *Et terror.*
4 *Sine lege est:*
5 *Sine bono ullo jure.*
6 *Amat delatores.*
7 *Tuetur malos.*
8 *Odit formidatque bonos, aut illustres:*
9 *Etiam doctos:*
10 *Scriptores & scripta aversatur:*
11 *Frustra abolet:*
12 *Deus major & melior servat.*
13 *Odiosa omnibus:*

14 *Omnes*

14 *Omnes vicissim metuens.*
15 *Conscientia sua premitur:*
16 *Infortunium invenit.*
17 *Nam raro diuturni* Tyranni:
18 *Raro incruenti.*
19 *De remedio. tollere quidam volunt.*
20 *Cum applausu multorum.*
21 *Sed tolerandi sapius videntur.*
22 *Quia Deus immisit.*
23 *Nec temere sanguis regius violādus.*
24 *Privatim raro id bene cessit:*
25 *Publice minus.*
Semperq; ea causa cladium. *ibid.*
26 *Tolerare melius:*
27 *Ut cœlestia omnia mala.*
28 *Nam subditorum est, parere.*
29 *Jugum quatère nocet.*
30 *Modestia reges mitigat:*
31 *Contumacia exasperat.*
32 *Et prælatio nimia libertatis.*
33 *Monita subditis:*
34 *Qui proni ad querelas aut calumnias.*
35 *Ferant præsentia, spe meliorum.*

TErtia inter Civilis belli caussas, Tyrannis. Quid ea est? Vio-

LENTUM UNIUS IMPERIUM, PRÆTER MORES ET LEGES, 2
Ajo violentum. quia in communi omnium odio, necessariò Tyrannus decurrit ad hoc asylum.

Senec. Herc. Fur. *Quod civibus tenere te invitis scias,*
Strictus tuetur ensis.

Senec. 1. De Clem. Præter alia, hoc inter Regem Tyrannumque discrimen est: *quod alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur; alter ut magno timore magna odia compescat.* 3

Ajo etiam, Præter mores aut leges, Nam apud Tyrannos. 4

Seneca Herc. Fur. *Jus est in armis, opprimit leges timor.*

Tacitus Agric. *Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus Imperium; atque ubi solitudinem fecerint, Pacem appellant.*

Specie tamen aliqua legum, evertunt leges: & habent huic rei Delatores. 5

Tacit. 4. Annal. quod *genus hominum publico exitio repertum nec pœnis unquam satis coercitum, per præmia eliciunt.*

Ibidē. Atque *ut quis districtor accusator, apud eos velut sacrosanctus est: leves, ignobiles, pœnis adficiuntur.* 6

Sallust. Itaq; sub iis, *quam quisque pessimè fecit,* 7

fecit, tam maximè tutus est.

Tyrannis enim *boni quam mali su-* Idem
spectiores sunt, semperque aliena virtus Catil.
formidolosa est.

Inde *sinistra erga eminentes inter-* Taci-
pretatio, nec minus periculum ex magna tus A-
fama, quam ex mala. gric.

Nobilitas, opes, omissi gestiq; honores, 1. Hist.
pro crimine & ob virtutes certissimum
exitium.

9 Imò etiam ob Doctrinam. Nam In A-
pellunt Sapientiæ professores, & omnes gric.
bonas artes in exilium agunt.

Quid ita? *nequid usquam honesti o-* Ibidē.
culis occurrat.

Ipsi enim vitiosissimi, *inimicas vi-* Plinius
tiis artes, non odio magis, quam reveren- Paneg.
tia relegant.

10 Quin metu apud posteros infa- Taci-
miæ, sæviunt in ipsa Scripta: & *mo-* tus A-
numenta clarissimorum ingeniorum in gric.
foro ac comitio urunt.

11 At non etiam *illo igne abolent vo-* Ibidē.
cem populi, & conscientiam generis hu-
mani.

Mihi *socordiam eorum irridere li-* 4. An-
bet, qui præsenti potentia freti, credunt nal.

exſtingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam.

Ibidē. *Nam contra, punitis ingeniis gliſcit auctoritas. neque aliud externi reges, aut qui eadem ſævitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere.* 12

Hæc Facta Tyrannorum: qui Fructus? accerbi. Sunt enim in omnium odio: & *malos Principes deteſtantur, etiam qui malos faciunt.* 13

Plinius Paneg. Tacit. 11. Hiſt. Agric.

In Aſſiduo Metu: & *ad omnes ſuſpiciones pavidi.*

Ideo *adimunt per inquiſitiones loquendi audiendiq; commercium.* 14

Seneca 1. De Clem. Nec linguas ſolum, ſed *omnium manus obſervant, & eo quoque tempore quo non captantur, peti ſe judicant, nullumq; momentū immune à metu habēt.*

Claud. 4. Cōſ. Hono.

——Sors iſta Tyrannis
Convenit: invideant claris, forteſque trucident:
Muniti gladiis vivant, ſeptiq; venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

Tac. 4. Annal. Adde cruciatus & tormenta interna. Nam *ſi Tyrannorum mentes recludantur,* 1

dantur; possint aspici laniatus & ictus. quando ut corpora verberibus, ita sævitia libidine, malis consultis animus dilaceretur.

Et *Quam vellent numquam sceptris* Sil. 13.
fulsisse superbis!

Adeo facinora atq; flagitia sua ipsis Tac. 6.
quoq; in supplicium vertunt. Annal.

16 Deniq; quis exitus? dejectio aut
cædes. Nam *reges consenescunt, libe-* Senecà
risque ac nepotibus tradunt regna: Ty- 1. De
rannorum exsecrabilis ac brevis potestas Clem.
est.

17 Thales interrogatus, τί δύσκολον Laert.
εἴη τεθεαμένος; Γέροντα, ἔφη, τύραννον: in ejus
Quid difficile vidisset? Tyrannum, in- vita.
quit, senem.

Nec poëta noster vanus:

18 *Ad generum Cereris, sine cæde &* Juven.
vulnere pauci. Sat. 10.
Descendunt reges, & sicca morte Tyranni.

19 Immanem belluam hanc vides. sed quod in eam remedium? duplex: Auferre, aut Ferre. Illud, erectioris spiritus est. cui videtur *moriendum po-* Cic. 1.
tius quàm vultus aspiciendus tyranni. de offi.

Nec

Ad pro Milone. Nec ego reprimo; cum sciam *Græcos homines deorum honores tribuisse iis, qui tyrannos necaverunt.* 2

Audi etiam illum Tragicum:

Seneca Herc. Fur.
—*Victima haud ulla amplior,*
Potest, magisve opima mactari Iovi,
Quam rex iniquus.

Sed tamen hoc alterum magis è Sapientiæ norma censeo, & sæpius è publico usu. Quisquis es inter Subditos, si me audis, *scutum tibi magis, quàm gladium* commendo: 2 [Ex Liv. 3.]

Hoc, inquam, Tolerantiæ scutū. Primùm, nonne à Deo reges sunt? ergo anceps, *cæde se qualiscumq; Principis cruentare.* 2 [Tac. 15. Annal.]

Phœbus ille vatum dixit. 2

Home. Odyss. π.
— δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστι κτείνειν:
— *res est gravis occidisse regalem stirpem.*

Nimis verè. Res gravis, imo plerumq; & infelix: si tamen exemplis credimus omnis ævi. Ecce privatim, vindicta statim sequitur: & facinoris ejus *ultor est, quisq; successit.* 2 [Tac. 1. Histor.]

Ibidē. *Tradita* scilicet *Principibus more, muni-*

munimentum ad præsens, in posterum ultione.

Nam, vel exempli caussa,

Regi tuenda maximè regum est salus. Seneca Oedipi

5 At publicè, quid nisi clades? & raro ea *moles convelli, sine convellentium exitio potest.* Tac. 4. Histor.

Factiones ex eo, discidia & bella intestina. Atqui ego cum Favonio assero, χεῖρον εἶναι μοναρχίας παρανόμου πόλεμον ἐμφύλιον: *Pejus deteriusque esse tyrannide sive injusto imperio, bellum Civile.* Pindar. Bruto.

6 Quidni ergo laudabilius, nostrũ Ferre? *meminisse temporum, quibus nati sumus. & bonos Principes voto expetere, qualescumque tolerare?* Tac. 4. Histor.

7 Adeo enim ista & ab alto. & *quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cetera natura mala; sic luxum & avaritiam dominantium tolerare* debemus. Indid.

8 *Indigna, digna habenda sunt, rex quæ facit.* Pindar.

Quid calcitras? *Principi summum*

rerum

Tac. 6. *rerum judicium dii dederunt, subditis*
Annal. *obsequii gloria relicta est.*

Egesip. *Nihil tam exasperat fervorem vul-* 29
lib. 11. *neris, quàm ferendi impatientia.*
cap. 9. *In ipsis agrestibus feris, artissima vin-*
Ibidē. *cula, si se excitent, imprimuntur; si qui-*
escant, relaxantur.

Alexā- Sed & in teipso vide, nequa du- 30
der a- rioris imperii culpa. Nam ut verè
pud Magnus ille regum dixit: *Regum du-*
Curtiū *cumq; clementia non in ipsorum modo,*
lib. 8. *sed in illorum, qui parent, ingeniis sita*
Ibidē. *est.*
Theo- *Obsequio mitigantur imperia.*
pom- Interrogatus quispiam, *quid ita*
po tri- *Sparta floreret? quidne reges rectè impe-*
buit *rare scirent? Imo, inquit, quia cives pa-*
Plutar. *rere.*

Tacit. O bene! & tu tibi sume. Nam sæ- 31
Agr. pè retractas, & *contumacia atque in-*
ani jactatione famam fatumq; provo-
cas.

Plenam meramq; libertatem spi- 32
4. Hist. ras. nescius, *quomodo pessimis Princi-*
pibus sine modo dominationem; ita
quamvis optimis modum libertatis pla-
cere.

Et

Et necessariò *contumacia inferiorum, lenitatem imperitantis deminui.* 16. Annal.

33 Pone hos animos: & *compesce ardorem, peritus obsequi, eruditusq; utilia honestis miscere.* In Agric. 4. Hist.

Ne *contumaciam cum pernicie, quàm obsequium cum securitate malis.* Plinius Paneg.

Assidue cogita: *quanto libertate discordi servientibus sit utilius, unum esse cui serviant.*

34 Mali sæpe Principes, fateor & doleo: sed calumniando pejores etiam facimus. Ita ingenium vulgo. audent passim & audent.

——*humili læsisse veneno* Statius Theb.
Summa; nec impositos unquam cervice volenti
Ferre duces.

Atq; ut ille ait, τὸ παρὸν ἀεὶ βαρὺ τοῖς ὑπηκόοις: *Præsens imperium subditis semper grave.* Thea. Thucyd. 1.

Quid si aliud? idem. Nam *vitia erunt, donec homines: sed nec hæc continua, & interventu meliorum pensantur.* Tac. 6. Histor.

Concludo igitur, *Ferenda regum* 12. An.

inge-

ingenia, neque usui crebras mutationes.

CAP. VI.

Quæstiuncula per occasionem inserta, An misceat se bellis Civilibus vir bonus? utrumq; ea agitata: & cum discrimine aliquo personarum definita.

SUMMARIA.

1 *Vir bonus an Civili bello intersit?*
Non debere videtur, quia ipsum malum: ibid.
2 *Quia finis in eo malus.*
3 *Quia crudeliter geritur.*
4 *Et viri magni abhorruerunt.*
5 *Contra, debere videtur.*
Est enim boni, bonos sequi: ibid.
6 *Et Solon lege ita cavit.*
7 *[illegible]*
8 *[illegible]*

9 Illu-

9 *Illustres & auctuosos interesse volumus.*

10 *Sed modestè.*

11 *Minus claros & quietos quiescere.*

12 *Affectu tamen à bonis stare.*

13 *Attici insigne exemplum, nobis imitandum.*

14 *Cæsaris moderatio Principibus imitanda.*

1 HÆc initia & hæ Caussæ sunt belli Civilis. Modus Gerendi sequebatur: sed justè negavi de eo me dicturum. Illud saltem hoc loco lubet quærere, Qui gerat se in bello Civili vir bonus? quiescat, an abeat in partes? Quietem Ratio & Exempla suadere videntur Ratio: quia *arma civilia neq; parari, neq; haberi possunt per bonas artes.* Tac. 1. Annal.

2 Atque etiam finis in iis plerumq; improbus: & Duces *bonum publicum simulantes, pro sua quisq; potentia certant.* Sall. Jug.

His civilibus armis, ait Sallustius, *[illegible] alia, felicitatem utrimque [illegible]* Id. Orat. Macri trib. pag.

Quid:

Cæsar. Quid ergo, *viro bono & quieto, &*
inter e- *bono civi magis convenit, quam abesse à*
p?st. ad *civilibus controversiis*:
Att. 10. Adde, quod ſævitia quædam & fe- 3.
Epiſt. 7. ritas annexa his bellis: à qua ſane
immenſum abhorret vir bonus. Ci-
Ad Att. cero hoc aſpectu clamat: *Melioris me-*
9. Ep. 4. *dius fidius civis & veri puto, quovis sup-*
plicio affici, quam illi crudelitati non so-
lum praeesse, verum etiam interesse.

Jam Exempla ſi quæruntur, illu- 4.
Idē ad ſtria ſunt. *Ajunt gloriari solitum Q.*
Fam. 11 *Hortensium, quod numquam Civili bel-*
ep. 16. *lo interfuisset.*
Vell. 11. *Asinii* etiam *Pollionis factum ac di-*
ctum memorabile: Nam rogante Cæsa-
re, ut secum ad bellum proficisceretur
Actiacum: Ego, inquit, discrimine ve-
stro me subtraham, & ero præda victo-
ris.

Et plura reperies. Tamen altrin- 5.
ſecus, Ratio pariter & Exempla. Ra-
Cic. ad tio hæc. Ubi diſſidium, cur vir bo-
Atti. 7. nus ſejungat ſe à ſuis? imò *ut bos ar-*
Epi. 7. *menta; sic ipse bonos viros, aut eos qui-*
cumque dicentur boni, sequatur.

Sapiens ille Solon lege etiam Me- 6.
dios.

dios iſtos quietosque ſubmovit. *In* Agell.
caſu, inquit, *civilis diſcordiæ, qui non* Noct.
alterutra parte ſeſe adjunxerit, ſed ſoli- Attic.
tarius ſeparatusq; à communi malo ci- Lib. 11.
vitatis ſeceſſerit; is domo, patria fortu- cap. 12.
nisq; omnibus careto, exſul extorrisque Seneca
eſto. 1. De

7 Quid Romanus ille *Cato virtu-* Tranq.
tum viva imago, 2. De
Certius ſapientis exemplar, quam Tranq.
Hercules aut Vlixes.

Nonne non comitem ſolùm Civilibus armis ſe præbuit, ſed ducem? conſtat. Ergo & vir bonus idem facit: & *quemcunq; ſors tulerit caſum, ſubibit potiùs cum iis, qui dicuntur eſſe boni, quàm videatur à bonis diſſentire.* Cic. ad Att. 8. Epiſt.

8 Conflictum ſententium vides: nos quid volumus? pacem. Utramque ſententiam probam eſſe dicimus, ſed cum diſcrimine quodam
9 perſonarum. Clarus quispiam aut illuſtris eſt? *verſaria in republica, atque in ea excellentius ſe gerere ſtuduit?* Id pro Sextio.

Poſterior ei ſententia tenenda: &

facien-

Id. ad Att.7. epist.7.

faciendum *quod pecudes, quæ dispulsæ sui generis sequuntur gregem.*

Quis color aut ratio, eum tranquillis rebus ad clavũ sederis, ut deseras abiiciasque eum, turbatis? non potes. Huic generi hominum, sci-

Id. pro Sextio.

mus *dignitati esse serviendum, reipub. consulendum, officii rationem in omni vita esse ducendam.*

Misce te & junge: sed cum hac le- I

Id. Ad Fam.4. epist.7.

ge, ut appareat *Sapientem & bonum civem initia belli civilis invitum suscipere, extrema non libenter persequi.*

Consilia tua si ad pacem confers, si in ipso æstu belli, iræ ac victoriæ moderatis: ô virũ, ô civem! At parte II altera latet aliquis? & est ex eo ge-

Id. Pro Sextio.

nere, qui *missos fecerunt honores, nec rempublicam attingunt?*

Hic, me judice, nec Civile quidem

Cæs. in iis Ad Att.10. epist.7.

bellum attingat. Cur nunc se det in turbidum illud mare, qui tranquillũ non tentavit? Ille vero *neque tutius, neq; honestius reperiet quidquam, quam ab omni contentione abesse.*

Cælius ad Cic. lib.10.

Eligat censeo aliquod opidum vacuum à bello, dum hæc decernuntur:

Sed

12 Sed cum ea item lege, ut *ne propensior ad turpem caussam videatur.* ad Att. Cice.

Animo saltem, quis patriam non juvet? Cape exemplum ab ipsa Modestiæ & Prudentiæ prole, Titio Attico, qui *ita in repub. est versatus, ut semper optimatium partium & esset, & existimaretur: neq; tamen se Civilibus fluctibus committeret, quod eos non magis in sua potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quàm qui maritimis jactarentur.* Ad Att. 7. epist. 25. Nepos in ejus vita.

13

14 Viro optime salve, & probāde magno illi Cæsari, qui *denunciante Pompejo, pro hostibus se habiturum, qui reip. defuissent: ipse Medios, & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciavit.* Sueton. Jul. cap. 75.

Hoc nostrum Arbitrium est in re litigiosa. in quo *facile intellego, pugnandi cupidis hominibus me non satis facere:* Cic. in iis ad Attic. 8. epi. 15.

Sed iidem illi vitam meam cogitent: sciantque *consilia nostra paucis & togæ socia, non belli atque armorum esse.* Id. pro Marc.

CAP.

CAP. VII.

De Finiendo civili bello & Operis mei finis.

SUMMARIA.

1 *Duplex ratio finiendi civilis motus.* Pactio *melior ibid.*
2 *Dies & tempus, semper pro regibus.*
3 *Diuturnum bellum iis noxium.*
4 *Victoria plena vix hic conducit.*
5 *Nisi consilio valde regitur.*
6 *Auctores motuum tollendi.*
7 *Instrumenta removenda.*
8 *Leniter cum aliis agendum.*
9 *Non audiendæ sanguinariæ hirudines.*
10 *Salutare Consilium!*
11 *Decus Regum, clementia.*
12 *CONCLVSIO.*
13 *Et pro Principe votum.*

Sed

SEd ſerio jam exſulto. & ut nautæ

——*quando ex alto procul* Plautus Menæc.
Terram conſpiciunt,

ex animo lætatur: ſic ego, qui terram non aſpicio, ſed tango. Breve ſaltem ſpatium intereſt, de Civili bello Finiendo: quod una nec mu-
1 tata velificatione decurram. Finitur Civilis diſcordia dupliciter, Pactione aut Victoria. Illam eligo. & omnino melius. *Sapientia id potiùs exſtingui, quam armis & ferro rem in diſcrimen adducere*, Cicer. Phil. 5.

Mihi omnis pax cum civibus bello Civili utilior videtur. Id. Philip. 11.

2 Etiam temporaria & parum firma. Nõne divulſi animi interea coaleſcunt? Errant, qui exacta hic omnia volunt & ad liquidum perducta. Acutè ſimul & verè Curtius: *Nec fallebat Antipatrum diſſentire ab animis gratulantium vultus, ſed bellum finire cupiendi opus erat decipi.* Lib. 6.

3 Rex prudens ſæpè *moram magis quam bellum metuet*. Liv. 21.

4 Tamen pleriſq; placere video Fi-

Flor.11. cap.18. niendi modum alterum: qui *veram volunt, & sine exceptione Victoriam.*

Quæ splendida sæpius, quam salutaris: nisi magna quadam prudentia moderaris. Nam *ex victoria cum multa, mala, tum certè tyrannis exsistit.* Cic. ad Att.7. epist. 5.

5 Tac.5. Histor. Tu cave, & callidum Mucianum hic audi: *Initia bellorum civilium fortuna permittenda, Victoriam consiliis & ratione perfici.*

6 Illa adhibe, & imprimis semina motuum tolle. Capita specie honoris aut muneris ablega, ut *nova cupientibus auferatur dux & auctor.* 16. Annal.

7 3. Hist. Ipsos milites remove. quos *spargi per provincias, & Externo bello illigari, pars consilii pacisq; sit.*

5. Hist. Sæpe *bellum externum* firmam *concordiam peperit.*

8 Sed ante omnia Clementiæ vestigiis tu adhære. neque audies *importunissima genera hominum*, qui *tot miserorum civium sanguine satiari nequiverunt.* Sallust. ad Cæs.

Indid. *Qui te ad crudeles pœnas, aut acerba judicia invocant.*

Scili-

Scilicet ut ipsi *trahant, rapiant, &* Ind. id.
tanquam urbe capta libidine ac licentia
sua pro legibus utantur.

9 Non, non: Brutus tibi doctor me-
lior. cujus saluberrimum effatū. *A-* Cic. ad
crius prohibēda esse bella Civilia, quam Brutū
insuperates iracundiam exercendam. epist. 2.

Iudica à plerisq; ignoratione potius,
& falso atq; inani metu, quam cupidi-
tate aut crudelitate civile bellum esse
susceptum.

Ita res tuas augebis, ita famam. & Sellust.
efficies, *ut nec inimici quidem queri* ad Cęs.
quidquam audeant, nisi de magnitudine Sene. 1.
tua. de Cle-

10 *Nullum ornamentum Principis fa-* mente.
stigio dignius pulchriusq; est, quàm illa
corona Ob Cives Servatos.

11 Sed ego hactenus, ô Princeps, *quæ* Con-
mihi utilissima factu visa sunt, quæ- clu-
que tibi usui fore credidi, quam paucissi- sio.
mis potui, perscripsi: Sallust.

Nunc *voto finiendum volumen est.* ad Cęs.

12 *Et socios, cives, ac Deum ipsum præ-* Vell. 2.
cor hunc, ut tibi ad finem usque vitæ Tac. 4.
quietam & Intellegentem Annal.
Humani Divinique Juris

MENTEM *duit : illos, ut quandocunque concesseris,* CVM LAVDE ET BONIS RECORDATIONIBVS, *facta atq; famam nominis tui prosequantur.*

ANNVE Ô REX REGVM.

FINIS.

JUSTI

JUSTI LIPSI
AD LIBROS
POLITICO-RUM
BREVES NO-TÆ.

Anno M. DC. XV.

JUSTI LIPSI AD I. LIB. POLITICORUM NOTÆ.

HAS mihi viſum addere Lector, ut dictis meis alieniſque interpres ſim, & tranſferam te alibi hærentem. Præcipuus ille finis. quod ſi lætum interdum aliquid aut floridum interveniet; ex-

exemplum tibi erit, qui noſtra hæc augeas & illuſtres. Quid enim aliud iſta, quam velut Tabulæ quædam diſpoſitæ, & LOCI COMMVNES ſunt, ad quos commode referas lecta tibi in hoc argumento aut legenda? Vide & imitare.

De titulo librorũ. POLITICORVM LIBRI.] *Ita inſcripſi, nec perperam. Nam etſi propriè de Principatu agimus, & eius inſtructio mihi ſcopus: tamen & librorum prior pars velut commune προαύλιον ad quamq; Rempublic. eſt: & paſſim præcepta ad omnem Civilem vitam.*

IN CAP. I.

Pag. 44 VEterum monitis, imò & verbis.

bis.] *Ita fecimus. Lapides & ligna ab aliis accipio: ædificii tamen exstructio & forma, tota nostra. Architectus ego sum, sed materiam variè undiq; conduxi. Nec aranearum sane textus ideo melior, quia ex se fila gignunt: nec noster vilior, quia ex alienis libamus, ut apes.* Forma scriptionis.

Duos Rectores. Prudentiam & Virtutem.] *Sive duo etiam fulcra: sine quibus laudabilis & firma Respublica nulla unquam fuit, nulla erit. Tetigerunt utrumque alii: sed si neminem distinctè aut plenè præceptis id amplexum dixerim, libera magis vox erit quam superba.* Fulcra bina Reip.

IN CAP. II.

RECTUS de Deo sensus, in Deum cultus.] *Ita pietatem definimus, & hæc duo sane præcipua ejus munera sive partes, Nosse supremum illud numen, & Venerari.* *Lactantius*: Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut DEUM cognoscat & colat. *A sensu tamen veniendum est ad cultum. Idem*: Sapientia præcedit, Religio Pag. 4. Pietatis dua membra. *Lib. 3. Instit. cap. 30.*

cap. 4. Lib. 4.

sequitur: quia prius est Deum scire, consequens colere.

Dei proprii nomen ignoremus. *Lib. Iudicum cap. 13.* *l. De Fide, cap. 13.* Quod ei convenientissimũ? *Paman. cap. 5.* Deus est, qui est, & quod est. *Ad Roman. 2.*

Ita appello Summum illud.] *Heu miseriam! adeò à cognitione Summi illius remoti sumus, ut ignoremus & nomen. Ipse increpat*: Cur quæris nomen meum, quod est Mirabile? *Et Damascenus*: τὸ θεῖον ἀκατάληπτον πάντως καὶ ἀνώνυμόν ἐστι: Comprehendi omnino Divinum illud non potest, neque nominari. *Etsi nos tamen nomina ab antiquo habemus, & quod miremur, pleraque gentes quadrilitera. Sed cum eodem Damasceno sentio, nullum nomen aptius Deo tribui,* τοῦ ὄντος. *Caussa* ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον: Universum enim illud Esse complectens in se ipse habet, quasi mare quodam infinitum & immensum. *Pulcherrimè Hermes*: Ἔστιν αὐτὸς καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα. Ipse est, & quæ sunt, & quæ non sunt. *Quo sensu? addit*: τὰ μὲν γὰρ ὄντα ἐφανέρωσε, τὰ δὲ μὴ ὄντα ἔχει ἐν ἑαυτῷ. Nam & quæ sunt, aperuit; & quæ non sunt, habet in seipse. *Ille scilicet est (Ægyptiorum templis*

plùs ritè inscriptum) τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον: quod fuit; quod est, quod erit *ille, ut Apostolus ait*, ex quo omnia in quo omnia. *Hæc talia nec impie nec inscite dici possint: sed quanto augustior & Deo dignior illa confessio?* Ἀνεκλάλητος, ἄρρητος, σιωπῇ φωνούμενος: ineffabilis, non dicendus, silentio exprimendus.

Demissio animi hic tuta.

Hermes Paman. cap. 1.

Mentē solutam quamdam.] *Mentem, sed mente subtiliorem. Hermes ille verè Ter maximus in his divinis.* Ὕλης μὲν τὸ λεπτομερέστερον, ἀήρ. ἀέρος δὲ, ψυχή. ψυχῆς δὲ, νοῦς. νοῦ δὲ, ὁ θεός. Materia subtilior, aër. aëre, anima. anima, mens, mente, ipse Deus.

DEUS mente purior.

Paman. cap. 5.

Præditam motu sempiterno.] *Rectè accipe: pro vita & actione sempiterna. Aristoteles explicabit:* Θεοῦ δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία· τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος, ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. Dei actio, immortalitas. hoc autem est perpetua vita: ut necessium sit divinitati motum perpetuum inesse. *Nā de alio motu, sanè falsum. Ille omnia movet, immobilis. omnia quatit inconcussus. Hermes:* πᾶν δὲ τὸ κινούμενον οὐκ ἐν

Quo sensu, Deus in motu?

II. De Cælo. cap. 3.

Vivit perpetuo.

Movet, nō movetur.

κινου-

Parman. cap. 2. κινουμένῳ κινεῖται. ἀλλ' ἐν ἑστῶτι. καὶ τὸ κινοῦν δὲ ἕστηκεν: Omne motum non in moto movetur, ſed in quieſcente. & id quod movet, quieſcit.

Pauca de Deo dicēda: Nec niſi in Sacris tradita.

De Deo etiam vera dicere, periculoſum.) *Qui enim ſcis, an dicas vera? Circumludis infinitum & æternum illud, tu puſille, tu mortalis. Atque hoc ſenſu, iſtud verum. Alias, non nego, quin de Deo liberè & verè dicamus, quæ de ſe ipſe, id eſt, quæ in ſacris myſticiſque libris, referantur.*

Vitium animi, in illū inquirere: Et inquiſitio ea vana.

Qui melius ſcitur, neſciēdo.) *Hoc quoque pari cautione & ſenſu. Curioſos tantum excludimus; quoniam, ut ait Baſilius:* τῆς ψυχῆς νόσημά ἐστι, τὸ κακῶς καὶ περιέργως ζητεῖν περὶ θεοῦ: Animi morbus eſt, malè & ſuperfluè de Deo quærere. *Quid autem quæramus? Cœli aut ſideris unius naturam plenè nondum cepimus; & volumus cœli ſiderumque auctorem? Vani, vani! Poetam audiamus:*

Philetas.

Θεὸν νόμιζε, καὶ σέβου, ζήτει δὲ μή.
Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις.

Deum eſſe crede, & colito, ſed non quærito.

Nam

Nam nil habebis aliud hic,
quam quærere.

Sed & Bias olim monuit: περὶ θεῶν λέγε, ὡς εἰσί: De diis tantum dic, esse. *Pius noster scriptor magis piè*; Deus religione intelligēdus est, pietate profitendus est, sensu vero persequendus non est, sed adorandus.

Laert. in ejus vita.

Venerare nō rimare.

Effectus tamen ejus.] *Omnino dei opera & effectus noscenda, si vis ipsum*, Νοῦς ὁρᾶται ἐν τῷ νοεῖν, ὁ θεὸς ἐν τῷ ποιεῖν, *ait Hermes*: Ut *solem deficientem non directo, sed in aquis intuemur; sic deum in operibus*.

Hilar. de Trinit.

Deus in effectis, & ab iis, noscēdus.

Affectus (si ita appellare fas.] *Merito dubito, imo non dubito. Nam revera affectiones nullæ in perfecta illa simplicique natura, sed pura res ipsa. Damascenus*: ποιότητος τὸ θεῖον ἐλεύθερον: Qualitatis Deus expers. *Itaque propriè, non ille Sapiens, Bonus, Justus: sed Sapientia, Bonitas, Justitia. Hilarius*: Quidquid in Deo est, Deus est: totum quod in eo est, unum est: *Et Augustinus*: Quidquid ibi intellegi potest, substantia est. *Nec Plato ignoravit*: Αὐτὸ τὸ ἴσον, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ ἕκαστον, ὃ ἐστὶ τὸ ὄν: Totus

cap. 11.

Affectus nulli in Deo.

De Fide.

De Trinitat.

Ipsum

Substātia est. In Phædone.

Ipsum æquale, ipsum pulchrum, ipsum singulum, quod est id quod est.

In tenebris Deus. In Dissertat. ab Arriano digestis, lib. 1. cap. 14.

Interest animis & mediis cogitationibus intervenit.] *Alte hoc imprimite mortales, vix peccatis. Epictetus plane divinitus*: Ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστέ. οὐ γὰρ ἐστέ. ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστὶ, καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστί. καὶ τίς τούτοις χρεία φωτὸς, εἰς τὸ βλέπειν τί ποιεῖτε: Cum Janus adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne unquam in mentem venias dicere, quod soli estis. non enim estis. sed Deus intus est, & Genius vester intus est. Quis autem usus iis luminis, ut videant quæ agatis?

IN CAP. III.

Cum Religione Resp. floret, aut cadit.

OMnia prospera colentibus deos, adversa spernentibus.] *Seriò cogitare debet Princeps. Religio neglecta aut prolapsa, traxit semper remp. secum, & trahet. Vates ille haud vanus*:

Di multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.

Et La-

Et Lactantius adserit: Ideo mala omnia rebus humanis cottidiè ingravescere, quia Deus mundi hujus effector & gubernator derelictus est: quia susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ religiones. *Horat. Lib. 5. Instit. cap. 8.*

In quam naturæ vitio nos proni.] *Adeo verum est, ut in alia vitia duci videamur in hoc rapi. Plutarchus haud injuria deplorat* τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν, οὐδὲ κρατοῦσαν αὑτῆς, ἀλλ' ἐκφερομένην, ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ὅπου δὲ εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ περιφρόνησιν: humanam infirmitatẽ, metam terminumque non habentem, nec sui potentem, sed efferentem se, modo in superstitionem & vanitatem, modo in neglectum rerum divinarum & contemptum. *Atqui, ut idem addit,* ἡ δ' εὐλάβεια, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄριστον: Religio, & ut nihil nimis, optimum. Superstitiosi nos natura: *In Camillo.* Aut Impii

Si tamen peccandum est, fateor tutius meliusque peccari in hanc Superstitionis, quam illam Impietatis partem. Νόσος δὲ μεγάλη ψυχῆς, ἀθεότης. ἔπειτα δόξα εἰς πάντα τὰ κακὰ ἐπακολουθεῖ, καὶ ἀγαθὸν οὐδέν: In mediocritate virtus. *Hermes*

cap. 12. οὐδὲν: Magnus, magnus animi morbus est, Impietas: quoniam illum opinio & inclinatio ad omnia mala sequitur, boni autem nihil. *Et sanè ea stante nunquam Resp. stabit.*

Pessima Impietas

Pernicies rerũ publicarum.

Nulla res multitudinem efficacius regit, quam superstitio.] *Multitudinem dico, non hanc togatam tantum aut muliebrem, sed etiam illam accinctam & militarem. quæ, ut idem Curtius ait:* alioqui impotens, sæva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus suis paret. *Itaque usi vel abusi hac sæpe viri principes. ut P. ille Scipio, qui Jovem in Capitolio consulebat: Q. Sertorius, qui cervam circumducebat: C. Marius, qui Syram quandam fatidicam, Martham: P. Sylla, qui in prœliis præferre & ostentare solitus sigillũ Apollinis. & exempla plura. Sed illud Caroli* VII. *Gallorum regis eximium: cujus res accisas valdè reparavit hoc commentum. Virguncula fuit Johanna Lotharinga, (à deone instincta, an humana aliqua fraude subornata?) quæ palam ad Regem venit, & mira constantia asseruit divinitus se missam,*

PAG. 29. Superstitio efficax ad regendũ.

*Lib.*4.

Usurparunt hoc fine multi.

Virginis Gallicanæ nhu-

missam, pellendis è Gallia Anglis. Res relata ad consilium: suasa, dissuasa. Regi admittere visum & prudenter. Ejus sanè opera, imo & ductu (nam arma gerebat, & viris praibat) Aurelianum arcta obsidione liberatũ; & pleraque alia fortiter ac feliciter gesta. Ad extremum tamen vacillavit vaticinii fides, cum Johanna capta ab Anglis & Rhotomagum ducta, igne exusta est, ut prastigiatrix.

siasmus sive dolus.

At tu fuge.] *Ab omnibus superstitio arcenda, à Principe maximè. quam altus scilicet erectusq; animus decet: at Superstitio & aniles persuasiuncula, ut cum Poeta dicam,*

Principem dedecet superstitio.

—— faciunt animos humiles formidine divum,
Depressosq; premunt ad terram.

Lucret.

Et sane vilium ferè aut barbarorum est Superstitio. Plutarchus: Εὐάλωτον εἰς δεισιδαιμονίαν φύσει τὸ βαρβαρικόν: Inclinat natura ad superstitionem barbari. *Quod idem censebis de fœmineis imbecillisq; naturis.*

Barbari ad eã proni. *In Sertorio.* Aut fœminæ ac pueri.

Deos à superstitioso timeri.] *Intellege, serviliter timeri. Nam duo vitii hujus propria, Nimius timor, Nimius cultus.*

Timor ei.

cultus. Seneca: Superstitio, error insanus est; amandos timet; quos colit, violat.

Religentem oportet esse, religiosum nefas.] *Mens prisco huic versui, religionem cum modo habendam, ut omnia bona: quæ talia esse desinunt, si ille absit. Nam Religiosum prisci dicebant in vitio, & cum copia quadam immodica, ut Mulierosum, Vinosum. Si autem alicui modus hic servandus, certe Principi, imo omnibus, qui in Rep. versantur. Niceph. Gregoras haud inscite:* τῷ γὰρ μόνῃ προσέχοντι τὸν νοῦν τῇ κατὰ θεὸν θεωρίᾳ, ὄρεσι καὶ σπηλαίοις ἐνδιατρίβειν προσήκει. ὅστις δὲ μετὰ τῆς ἀρετῆς καὶ πολιτικὸν ἤσκησεν ἦθος, καὶ πεῖραν ἔσχε πραγμάτων παντοίων, οὗτος λαὸν ὁδηγεῖν ἐς τὰ βέλτιστα καὶ σωτήρια κράτιστος: Nam qui in una Dei contemplatione mentem defigit, huic tali montes & speluncæ conveniunt. at qui una cum virtute civiles etiam mores conjunxit, & notitiam sibi paravit rerũ variarum: ille vero populum ad optima & saluberrima ducere idoneus est.

Optimus animus, pulcherrimus cultus

[Margin notes: comes & angor. — *Epi. 83.* — Intellectus sanus in versu veteri. — Modesta religio Principi convenit. — *Hist. 3.* — Reli-]

cultus.] *Breviter hoc ipsũ & acute La-* gio in
ctantius: Religiosissimus est cultus, i- vita &
mitari. *Etiam Hermes Ægyptius*: Θρη- factis.
σκεία τοῦ θεοῦ μία ἐστὶ, μὴ εἶναι κακόν: U- *Lib. 5.*
nicus (*certe præcipuus*) dei cultus est, *Instit.*
non esse malum. *Possem hic quædã ap-* *cap. 10.*
posite & vere: sed Megarensis ille Sapiens
mihi inclamat, περὶ τούτων σίγα ἐν ὁδῷ.

Moysen illum Ægyptium.] *Historiola, quam aspexi, amæna & hodie utilis est. Tu, si lubet, ab auctore eam pete.*

IN CAP. IV.

ET vocem Fata sequuntur.] *Hac* Fatũ,
mente veteres Fata voluerunt Jovi Jovis
præsto esse cum stilo & tabulis, ad inscri- verbũ.
benda ejus dicta. Latinus Piacatus: An *In Pa-*
ut illa majestatis tuæ participi Deo *neg. ad*
feruntur assistere Fata cũ tabulis: sic *Theod.*
tibi aliqua vis divina subservit, quæ Vete-
quod dixeris, scribat ac suggerat? *Et* rum in-
Marcian. capella Parcas, scribas Jovis volu-
appellat, quod ejus decreta in æreas cra.
tabulas referant. *Ovidius aspexit*: *Metam.*
—— Cernes illic molimine vasto *15.*
Ex ære & solido rerum Tabularia
ferro.

Ipse

PAG. 56. Volũtas à Fato immunis. Lib. 5. de Civit. c. 8. cap. 14. Nec ad mala, nisi à se, impellitur.

Ipsi homines, tamen in parte.] Adeo *enim* sunt, *ait Augustinus*, omnium potestates, quamvis ab illo non sunt omnium voluntates. *Ab uno & perpetuo illo bono, jure amovemus omnia mala. Trismegistus*: Αὐτῷ δὲ τῷ ποιοῦντι οὐδὲν κακὸν, οὐδὲ αἰσχρὸν νομιζόμενον. ταῦτα γάρ ἐστι τὰ πάθη τὰ τῇ γενέσει παρεπόμενα, ὥσπερ ἰὸς τῷ χαλκῷ, καὶ ῥύπος τῷ σώματι. ἀλλ᾽ οὔτε ἰὸν ὁ χαλκουργὸς ἐποίησεν, οὔτε τὸν ῥύπον ὁ ποιητὴς γεγέννηκεν, οὔτε τὴν κακίαν ὁ θεός: Ab ipso conditore nihil malum aut turpe esse existimandum est. Hæc enim sunt affectiones quædam adhærentes & concomitantes ipsam generationem, sicut ærugo æs, & sordes corpus. Atqui nec ærug nem faber fecit, nec sordes auctor produxit, nec malitiam Deus.

Fatum inevitabile. Lib. 23.

Nullis consiliis vel auxiliis vitamus.] *Ammianus*: Nulla vi humana vel virtus meruisse unquam potuit, ut quod præscripsit fatalis ordo, non fiat.

PAG. 57.

Heu fatis superi certasse minores.] *Ita Jupiter ipse apud alium Poetam*:

Me-

Me quoque fata regunt. *Ovid. 9. Metam.*

impia sententia dicam, an stulta? Cur enim numen vincatur à Fato? numquam certant. Et nos ipsi cum Deum supra Fata esse dicimus, magis Stoicis contradicimus, quam aliquid pro re dicimus. Nã qua hic comparatio? proinde est, ac si ambiguam, Judéxne super sententiam sit, an ipsa super illum. Sed mutare inquiunt, Fata an Deus potest? Abi inepte: scito eum nolle: & hoc satis. Ordinem fati æterna series regit, cujus hæc prima lex est: stare decreto.

Deus non subest Fato: Nec id tamen mutat. *Seneca 2. Natural. Quæst.*

Consilia corrumpit.] *Qua aut mala scilicet immittit, aut nec bona fortunat:* τῆς γὰρ θείας οὐ συμμαχούσης προνοίας τοῖς τῶν ἀνθρώπων βουλεύμασί τε καὶ πράγμασι, πονηρὸν αὖθις ἅπαντα τὸ τέλος, καὶ σφόδρα τοι ἐναντιώτατον. οὔτε γὰρ βουληφόρος ὁ βουληφόρος. οὔτ' ἀνδρεῖος ὁ ἀνδρεῖος. ἀλλὰ τά τε σοφὰ βουλεύματα πρὸς ἄσοφον τελευτῶσι πέρας, καὶ τὰ γενναῖα καὶ ἀνδρικώτατα πράγματα, ἄνανδρόν τε καὶ μάλα αἰσχρὸν τὴν ἧτταν καρποῦται: Nam ubi divina Providentia non commilitat consiliis actionibusque hominum, malus

Consilia nostra sibi Fatum aptat. *Niceph. Greg. lib. 3.*

malus iis exitus obvenit, & cogitationibus valde adversus. Nam tunc neq; vir consultus, consultus est; nec fortis, fortis; sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maximè ac fortia facta turpem & infamem exitũ consequuntur. *Hæc Gregoras. cui testimonium do, neminem prudentius aut crebrius hæc fatalia Historia sua miscuisse.*

Fata per caussas agunt. *Lib.7.*

Ut quod accidit, etiam meritò accidisse videatur.] *Lucani eadem mens.*

Hoc placet, o superi, vobis cum vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen?

Et revera is ordo caussarum & eventuum ut etiam humana ratione non aliter cadere debuisse judicemus. O *mira sapientia! qua res omnes ita dirigit & flectit, ut tamen ipsi illuc ivisse videamur. Quid ergo? ad peccatum impellit Deus: non, non, sed ad lapsum, id est, res & fortunas mutat, & ab alto dejicit, ab imò attollit: & hæc talia externa; sic ut nos ipsi consiliis factisque gradum nobis struamus*

Trahit nos sæpe Deus in externa mala. Sed cũ culpa

struamus ad fatalem illum lapsum sive ascensum. Ut *cui in vinclis à lictore ducitur, plerumque sponte it, trahendus tamen nisi eat; ita hic.*

Tibi quis hic fructus?] *Fructum unum & præcipuum expressi, Patientiæ: licet alterum nunc addas, Scientiæ. Vos qui in Regno aut Republica, scite: ferri & volvi omnia sursum, deorsum,* & nullius rei eodem semper loco stare fortunam.

Regitur fatis mortale genus,
Nil sibi quisquam spôdere potest
Firmum & stabilem.

Atq; ut noster ait: rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum, temporum vices, ita & morum vertantur: *imo & imperiorum. Græci floruerunt? post hos Afri post hos Romani, post hos Scythæ: & qui scio an non brevi nova aliqua gens?*

Nam fati maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidam ascenderunt, relabantur. *Stare in fastigio Scythas sive Turcas jã video: & stare. A multis annis*

tamen nostra. In Fato cõsideranda volubilitas rerum. *Sen. Cõsol. ad Helviа. Sene Octavia. Taci. 3. Annal.* Hodie sic, cras aliter. Regna infirm. *Sen. pater in Præfat. 1. Contro.*

nis nulli eorum progressus: profectò (verè vaticinor) spectant casum. Hæc talia, quisquis rebus consiliisque interes, considera: & quantum humano ingenio potest, pravide, quo inclinent se fata. & tu ad illa. Nam miser quid pugnes? καὶ γοῦν ἐξ αὐτῶν ἐδιδάσκετο πραγμάτων ἄνθρωπος, ὡς ὅσα μὴ συναιρομένην ἔχει τὴν ἄνωθεν δεξιὰν τούτοις καὶ γῆ καὶ θάλασσα μάχεται καὶ ἀὴρ, ὥσπερ τινὶ δραπέτῃ θεοῦ καὶ τῆς δίκης ἀλάστορι δραστηρίως ἐπιτιθέμενα: Ex ipsis factis homo discat, quæcumque cooperantem & commilitantem non habent supernam dexteram, his terram & mare & aerem adversari, tanquam fugitivum aliquẽ DEI & Justitiæ violatorem efficaciter persequentia. *At contra, quo Fatum vergit, alia etiam omnia: & velut viam illi muniunt ignari aut inviti. Cæsar ad Principatum venire debet? Societatem cum illo Pompejus coeat, & calide evehat juxta sese: Dejicere postea vult? frustra caussam duntaxat armorum præbeat, turpiter & imperite ex Italia fugiat, aleam de summa re uno prœlio jaceat festinanter. Romanos imperare*

Niceph. Greg. 7.

Fatorũ devergia videnda.

Illuc omnia sedant, tracta occulto fune.

sperare fatum est? Annibal à Cannis Romam non petat: Philippus fœdus sine effectu cum illo ineat, & navis cum legatis velut casu capiatur: ceteri itē reges quiescant, & alii post alios vincantur, fatali omnium ignavia. *Quid de hodierno Europæ statu cogitem, sileo. Sed Fatum quid tibi vis? quod telum subito in me injicis? Ecce nuncius,* * PLANTINUM *illum meum, quo neminem ego, nemo me fidelius amavit; illum pulcherrimæ artis columen, & fili mei lucem; abiisse. Heu, heu, ego vivo & scribo!* — *Tac. 15. Annal.* — * *Obiit Kal. Juliis anni 1589.*

IN CAP. V.

POtest contingere nocenti, ut lateat, latendi fides non potest.] PAG. 62.
Imitatus est & argute extulit minor Seneca:

Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit. *In Hippol.*

IN CAP. VI.

ESse, quam videri, probus malis.] PAG. 64.
Machiavellum ergo nemo audiat, qui simulatam nescio quam virtutem — Pura

probitas proba.

Principi induit, & scenæ servientem. Et dogma ad Principis perniciem, & subditorum!

Apud Ammiam. lib.16.

Honestum ei civile est, cui corpus nimis carum est-] *Cato Censorius in hanc sententiam* : Cultus magna cura tibi, magna virtutis incuria.

IN CAP. IIX.

Experientia in Rep. opus.

QUisquis in re Civili intellegens haberi volet, opus ei Experientia.] *Multa & pulchra apud Philosophum in loco vide, quem hic citavi. Illud certum, intellegere te aliquid ex lectione vel auditu in rebus Civilibus posse, atq; etiam judicare; tangere aut tractare eas non posse, sine usu.*

IN CAP. IX.

Historiæ cōpendiosa

PLura ad Prudentiam confert.] *Si ulla quidem res ad Prudentiam publicam privatamq; facit, facit Historia. quam Leoni futuro Princ pi, Basilius pater jam princeps, egregie commendat, verbis quæ merito adscribo :* Ἱστορίας ἀρχαίας ἐξέρχεσθαι μὴ κατόκνειν, ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσεις ἀκόπως, ἅπερ ἕτεροι συνῆξαν ἐγκόπως, καὶ μάθοις ἐκεῖθεν

τὰς

τάς τε τῶν σπουδαίων ἀρετὰς, καὶ τὰς τῶν φαύλων κακίας, τάς τε τοῦ βίου πολυτρόπους μεταβολὰς, καὶ τὰς ἐν αὐτῷ πραγμάτων ἐναλλαγὰς, καὶ τὸ τοῦ κόσμου τὸ ἄστατον, καὶ τὸ τῆς ἀρχῆς εὐμετάπτωτον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τὰς μὲν φαύλων τὰς ἀμοιβὰς, τὰς δὲ σπουδαίων πράξεων τὰς ἀντιδόσεις, ἃς τὰς μὲν φύγας, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν δίκης πεῖραν μὴ λάβῃς, τὰς δὲ κατορθώσῃς, ἵνα τῶν ἐντεῦθεν ἐπάθλων καταξιωθῇς: Per Historias veteres ire ne recusa, Ibi enim reperies sine labore, quę alii cũ labore collegerunt. atque illinc hauries bonorum virtutes, & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conversiones; mundi hujus instabilitatẽ, & imperiorum præcipites casus. Et ut verbo cõplectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia. quorum illa fugies, ne in divinæ Justitiæ manus incidas, hæc amplecteris, ut præmiis quæ ea comitantur potiaris. *Hæc Græcus ille Imperator in libello quem* Κεφάλαια παραινετικὰ *inscripsit: probo, pio, & digno quem Principes legant.*

laus, & fructus. *Cap. 56.*

Basilii Monitoria.

Eadem ad Civilem hanc partem

Pag. 74. utilissima.] *Non tamen omnis Historia, ne erres. Ut aurum non quævis terra gignit: sic nec hæc promiscua, Prudentiam Civilem. Quæ illa igitur? ea, quæ tres has Notas habet: Veritatem, Explanationem, Judicium: id est, quæ legitima Historia est, & perfecta. Nec enim talem ego unquam censuero, cui trium horum aliquod deest. Prima Nota* VERITAS *est. ut nempe res eventusque omnes pariter & ex fide narret*, nec quicquam (quo nimis fere inclinant scribentium animi) haustum ex vano velit. *Olim & nunc rara virtus: & à qua non affectus solum aut aspectu plerique abeunt, sed specie etiam virtutis. Nam, fidem in Principem aut statum censent narrare aliquid non ex fide. Atqui hæc fundamenta operis est*, καὶ ἡ ἀλήθεια (*ait in hac ipsa re Dionysius*) ἀρχὴ φρονήσεώς τε καὶ σοφίας: & Veritas, Principium Prudentiæ simul & Sapientiæ. *Ut animanti oculos si eruas, reliquum corpus inutile reddas, sic Historiam, si ab ea hoc lumẽ. In falsa & errante, quomodo non fallare semper & erres? talis firmiter nunquam te diriget, aut tuas actiones. Nota altera*

Quæ Historia Politico utilis.

Ea quæ Vera sit.

Livius.

Præfat. Archaeol.

EXPLA-

EXPLANATIO *est. ut rem scilicet non fideliter tantum narret, sed disponat etiam atque exponat. Quomodo, & quare. quidque gestum sit, addat*: ut non modo casus eventusque rerum, sed ratio etiam caussæque noscantur. *Magna hac laus, & Polybio judice, ita necessaria, ut usum non habeat, quacumque ea caret.* Ἱστορίας γὰρ, inquit, ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί καὶ Πῶς, καὶ Τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται: Ab Historia si quis auferat, Quare, Quomodo, Quo fine quidque sit actum, & an ex ratione satis ceciderit; quidquid in ea reliqui, id ludicrum magis erit, quam doctrina. *At Nota tertia.* JUDICIUM. *ut discrimen lumenque rebus adhibeat: & hac probet, (sed breviter, & quasi aliud agens,) hac damnet.* quod præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes sileantur; utque pravis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit. O *pulchra ista pars! & quæ actiones vitamque omnem format & dirigit, si à judicio tamen*

Quæ plana sit: *Taci. 1. Histor.*

Lib. 3.

Quæ mixta judicii. *Tac. 3. Annal.*

men profecta directo. Nam pravus aliquis aut imperitus frustra illuc se dabit: & cum suo tamen irrisu magis, quam nostra noxa, quia vanitas statim apparet. Hæ sunt tres illæ Notæ, quas in quacumq; Historia reperies, Veteri sive Nova, scito purum probumq; esse illic aurum. Scrutare.

Judicium Historicorum, qui nobis Probi.

Sed visne etiam ad specimen distincte Scriptores aliquod tales tibi ingeram? faciam: etsi in hoc judicio, judicium meum ipse in judicium mitto. Distinguam per Tempora & Gentes. Inter Græcos veteres duo sunt mirifice mihi probi.

De Thucydide sententia nostra.

THUCYDIDES: *qui res nec multas nec magnas nimis scripsit, sed palmam fortasse præripit omnibus qui multas & magnas. Eloquentia tota gravis & brevis, densa sententiis, sanis judiciis: occulte ubique instruens, & actiones vitamque dirigens, orationibus & excursibus pæne divinus. Quem quo sæpius legas, plus auferas: & numquam tamen dimittat te sine siti. Alter ab isto est.*

De Polybio.

POLYBIUS, *qui multa & præclara libris* XL. *composuit: sed pars pleraq;, aut tota periit, aut mutilata ad nos venit,*

cum

cum fraude generis humani. Ille judicio & prudentia Thucydidi haud dispar, cura & stilo solutior. qui excedit, abrumpit, diffundit, & sæpe non tam narrat, quam ex professo docet. Sed recta & salutaria ubiq; ejus monita: & quem ego hoc magis Principibus commendatum velim, quod anxia in eum inquisitione non opus, sed sensus suos aperit & revelat ipse. Nam Tucydides sæpe artior & obscurior eoque qui circa Principem magis, quam Principi aptus.

De Plutarcho.

Inter Græcos medios PLUTARCHUS *est. qui non Historiam proprie, sed particulas Historiæ scripsit & ablegit, Illustrium virorum vitas. Sed dignus tamen, si quis alius, Principe scriptor, qui judicium mirifice format, & diffusa ac plana quadam scribendi via ad Virtutem ubiq; & Prudentiam ducit. sed ad illam magis & nisi fallor, melior omnino quam acutior doctor.*

De Xenophonte.

XENOPHONTEM *prætereo: Absit. Sed laudatissimus ille Cyrus ejus non habet hic locum, quem magis ad exemplum vitæ, quam ad fidem rerum scripsit. In reliqua Historia (Græca-*

nica inquam, aut Persica) sane suavis ille, & fidus, certe circumspectus scriptor: è quo tamen haurias magis Prudentiam hanc Civilem, quam ut ultro eam proponet. Sententias quidem & dogmata raro miscet. Sed juvit nos hic egregie via alia, cum Thucydidem adhuc latentem, & in sua manu ut opprimeret (o candidam, & ab omni æmulatione vacuam mentem!) primus ipse protulit & divulgavit.

De Niceta.

* *Ab anno Christiano 1118. usque ad annum circiter 1210.*

Jam inter infimos quoque Græcos duo sunt, quos non contemno. Prior est NICETAS CHONIATES, *qui res Græcaniti imperii scripsit, orsus à* * *Johanne Commeno Alexii F. ad urbem captam, sive ad Balduinum Flandrum. Is parum adhuc vulgo notus, fateor: sed dignissimus notitia: purum rectumque ingenium, si aliud illoævo. Stilus ejus operosus, poetas & Homerum sæpe resipiens: at res & narratio ipsa, distincta, composita, sine vanitate, sine ineptiis, brevis quod satis sit, & fida. Crebra apud eum & opportuna monita: judicia non libera solum, sed sana. Ad summam, legite vos Politici, gratiam*

gratiam mihi aliquis pro indicio habebit, certe debebit.

Alter est, NICEPHORUS GREGORAS, *qui Historiam & filum narrationis ejus excepit, at non laudem. Scripsit enim ab urbe capta res, ad Andionici Palaeologi posterioris mortem, sed nequaquã pari castigatione aut industria, & vitia plura traxit sui aevi. Superfluit, aut evagatur: & res orationesq; proprias miscet, indecore, imo inepte. Judicia tamen ejus crebra, & plerumq; recta: caussae eventuum curiose posita: pietas inculcata, & multa opportune ad primam illam caussam relegata, id est, Deum. Sane Providentiam & Fatum non alius scriptor asseruit magis. Legendus cum hoc nomine, tum etiam illo, quod pleraque ejus Historia ab avo nostro non dissidet: Imo lites dissensusque in Sacris reperies haud dissimiles hodiernis.* De Gregora.

LATINI *sequuntur, quorum agmen* CORNELIUS TACITUS *mihi ducat. Ante Livium? inquies. Non eloquentia, aut aliis virtutibus: sed iis quas nunc consideramus, Prudentiae & Judicii notis. Quis illo verius narrat,* De Tacito.

aut brevius? quis narrando magis docet? In moribus quid est, quod non tangit? in affectibus, quod non revelet? Mirabilis omnino scriptor, & qui serio hoc ipsum agit, quod non agit. Nec enim Historia solum est: sed velut hortus & seminarium praeceptorum. Ut ii qui vestes acu pingunt, ingeniose gemmas inserunt, sine confusione aut noxa formarum: sic iste passim Sententias, serie narrationis nihil omissa aut laesa. Scaber tamen quibusdam & obscurus videtur: suóne vitio, an ipsorum? Nam acute arguteq; scripsisse fateor. & tales esse debere, qui cum legẽt. Idcò Consiliariis magis Principum, quam ipsis commendo: qui habeant eum Sapientiae simul & Prudentiae verum ducem.

De Sallustio. *Alter esto* C. SALLUSTIUS; *omnino primus, si libros modo ejus haberemus. Sed Historiarum corpus illud totum periit: & ex his pauculis, admirare eum magis libet quam anxie judicare. Illud video, Thucydidi simillimum esse: & ideo quae de illo dixi, dixisse hic me puta.*

Tertius

Tertius est T. LIVIUS *magnitudine quidem & majestate operis ante omnes. Diffusus ille & placidus, in concionibus maximè disertus; & talis omnino qualem Fabius descripsit. Patavinitas ei objecta ab Asinio: id est, nisi fallor, sermonis quadam peregrinitas, nec tam in verbis quam stilo toto. Nos quoq; supinum eum alibi aut frigidum, imo &* ταυτόλογον *agnoscimus. derivaturi libenter tamen in exscriptores hanc culpam. Judiciis sententiisq; bonus est, etsi non frequens. quid refert? pro ipso loquitur docetq; copia tot eventuum & exemplorum.* De T. Livio.

Sequuntur scriptores duo, velut proprii Principum, & assidue iis in manu sinuque habendi. Q. CURTIUS: *qui me judice probus est legitimusque Historicus, si quisquam fuit. Mira in sermone ejus facilitas, in narrationibus lepos. astrictus idem, & profluens, subtilis, & clarus; sine cura ulla accuratus. Verus in judiciis, argutus in sententiis, in orationibus supra quam dixerim facundus. Quod si varium magis argumentum habuisset; fallor, aut variæ Prudentiæ eximium magis specimen præ-* De Q. Curtio.

buisset. Sed Alexander, quid nisi bella?

De C. Cæsa. C. CÆSAR res suas ipse digessit: composite sane, & pari modestia ac libertate. In stilo sunt quæ culpem, sine ejus tamen culpa. nam malam aliquam & alienam manum accessisse, satis mihi liquet. Prudentiam non è verbis ejus hauries, sed è factis: & maximè Militarem. Commentarii enim sunt, & nihil pollicentur præter nudam simplicemque narrationem.

Inter mediæ ætatis scriptores (proh dedecus!) non est quem pro mediocri Historico laudem. Adeo labente imperio barbaries statim & squallor omnia occupa- Tac. II. Histor. runt: & si qui scripserunt, ii fere ad vana delapsi, falso vera, aut majora vero, miscuerunt. De Ammiano. AMMIANUS tamen MARCELLINUS fidei & judicii satis clarus est, modo stili.

De Lamb. Schafnaburgensi. LAMBERTUM etiam SCHAFNABURGENSEM haud plane contemno, in rebus Germanicis.

De Roderico Tolet. Uti nec RODERICUM TOLETANUM, in Hispanicis. Uterq; bonus quantum potuit in tali ævo.

At patrum & nostro ævo videtur Hi-

storia

storia se commovisse. Scripsit eam ante annos paullo minus centum PHILIPPUS COMINÆUS, ita laudabiliter, ut nihil verear componere eum cum quovis antiquorum. Incredibile est quã ille omnia videat, penetret, arcana consiliorum eruat, & subinde instruat nos salutaribus rarisq; præceptis & id diffuse, Polybiano quodam exemplo. Quamquam revera Polybium aut talem aliquem ille nec vidit: & hoc quoq; laudem ejus auget, quod tanta præstitit, litterarum omnium rudis, solo usu rerum peritus, & naturali quadam judicii bonitate. Ite nunc scioli & linguarum aliqua cognitiuncula vobis placete. At Princeps noster hunc legito, & Enchiridium COMMINÆUS illi esto. Dignus Alexandris omnibus hic PHILIPPUS.

De Comineo.

PAULLUM ÆMILIUM comitem huic do, qui in Galliis, & res quoque Gallicas scripsit, etsi non Gallus. Ludovicus XII. decus hoc Italiæ abstulit, & vindicavit sibi. Ille, ut rem dicam, penè unus inter novos, veram & veterem Historiæ viam vidit, eamq; firmo pede

De Paullo Æmilio.

tal-

calcavit. Genus scribendi ejus doctum, nervosum, pressum, ad subtilitatem & argutias inclinans, & relinquens desigensq; aliquid in animo serii lectoris. Sententias & dicta sæpe miscet, paria antiquis. Rerum ipsarum sedulus scrutator, severus judex: nec legi nostro ævo, qui magis liber ab effectu. Convicium ævi est, quod minus ille placeat, quasi pauci sint, qui capiant hæc bona. In tantis tamen virtutibus etiam hæ labeculæ. quod stilum parum nectit, & spargit dividitque eum in minuta quædam membra. Hoc cum in omni seriosa oratione parũ congruum. tum in Annalibus minimè: quorum est, ut ille ait, tarda *quadam* & iners structura. *Deinde, quod inæqualis: alibi nimium anxius & castigatus, ideoq; subobscurus; alibi (sed rarenter) laxus & solutus. Vetustatis etiam nescio quid affectat in omnibus hominum, locorum, urbium immutandis, & in veterem formam redigendis: sæpe erudite, interdum vane, sed, ut ego judico, semper indecore.* *Quorsum* Chartierius *Gallorum Cancellarius*, Quadrigarius *mihi sit? Ille ipse* Cancellarius,

Tac. De caus. cor. Eloq.

dica-

dicatur Præfectus juris? *& ubique* rex Tarraconensis, Castulonensis, Dux Geldubensis: *qui nobis & majoribus fuerunt*, Arrogoniæ, Castellæ, Geldriæ? *Talia infinita sunt audacter & ambitiose innovata, & cũ fraude pariter ac cruce lectoris. In his & paucis aliis, si refingere leviter eum nobis fas: (audeo dicere) virũ daremus supra omnem hanc novitiam, & ad priscam laudem.*

Sunt & ævi nostri Historici duo, quos tangam. FRANCISCUS GUICCIARDINUS, *prudens peritusq; scriptor, & qui tales lectores suos facit. liber est & verax; ab effectibus immunis; si tamen ab odio, quod retegere mihi non semel videtur in Ducem Vrbinatem, Sententias bonas utilesq; inserit, sed parum astrictas. Vitia duo propria hujus ævi non effugit, Quod & justo longior est, & Quod minutissima quæque narret. parum ex lege aut dignitate Historiæ: quæ, ut Ammianus ait,* discurrere per negotiorũ celsitudines assueta, non humilium minutias indagare caussarũ. *Sed nec orationes ejus satis vegeta mihi, aut castigata. lãguet sæpe aut* solu-

De Frã. Guicciardino.

Lib. 26.

solutè vagantur. Deniq; uno verbo, inter nostros, summus est Historicus: inter veteres, mediocris.

De Paullo Jovio.

PAULLUS JOVIUS *multorum judicia magis acerba, quam libera experitur. Acriter valde in virum eum. Ego de eo sic censeo. Stilo bonum gravemq; esse, & planè ad historiam: judicio ac fide, ambiguum. Vbi affectus non distrahunt, rectum; ubi illi adsunt, obnoxium. Ad gratiam scilicet se dat & auram. Laudationum nec caussam sæpè habet, nec modum: Genti suæ, Vastio. Medicæis, nimis ex professo addictus. his quidem ita, ut Laurentium Medicem parricidii reum velut apud judices agat. Orationibus quoque aut frigidus interdum, aut ineptus. Laudandus tamen legendusque ob multiplicem & variam rerum seriem, quas redegit compositè & dilucide in unum Historiæ corpus. Imò nec in Persicis aut Turcicis tam vanus, quàm videri volunt: & fidem ei in plerisq; adstruunt Turcici Annales, qui nuper* prodierunt.*

* *Hoc anno, edente Io. Leunclavio.*

De Petro Bembo.

De PETRO BEMBO *aliquid addam? illustri dignitate & fama vir fuit: quam*

quam tamen Historia sua Veneta apud me non auxit. Iacet in narrationibus, vel friget: in verbis affectiunculas habet materie aut viro serio parū dignas. Nulla vox nisi ex Tulliano aut Iuliano penu: & quæ sic dici non possunt, (quippe nova, vel iis ignota) miro verborum ambitu comprehendit. Ipsa etiam tota scriptio & formulæ sic compositæ, quasi hæc omnia Romæ gesta, & republica illa stante. Sunt in quibus rideam, sunt in quibus indigner. & cùm tàm curiosè à verbis sibi caverit, reperio alibi, quæ, non dicam Tulliana non sint, sed vix Latina.

Hæc judicia nostra super præcipuis historicis sunt. Nec enim * *omnes sane advoco. quid opus? Bonis ad usum & exemplum hæc satis sunt, improbis ad calumniam plus satis.*

* *Et fateor superesse probos, quos non censui: ut Dionysium, Iosephum, alios.*

IN CAP. X.

A D Prudentiam facit valide.) *Omnis omnino Doctrina ad Prudentiam.* Pag 67. Doctri-

tiam facit, & animi interior ille cultus. Tacitè enim acuit, & judicii vim format. Aristoteles dicere solitus: ἡ μὲν ὅρασις ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων. Aspectus à circumfuso aëre lumen accipit, mens à doctrina.

na mẽtem illustrat.

Apud Diogen. Laert. in Aristot.

Quia animum ad accipiendum illam præparant.) *Nam animus noster per ferox, mollescit per doctrinam & se frangit, discitq; affectus & omnes motus magis habere in potestate. Plutarchus pulchrè:* Οὐδὲν γὰρ ἄλλο Μουσῶν εὐμενείας ἀπολαύουσιν ἄνθρωποι τοσοῦτον, ὅσον ἐξημερῶσαι τὴν φύσιν, ὑπὸ λόγου καὶ παιδείας, τῷ λόγῳ δεξαμένην τὸ μέτριον, καὶ τὸ ἄγαν ἀποβαλοῦσαν: Nihil majus ex Musarum placido cõmercio homines capiunt, quàm quòd naturam mitigent & mansuetam faciant Ratione & Doctrina, amplectentem ex iis Modestiam, & quod nimis est fugientem. *Itaq; idem ille scriptor Marcio Coriolano & C. Mario hoc defuisse ostẽdit, summis alioqui viris:* qui *inquit*, si Musis Gratiisque litassent, non impetu ablati tam fœdum & turpem

Eadem animũ domat:

In C. Marcio coriol.

Modestiam inferit.

Ab hac vacui ruerũt.

In C. Mario.

rebus

rebus suis exitum dedissent. *Considera.*

Haurienda, sed ad usum.) *Absit enim ut princeps hic desiderat, aut in meditatiunculis consenescat. Vt qui ignem à vicino petit, non illic hæret, sed ablato eo, domi focum suum accendit: sic capiendi à Doctrina igniculi illi Prudentiæ, & ad usum actionemq; Civilem transferendi sunt.* Ad rem trans-ferenda doctrina.

Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.) *Egregiè in hac re Aristippus,* σεμνυνομένου τινὸς ἐπὶ πολυμαθίᾳ, ἔφη, ὥσπερ οὐχ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενοι ὑγιαίνουσι μᾶλλον τῶν τὰ δέοντα προσφερομένων, οὕτως οὐχ οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντες, εἰσὶ σπουδαῖοι: Quopiam se jactante ob multi-scitiam, dixit, Ut non ii, qui plurimum comedunt & exercentur, melius valent iis qui modicè: ita non qui plurima, sed qui utilissima legerint, docti censendi & studiosi. *Ergo modus tenendus, præsertim Principi. nec immeritò Iulianus Desertor (alias magnus & multiplici virtute Imperator) malè audivit, tanquam* Græculus litte-

Redundans scientia, inutilis. *Laert. in Aristip.*

Et Hadrianus: *Ammi. an. 17.*
Et Michael. *Ioh. Zonarus in Anna. tom. 3.*

litterio, & *Philosophis nimium deditus. Sed nec Hadrianus extra culpam affectata supra modum doctrina. Peccavit pariter Michael Ducæ filius, Byzantii Imperator, qui, ducente Michaele Psello, ita totum litteris se dedit, ut gubernatio rerum penes alios esset, & turpiter imperium dehonestaretur. Ego sanè Trajanum aliquem malim, doctum leviter, sed vigilantem, serium; quam Principem otiosum & in litteris delicantem.*

Pag. 78.
Modus in Scientia.
Non tota ea spernēda.

Tenuitq;, quod est difficillimum, ex Sapientia modum.) *Pulchra gnome & admonitio. Sed quis igitur ille Principi aptus modus? Ego hunc censeo, ut neq; nihil, neq; omnia discat. Nam Ludovicum XI. valde damno, qui filium Carolum omnium bonarum artium rudem voluit.* Ne esset, *ut ajebat,* in consiliis capiendis refractior, & tenacior sui sensus. *Et mehercule hoc est assecutus. Nam illum jam regem duo tresve homunculi, & ii ex vilissimis huc illuc pro suo arbitrio circumegerunt, cum magna subditorum indignatione & damno. Gothorum caussa, pœne dicam, justior.*

justior. qui, cum Amalassuintha egregia fœmina filium suum Atalaricum liberaliter institui doceriq; curaret, cœtu facto ad eam venerunt, querentes regem suum nec rectè nec decēter institui. Nam ista omnia litteraria longe à robore & armis abesse, imò effœminari iis animum & ad timorem traduci. Quare hæc omitteret, & magistros exueret, satis amplis doctoribus instructus, majoribus suis. *Parere Amalassuinthà debuit, cum rogantium post damno. Hæc mala & barbara sunt: atq; omnino seria institutione formandi inprimis illi,* qui ita nati sunt, ut bona malaq; eorum ad rempub. pertineant. *Qualis ea esse debeat, in iis quæ* De institutione *concepimus, commodius si Deo visum, dicam.*

Procop. De Bel. Goth. Lib. 1.

Tac. 14. Annal.

Assumenda saltem utilis.

Tac. 4. Annal.

JUSTI

JUSTI LIPSI AD II. LIB. POLITICORUM NOTÆ.

IN CAP. II.

Regni præstãtia.

REGNUM res inter deos hominesq; pulcherrima.) *Dictum simillimum in Plutarchi sive quis alius scriptor.*) *Evagora* : Πάντες ἂν ὁμολογήσαιμεν τυραννίδα καὶ τῶν ἀνθρωπίνων, μέγιστον καὶ σεμνότατον καὶ περιμαχητότατον εἶναι: Omnes fateantur, Regnum, inter divina humanaq; bona, maximũ, augustissimum, & summo studio appetendum esse. *Atq; ego si me effundere in asserendo laudandoq; Principatu velim,*

velim, benigna materia est, & ingenium serviat: sed malo te hæc ab aliis petere, qui in Politicis scribendis habent has dissertatiunculas velut proprium scopo. Mihi alia mens est, semina ejus in Textu nostro jacta ferè habet. Quod scio me (semel moneo) alibi servasse. Nostri olim multa diximus.

IN CAP. III.

PRo iisdem, cōsensu aliquot gentes.) *Pleraq; gentes in Christiano orbe, excipio Galliæ regnum. Sed & veteres Asiatici ita usurparunt. Arrianus:* Νενομισμένον ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἔτι ἀπὸ Σεμιράμεως, καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν: Receptum solitumq; in Asia, jam inde à Semirami, etiam fæminas imperium in viros exercere. Fæminas imperare mos. *1. De rebus Alexand.*

IN CAP. IV.

MInore discrimine sumi Principem, quam quæri, &c.) *Assidet Cornelianæ huic sententiæ illud Irenes Imperatricis in re simili:* Ὡς δεῖ βασιλέα μὲν οὐκ ἀπόντα ζητεῖν, παρόντα Ad manum Princeps capiendus. *Apud Nicet.*

ρόντα δὲ μὴ μετακινεῖν: Quod nec absentem Principem quærere oporteat, nec præsentem demovere.

IN CAP. V.

Pag. 39. Ante imperium multi boni, non in ipso. Tac. 1. Histor.

SIve etiam Regni ipsius natura hoc fert.) *Potui addere caussam tertiam, Falsam de regnaturo opinionem. Nam quod Galba olim evenit, qui o*mnium judicio dignus imperio, nisi imperasset: *id multis aliis, qui in bona spe, adepti deniq; imperium ostendunt eo se minores. Nec temere à Pittaco dictum:* Ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι: Imperium virum ostendit.

Regnũ deprauat. *Tacit. Annal.*

Diuturnitate in superbiam mutant.) *Ægrè scilicet tam magna felicitas fertur. atque ita* ipse Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis convulsus est. *ait meus scriptor.*

IN CAP. VI.

Pag. 95. UT ea opibus firma, copiis locuples.) *Populus ab his externis*

Prin-

Principatum bonum maximè metitur. Itaque legi non sine risu in Mexicana Historia (libenter & jucundè ritus novi illius orbis considero) morem iis fuisse, ut cum regem alium consecrarent, is juraret in hac verba: Justitiam se administraturum. nullum è subditis oppressurum. bello fortem futurum. Effecturum ut Sol cursum splendoremq; suum teneret, nubes pluerẽt, rivi currerent, & terra produceret omne genus frugum. *Quæ postrema communius Dei propria, vides ridiculè ab homine posci & promitti: idque ab hac caussa.*

Externa bona à Principe postulantur.

Mos Indorum.

Lopex Comara.

Nec remp. tuam esse, sed te reip.] *Hadrianus Imperator* in concione sæpe dixit, Ita se rempub. gesturum, ut sciret populi rem esse, nõ propriam. *Vox aurea: & res multo magis, cum præstatur.*

Reip. Princeps servit.

Spart. in Hadr.

IN CAP. VIII.

ILle reipub. status optabilis.) *Partem hic magis Polybianæ sententiæ, quam ipsam expressi. Atqui digna ad-*

scribi. Ἐγὼ γὰρ οἶμαι δύο ἀρχὰς εἶναι πάσης πολιτείας, δι' ὧν αἱρετὰς ἢ φευκτὰς συμβαίνει γίνεσθαι τάς τε δυνάμεις αὐτῶν καὶ τὰς συστάσεις. αὗται δ' εἰσὶν ἔθη, καὶ νόμοι· τὰ μὲν αἱρετὰ, τούς τε κατ' ἰδίαν βίους τῶν ἀνθρώπων ὁσίους ἀποτελεῖ καὶ σώφρονας, τό, τε κοινὸν ἦθος τῆς πόλεως ἥμερον ἀπεργάζεται καὶ δίκαιον. τὰ δὲ φευκτὰ, τοὐναντίον.

In Cap. IX.

Principē subditi æmulantur. *Apud Cassiod. 3. Var. epist. 12.*

QUales in repub. Principes, tales cives.] *Theodericus rex Gothorum ad Senatum populumq; Rom.* Facilius est errare naturam, quam dissimilem sui Princeps possit rempublicā formare. *ut igitur regulam oportet rectam esse, ad quam cetera adæquantur, sic meritò Principem, ad quem alii diriguntur.*

In Cap. X.

Juliæ turpe dictū.

LIcet, si libet.) *Exstat apud Spartianum in Antonino Caracalla & Iulia Augusta dictum est, privignum suum*

suum ad stuprum invitantis. & addidit amplius: An nescis te Imperatorem esse, & leges dare non accipere? *Æque turpis & perniciosa illa Anaxarchi adulatio. qui, cum Alexander lamentaretur ob Clytum interfectum, nec solatia admitteret: dixit*, Ignorare illum, cur veteres sapiente Justitiam adsestricem Jovi fecerint. nimirum, quia quidquid à Jove decretum, id jure quoq; factum sit. *Anaxarchi tales, sed occulti, utinam non hodie apud imperantes!*

Anaxarchi perniciosum. *Apud Arrian. De reb. Alex. lib. 4. & Plu. in Alex.*

IN CAP. XI.

CAussas reosque audiat.) *Ipsene? an per alios? Vtrumque, & hoc magis. Certè quin ipse quoque interdum Iustitiæ illud munus in publico utiliter ac decorè obeat, non puto ambigendum. Veteres Imperatores ac Reges fecere: Caroli etiam Magni Constitutio hæc legitur.* Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad caussas audiendas se-

Jus possit debeatq; Princeps interdũ dicere.

derevolumus. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis caussis ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut Comites, eis justitiam facere noluerint. *Vbi finem etiam hujus consilii vides. nempe ut per supremũ illum judicem, jus sicubi labat, corrigatur, firmetur.*

Leges & lites recidédæ. *Comin. ca. 125.* Medeatur noster Princeps.) *Vtinam, utinam! Ludovico Galliarum regi XI. hoc propositũ & caussidicina illa, vera tales Galliæ, nunc non esset, si ille paucalos annos fuisset. Exoriatur alius, & efficiat ut* tandem viperæ istæ sibilare desistant.

Apud Flor. lib. 4. cap. ult.

IN CAP. XIV.

Lib. 9. IN Capitolio vicinam Jovis OPT. MAX. esse voluerunt.) *Credo hanc eamdem mente esse in Livianis verbis:* *In orat. Posthumii.* Apud quos (*Romanos*) juxta divinas religiones Fides humana colitur. *Et profecto sanctitas quadam in ipsa fide.* Fides ꝓ dea. *Scytharum legati ad Alexandrum, pulchre:* Jurando gratiam Scythas sancire, ne credideris. Colendo fidem, jurant.

jurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & deos invocant. nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallent deos.

In Cap. XV.

IN alto positum non alta sapere, difficile est.) *Certè difficile. &* magnæ felicitatis est, à felicitate non vinci. *Vt quivis haud facile multum vini fert: non item abundantem fortunam. Da mihi circumspectissimum regem: tamen* inter *tot* obsequia fortunæ, non satis cauta mortalitas est. *Natura, educatio, adulatio depravant.*

Proni ad Superbiã reges.
August.
Curt. 8.

Non minus hominem se, quam hominibus præesse cogitet. *Hoc primum remedium & cautio à Fastu, se cogitare. Externa illa omnia sunt, quæ te instant, æstimari debes à te ipso. Illa abeunt, veniunt: tu quid es, nisi vile infirmumq; corpus? Vide non quid in te magnum habeas, sed quid tuum. Saladinus, Christianorum olim terror, qui*

In eam remedium cognitio sui.
Saladini præclarum factũ.

Syriam, Ægyptum, & Africæ bonam partem subegit morti jam vicinus, in cogitationem hanc seriò descendit: & solam interiorem tunicam, pro omni pompa funebri, in hasta sublimem ferri jussit, cum acclamatione, Hoc unum ex domitore Orientis restare. *O virum illa & majore fortuna dignum, qui tam benè eam cepit! Nihil hic proprium aut tuum corona; sceptrum & omnia hæc ad quæ stupemus, à Deo sunt: & ne auferat, tu ad eum refer. Thymoleon, magnus laudatusque Dux, qui Dionysium Siciliæ ejecit, & in illustri gloria vixit, exemplo hic tibi esto. de quo Probus:* Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. Qui quidem cum suas laudes audiret prædicari, numquam aliud dixit, quā se in ea re maximas diis gratias agere atque habere, quod cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent. *Nihil potest magis sapienter, & magis Christiane.*

Thymoleōtis modestia. *In Thymol.*

Superbiæ de- Magnas arbores diu crescere, una hora exstirpari.) *Remedium alterum,*

regi-

rogitare Superbiæ assiduam comitem, Dejectionem & Pœnam.

pressio adhæret.

Dominare tumidus, spiritus altos gere,
Sequitur superbos ultor à tergo DEUS.

Sen. Her. Fur.

Nihil altum ille, præter se vult, eique proprium, τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῦν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῦν: erecta deiicere, dejecta erigere.

Laert. in Chilone.

Vidi cruentos carcere includi duces.) *Remedium tertium, à fortuna varia nimis & incerta. Hodie magnus es? cras alius, aut nullus. Iugurtham in carcere, Perseum in custodia obiisse scimus: & patrum memoria, quam illustre exemplum Tomambais est? Ille Ægypti Africæq; Sultanus, in veteri & felicissimo regno, non solum eo subdito exuitur, sed & vita. Arbiter paullo ante vitæ necisque gentium, in urbe sua principe, modo vicatim per ludibrium circumductus, infami laqueo, & manu carnificis, strãgulatus est. Quid sub idem illud ævi, Attabalipa in novo orbe magnus Rex, nonne in carcere, post infinitam vim auri quasi pro vita extortam, amisit &*

Varia & miseranda sors regum. Tomãbais exitus.

Attabalipę:

Qua huti moci. *vitam? in eodem tractu, rex regum Mexicanus, nec usitata quidē morte obiit, lento igne per summum cruciatum ustulatus. Quæ tam tragica exempla meritissimo verbis Senecæ concludo:* Quod regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magis ista intervallis divisa: sed horæ momentum interest inter solium, & aliena genua.

De Tranq. Animi, cap. 11.

Brevis sermo optimus. Oratio pressa.) *Vt moneta illa optima, quæ pretii plurimum habet in parva mole: sic sermo, qui sensus. Quid visurus sim, nescio. sed verbosos valde & una sapientes, nondum ego vidi.*

In cultu ne exuberet.) *Iuliani Imperatoris familiare dictum fuit:* Turpe esse sapienti, cum animū habeat, captare laudes ex corpore. *Et sane viri magni, incuriosi rerum istarum levium. Carolus noster Quintus in veste restrictus. Ludovicus XI. cultu corporis neminem familiarium anteivit. Iulius Agricola (ita scribit de eo Tacitus)* cultu modicus; sermone facilis; adeo ut plerique quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspe-

Ammian. Lib. 25.

Vestis, & hæc talia, negligenda.

In Agr.

aſpectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur. *Et quid exemplis opus? uno verbo, plerique ille veteres,* ἁπλῶς ἑαυτῶν εἶχον, ὅτι ἀπὸ τῆς ψυχῆς βασιλεῖς ὄντες, καὶ τὰ ἔνδον τοῦ πλήθους διέφερον, τὰ δὲ ἐκτὸς ὅμοιοι τοῖς ἀγελαίοις ἐφαίνοντο: leviter & ſine cura ſeipſos habuerunt, non ab apparatu, ſed ab animo reges, & introrſum à plebe differebant, extorſum vel gregariis ſimiles videbantur. *Ego Græcorum Imperatores (imagines enim exſtant) ſine riſu non aſpicio, in purpura, in auro, in gemmis, & à capite ad calcem non regiè, ſed muliebriter cultos.* Syneſ. Orat. de Regno.

Nec aliter de externa omni ſpecie cenſeo.) *Vt in comitatu, in victu, in omni tua vita quàm minimum ſit Tragœdia & Pompa. Cari Imperatoris illuſtre exemplum non omittendum, quia nec vulgatum. Syneſius ita narrat. Carino tamen attribuit, per errorem, uti opinor: quia * Carus res in Perſas geſſit, Carinus contra mollis; deſes, & nulla expeditione nobilis.) ſed is ita narrat.* Bellum inferebat Perſis, & jam ad Nimia & affectata pompa ſpernēda. Orat. d Regno. * Vide Vopiſcū & Eutrop.

De Caro narratio amœna.

Armeniorum limites pervenerat. Illic militem curare corpus, & cibum è suo commeatu capere jussit, mox ex hostico (Parthorum agros ostendebat) petendum. Dum id agunt, ecce hostium legatos, qui adveniũt. Atque illi opinabantur futurum primò, ut ad Proceres quosdam aulicos deducerentur: deinde dierum aliquot intervallo, ad Imperatorem. Atqui inciderant casu in ipsum jam cænantem. Circumstabat frequens miles, sed auro aut argento nihil cultus. Ipse tunica punicea indutus, jacebat in herba. Cibus erat, vetus aliquod nigrum pulmentarium: & in eo frustula quædam salsæ suillæ carnis. Cum autem legatos vidisset, nihil turbatum ajunt, nec quidquam immutasse: sed vocasse ad se ultro, & dixisse, Scire quod ad se venissent. nam Carum hunc ipsum esse. Jubere igitur ut renuncient juveni suo Regi, Nisi resipiscat, futurum ut intra unam Lunam omnis eorum silva & omnis ager, magis nuda & lævia sint, quam Cari ipsum caput, & simul

ſimul cum dicto pilium ſuſtulit, & caput oſtendit tam glabrum quam galea ejus quæ adjacebat. Et ſiquidem appeterent, juſſit manum in ollam mittere: ſin minus, ſtatim abire, & extra Romana præſidia eſſe, tanquam legatione omni jam defunctos. *Ita me Deus amet, hæc virum olent, imo heroem.*

IN CAP. XVI.

TRiſtitiam & arrogantiam exuas.) *Quæ duo imperitè nonnulli adſumunt, quaſi conciliandæ Majeſtati. Plutarchus hos tales taxat.* Qui mentem non habent, Reges & Principes, *inquit*, imitantur imperitos ſtatuarios. qui exiſtimant coloſſos ſuos magnos & vetuſtos futuros, ſi tibiis quam maximè diductis: & inflatos & hiantes fecerint: ſic iſti gravitate vocis, & torvitate aſpectus, & morũ aſperitate, & inſociabili quadam vita, dignitatem & majeſtatem imperantium exprimere ſe cenſent.

In Commentar. Ad princip. indoct.

Externa ſuperbia non ad majeſtatem.

Nimia comitas haud bona. Viles plerumque, qui nimium civiles.) *Omnino abstractione quadam opus iis, qui gubernãt, & ne nimis vulgo se vulgent. Pericles scivit: qui antea familiaris maxime & comis, simul rempubl. attigit, ab omni cœtu amicorum & conviviis se abjunxit, vita genere quodam subducto, & plane mutato. Caussam Plutarchus adjungit.* Δειναὶ γὰρ, *ait*, αἱ φιλοφροσύναι παντὸς ὄγκου περιγενέσθαι, καὶ δυσφύλακτον ἐν συνηθείᾳ, τὸ πρὸς δόξαν σεμνόν. Comitas enim facilè fastum omnem atterit, & in familiari consuetudine ægrè custodias illud opinionis de te augustum.

Periclis institutum.
In Pericle.

IN CAP. XVII.

Lib.13 Annal. NEc tamen conjugum imperiis obnoxius.) *Nam* quod subsidium in eo, *ut inquit Tacitus*, qui à fæmina regatur? *Cui tamen humili & servili vitio plerumque feroces & militares gentes obnoxias esse; Aristoteles notavit: & hodie nos videmus. Sed ut imperia mulierum, ita consilia non sem-*

Ne regant fæmin.
Lib.2. Politic. cap.8.

per

per damno. Utiliter ſæpe eas Princeps audiet: præſertim ſi qua à natura paullo magis facta ad prudentiam & virtutem. An Auguſtum pœnituit Liviam ſuam audiiſſe? Ferdinandum Hiſpaniæ regem Iſabellam? cui fœminæ Conſalvũ, Canarias, Novum orbem, ejectos Mauros, & hanc magnitudinem ſuam Hiſpania in parte debet. Maritum enim ſuum, etſi à ſe virum magnum, tamen haud æque altum aut ſplendidum, ad illuſtria illa facta impellebat leniter ac ducebat. At in vita privata, eadem mirifica: Vino ætatem abſtinuit. artibus litteriſq; ita amica, ut ſermonem Latinum, ætate jam grandior, didicerit, & auctores libroſq; intellegere atque interpretari potuerit. In fortuna & in morbis infracta; atque etiam in partu ſic magnanima, ut emitteret vix vocem. Rarum heroinæ exemplum, & cum veteri omni ævo comparandum.

Interdum ſuadeant.

Iſabellæ reginæ laus.

Convicia ſi iraſcare, agnita videntur: ſpreta, exoleſcunt.] *Sprevit ſane Auguſtus: qui cum audiret. Ælianum quemdam male de ſe opinari ſolere:* Faciam, *inquit*, ſciat Ælianus & me linguam

Magni Principes, in convicia fortes.

guam habere. *Animose item Philippus Macedo, suadentibus amicis, ut maledicum hominem in exsilium mitteret:* Minimè sis, *inquit*, ne vagus & erro, apud plures de nobis male loquatur. *Plura & obvia talia exempla. sed cavete tamen vos caniculæ: quia non omnes Augusti sunt aut Philippi. Ramirus Hispanorũ rex mire probus fuit & in moribus simplex ob eam rem cum irrisui Aulicis esset, & dicteriis idemtidem peteretur, ad extremum exarsit, & undecim viros nobiles ad se vocatos, in Osca urbe gladio percuti jussit: addito dicto,* * Nescit vulpecula cum quo ludat. *Reipsa scilicet ostendit periculosum valde,* τὸν λέοντα νύττειν. leonem vellicare.

Doctrinam nonnihil ad hunc finẽ promove.] *Jure moneo, nam, ut Symmachus ait*, scimus bonas artes honore nutriri, atq; hoc specimen esse florentis reip. ut disciplinarum professoribus prçmia opulenta pendantur. *Sed tamen voculum*, Nonnihil, *de industria addidi: quia ut tollere eas noxium, ita calide nimis promovere. Justinianus.* τὰς τυπωθείσας ἀνέκαθεν ἐν ἐ-

ηγέσῃ

Sueton. August. cap. 51.

Plut. in Apoph.

Roderi. Sanct. Histor. Part 3. Ramirus aliter.

* Non sabela volpeja, cõquiem strobeja.

Litterç promovẽdæ:

Lib. 1. epist.

κατέστη τῶν πόλεων δίδοσθαι σιτήσεις τοῖς ἐν αὐταῖς διδασκάλοις τῶν λογικῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν, ὑποθήκαις τοῦ ἐπάρχου ἐξέκοψε. καὶ οὕτως τῶν ἐν ταῖς πόλεσι διδασκαλείων ἐσχολακότων ἀγροικία τῶν ἐν αὐταῖς κατεκράτησε, antiquitus cõstitutas in quoq; opido annonas, professoribus bonarũ artium dandas, de consilio Præfecti sui sustulit. atq; ita frigentibus passim per opida Scholis, rusticitas & barbaria occupavit inhabitantes. *Mala hæc securis quam Thrax Imperator injecit: sed illi quoque occulte noxii, qui effuse nimis promoverunt. Nam otium & mollitiem, nulla re facilius aut honestius in animos irrepere quam via hac literarum, omnino est fatendum. Atqui robur & virtus nõ sunt, ubi illa. Ut catuli ad venandum inepti, qui saltare & ejusmodi delicias docti: sic ad virilia exercitia parum apti, cives nimis exculti. Franciscum regem Primum, & Leonem Decimum, qui avide literas excitarunt, in cælum tollimus. Si propositũ spectamus merito; si finem & successum, ambigo. quia revera alter Galliam suam, alter Italiam,*

LXXIII. Sed cũ modo. *Zonar. in Annal.*

Male qui tollũt.

Male qui nimis vulgãt.

Virtus resolvitur.

Italiam, cultiorem amœnioremq́; reddidit. ſed una & molliorem. Quid bonæ ſpei reliquum, ubi etiam feminæ paſſim in libris & litteris? atqui eo ventũ. Mihi Spartani illi probi, qui γράμματα μὲν ἕνεκα τῆς χρείας ἐμάνθανον. ἡ δ᾽ ἄλλη παιδεία, πρὸς τὸ ἄρχεσθαι καλῶς ἐγίνετο, καὶ καρτερεῖν ποιοῦντα, καὶ νικᾶν μαχόμενον: Literas ad uſum ſaltem diſcebant. reliqua omnis diſciplina erat ut pulchrè parerent, ut labores præferrẽt, ut in pugna vincerent.

Uſurpandæ ad uſum. *Plutar. in Lycurg.*

Et à Principe meo in ſuis civibus id ſervari, ſuadeam Valde. Non mini, non omnes, ſtudiis ſe applicent. ſed Nobilitas tamen maxime: quia partes valere decet conſilio, populo ſupervacanea eſt calliditas.

Et in primis à Nobilibus, *Salluſt. ad Cæſ.*

JUSTI LIPSI AD III. LIB. POLITICORUM NOTÆ.

IN CAP. I.

NULLUM animal morosius, nullum majori arte tractandum.] *Inde Livianum hoc est fatum*: Excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hostem superent. Difficile gubernare. *Lib.11.*

IN CAP. II.

PRinceps sapit, sapientium commercio] *Cominaeus*: Nullum magis indicium bonæ mentis Princeps potest ostendere, quam ut adjungat sibi *Cap.33.* Viri celebres & sapi-

entes in domo Principis decori. Taci. 4. Annal. sibi & familiter utatur viros virtute & fama celebres. Nam omnes statim judicabunt eum talem esse, quales ii qui apud illum. *Hoc fine utile, non tantum in consilio, sed etiam in contubernio quosdam habere, insigni* tranquillitate vitæ, nullis reip. negotiis permixtos. *Nam aliena hæc fama valde ad tuam famam. Ita Alexandro Callisthenem, Scipioni Panætium & Polybium, Augusto Areum & Athenodorum, aliis alios adhæsisse scimus, privatim magis ornamenta quam publice adjumenta.*

IN CAP. III.

A pueris quidã formandi ad remp. SEd qui parabis? judicii hic res est.] *Imo res etiam aliqua Industriæ. Nam jam ante præparari quidam possunt, ut fiant apti. Turcarum Princeps à pueritia instituit, pacis aut belli futuros administros. & Germanorum proceres Alumnos quosdam (ita appellant) suo sumptu educant, in eumdem usum. Quid si imitetur Princeps, & selecta quædam ingenia à teneris formari curet ad res Civiles? laudem. Apud*

Macedones quid servatum, Q. Curtii verbis dicam. Mos erat Principibus Macedonum, adultos liberos regibus tradere, ad munia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia Excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus ejus ædis, in qua rex acquiescebat. Hi actos ab agasonibus equos, cum rex ascensurus esset, admovebant: comitabanturque & venantem, & in prœliis, omnibus artibus studiorum liberaliũ exculti. Præcipuus honos habebatur, quod licebat sedentibus vesci cũ rege. Castigandi eos verberibus, nullius potestas præter ipsum erat. Hæc cohors, velut Seminarium Ducum Præfectorumque apud Macedonas fuit hinc habuere posteri reges, quorum stirpi post multas ætates Romani opes ademerunt. Macedonũ ritus.. *Lib. 8*

In Cap. VI.

Optimum quemq; fidelissimum puta.] *Rex Salomon* {cujus *scripta divina humanaq; Sapientia plenissima,* Salomonia scripta

planè divina. Prover. cap. 12. Decoctores nō apti ad Cōsilia. Capite 18.

plenissima, uti & Syrachida, unicè tibi commendo,) *paucis verbis:* Cōsilia impiorum fraudulenta. *Excludo autem ab hac probitate etiam eos, qui rem suam privatim male gesserunt, conturbateres aut decoctores. Basilius Imp. ad filium.* Συμβούλοις δὲ χρῶ τοῖς καλῶς περὶ τῶν οἰκείων βουλευσαμένοις καὶ διοικήσασιν, ἀλλὰ μὴ τοῖς κακῶς ἐξ ἀβουλίας τὰ ἑαυτῶν οἰκονομήσασιν. ὁ γὰρ κακῶς περὶ τὰ οἰκεῖα διατεθεὶς, οὐδέποτε καλῶς βουλεύεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων: Consiliariis utere iis, qui rebus propriis benè consuluerunt, recteque eas administrarunt; non autem qui per imprudentiam male. Nam qui suis rebus male prospexerit, numquam ille benè cōsuluerit alienis.

Consiliarii linguarū periti sint.

Morum animorumque provinciæ gnaros.] *Etiam linguæ sit: amen sermo diversus, in locis qui tibi parent. Nam isti qui per interpretem accipiunt omnia aut reddunt, nec tam grati nec tam idonei ad agendum, ac multa necessariò eos fallunt.*

Consiliarii.

Non exteros temerè, non advenas.] *Nota Princeps nam hic peccamus.*

Ut.

Ut vulgo remedia quædam ab Afris aut Indis petita æstimamus: sic plerumque externa ingenia præferuntur internis. At non oportet. Primum, quia ab hac re turbæ. Indigenæ haud facile concoquunt, in sua rep. plus aliquid credi aut tribui alienis. Inde livor, questus, & aversio quædam animorum. Secundo, quia raro illi, morum, ingeniorum, & totius reip. periti. Plato autem breviter & recte dixit. Εἰδότος περὶ ἑκάστου ἡ συμβουλή: Consilium ejus est, qui rei cujusque peritus. *Quod idem alibi diffusius:* περὶ παντὸς μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι, εἰδέναι περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ ἢ ἅπαντος ἁμαρτάνειν ἀνάγκη: In omni re consulendi principium, nosse id de quo consilium institutum: aut tota via aberrare necessum est. *Tertio, quia etiamsi iis peritia, vix tamen affectus aut fides. Qui potest in alienam rempublicam: in qua semper illud cogitent:* Mihi istic nec seritur: nec metitur. *Itaque ad commodum suum: aut arbitrium Principis, videbis pleraque ab iis referri. Quarto & ultimo, quia usu compertũ, consilia externa fere esse infausta.*

Alexan-

exteri mali.

Turbant statũ.

Imperiti ejus sunt

Alci. 1.

In Phædro.

Non amant eum aut curant.

Plaut. Epidic.

Infelices sunt.

Alexander male audire cœpit, cum Persas audiit: Romani labi, cum Græcos & exteros: noster Carolus Audax (ne plura cumulem) cui ruinam suam nisi Campobachio debet? Effatum hoc habe.

Ruit respublica, quam ii sustinent.

Ut in quam domum Vespillones veniunt, signum est funeris: sic reip. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Quod tamen ita intellego, si multi. tam ut unus aut alter interdum, fide aut ingenio valde cognitus, haud pertinaciter damnem.

Senes à moribus quoq; æstimandi.

Item senes.] *Qui tales non annis magis, quam moribus. Nam* in quibusdam, *ut ait Seneca*, non pueritia, sed, quod est gravius, puerilitas remanet.

Epist. 4.

Juvenes inepti ad remp.

7. Polit. cap. 9.

Consilia senum? hastas juvenum esse.] *Pindari dictum est, uti è Plutarchi Lycurgo videbis. cui hoc Aristotelaum velut interpretamentum adde:* ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις ἐστί: Vires in juvenibus, Prudentia est in senibus. *Juvenes autem non solum à consiliis, sed omnino à rep. amovendi, caussa duplici. Primum, quia Temeritas & calor in iis.*

Atqui

Atqui cum ad gubernacula reip. temerarii atq; audaces homines accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt. *Deinde quia non cadit in ætatem eam Auctoritas: quæ tamen ad jubendum suadendumq; plurimum valet. Opinio sæpe de aliquo, plebem magis movet, quam res aut ratio ipsa. Solon igitur jure vetuit*, τὸν σφόδρα νέον μήτε ἄρχειν, μήτε ξυμβουλεύειν, εἰ καὶ ἄριστα δοκοίη γνώμης ἔχειν: valde juvenem neque magistratum gerere, neque consulere, etiamsi optimè à mente constitutus esse videretur. *Res etiam Romanæ grande olim fulcrum, Annariæ leges: quas male amissas bonus sapiensq; Princeps revocabit.*

Caussa una.
Cice. de Senect.
Caussa altera.
Solon eos omnino arcuit.
Annales.
Annal. leges utilissimæ.

Fortuna varia exercitus.] *Nam qui adsiduè in rebus prosperis & lætis, quid sapiat?* Non temerè adversa casuum reputat. quem Fortuna nunquam decepit. *Atqui aliam eam expertus est, magis ille ad Modestiam factus & Cautionem, præcipuas Prudentiæ partes. Pindarus recte:*

——— ὁ πονήσαις δὲ νόῳ
Καὶ προμάθειαν φέρει:

——Qui

Felices vix sapiunt.
Liv. 30.
Magis qui aliquando adfi...

——— Qui mente laboravit,
Prudentiam inde aufert.

Ann. 12. *Tacitus item de Caractaco*, Quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum Imperatores præemineret. *Annibal* *Liv. 35.* *de se, ad Antiochum*: Hæc suadeo. qui ut non omnis peritissimus sum belli. cum Romanis certe bellare bonis malisque meis didici. Principes tales optimi. *Nec solum Consiliarii, sed ipsi Principes optimi & prudentissimi, qui aliquando in adversa sorte.* Carolus V. Sapiẽs. *Carolus V. Galliarum rex mira sapientiæ fuit, atque adeo cognomen id etiam tulit: sed quem Fortuna à teneris annis magis jactavit? Patrem suum Johannem capi abduciq; vidit, & regnum panè totum occupari ab Anglis. Ludovicus XI. plane callidus, sed ille quoque nomine per annos sex à patre & patria profugus, apud Philippum Ducem Burgundiæ egit, velut exsul?* Ludovicus XI. callidus. *Emanuel Allobrogum nuper Princeps, in eadem hac classe.* Emanuel cautus. *Verissimum igitur Græcorum verbum*: Ἐξ ὧν ἔπαθες: A quibus læsus, ab his doctus. *& Miseria Prudentiæ bona mater.*

Quod

Quod satis sit, acutos.] *Profectò mali & inepti, qui nimis Disputare & sermocinari magis, quã suadere possunt: & tempus sæpe terunt, milium, quod dicitur, terebrando. Tu scito, caput omne consilii esse non in acumine aut sermonũ rationumq́; copia, sed in directa quadam judicii norma. Ea autem plerumque his acriculis abest. Marchiavellũ vide. quid eo acutius? at parum bonus aut felix ille Cæsari Borgiæ Consiliarius, quidquid excuset se & fatum accuset. Vide Clementem VII. Pontificem, miram & ingenii vim omnes tribuunt: sed in actionibus consiliisq́; quam infelix, Roma scit & nunc etiam dolet. In populis ipsis hoc notabis. Quis nescit Athenienses ante Spartanos; Florentinos ante Venetos, ingenio & acrimonia fuisse? melius tamen constantiusq́; hos rempubl. suam direxisse omnes videmus. Caussæ hujus rei tres: Prima, quam in Textu libavi. quod velocia ista ingenia semper movent aliquid, & nec quieta, quieta sinunt. Altera, quod in multiplici inventione & rationum copia plerumque natant, & ægrè expediunt aliquid cui insistant.*

Nimis ingeniosi, mali suasores.

Exempla.

Rationes item tres.

ſiſtant. Tertia, quod ea ſibi proponũt quæ non ſunt, non erunt; & mentẽ conſiliaq; adverſarii æſtimant à ſubtili ſua mente. Atqui illi ſæpe ſtipes. nec quidquam tutius (obiter moneo) quam de conſiliis ejus, ex ipſius indole moribusq; judicare, aut eorum qui apud illum magni. Sed aliquis hic quærat. Quid ergo? ſubtiles quoniam damnas, etiamne literatos? Haud prorſus. ego vero libenter eos in Conſiliũ admitto, ſed qui non ſint hoc tantum. Nam qui ſola & nuda iſta cognitione litterarum ſe jactant, valde repello. Conſtantius Imperator Conſtantini F. me quidem judice, valde hic peccavit: qui, ut ait Zonaras, μηδένα τῇ γερουσίᾳ συνέταξε, ὃς παιδείας μὴ μετείληχεν, οὐδὲ ἤσκητο πρὸς τὸ λέγειν, καὶ γράφειν ἐμμέτρως τε καὶ πεζῶς: neminem in Senatũ allegit niſi eruditum: quique ſe ad dicendum exercuiſſet, & ſciret ſcribere vincta oratione & ſoluta. *Nimis tribuit noſtro generi, nec vel doctiſſimi ſemper ad remp. apti. Neceſſum eſt adſint aliæ illæ dotes, de quibus in hoc Capite monemus. Quas ſi adferunt: o magnos tunc, & Principi optandos!* Nam deſidera-

An litterati apti ad Conſilia?

Per ſe, nõ nimis.

In Conſtant.

Benè, ſi doti-

derabilis eruditio litterarum, quæ bus a-
naturam laudabilem eximiè reddit lis mi-
ornatam. Ibi prudens invenit, unde xti.
sapientior fiat: ibi bellator reperit, *Cassio.*
unde animi virtute roboretur: inde *10.*
Princeps accipit, quemadmodum *Var. ep.*
populos sub æqualitate componat. *3.*
Nec aliqua in mũdo potest esse for- Lauda-
tuna, quam litterarum non augeat tio ve-
gloriosa notitia. *De his talibus ipsa* ra do-
Sapientia loquitur: Ego Sapientia ha- ctrinæ.
bito in consilio, & eruditis intersum *Prov. 8.*
cogitationibus.

In Cap. V.

Consiliorum gubernaculũ, Lex An sa-
divina.] *Apparet ergo meritò* cerdo-
Consiliis interesse debere viros Sacros re- tes in
ligiosos quidest, legis ejus peritos. Tamen consi-
alii abhorrent, & indecoram atque liis.
inutilem censent hanc mixturam. Ni-
cephorus Gregoras inter hos videtur:
Οὐ γὰρ, *inquit*, θεωρία πνευματικὴ, καὶ *Hist. 3.*
πρᾶξις πολιτικὴ, ὥσπερ τὰ πολλὰ, συνεῖναι
πεφύκασι: Non enim Spiritalis con-
templatio, & Civilis administratio,

Epiſt. 67. tota.

ut plurimum, inter ſe junguntur. *Et Synesius Cyrenenſis Episcopus multo apertius:* Πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα Civilem virtutem jungere cum ſacerdotio velle, eſt miſcere omnino

Inter-dum utiliter eſſe.

non miſcenda. *Ac plura ac diffuſe in eam rem ibi ſcribit. Quid ergo nos? cum venia ſic cenſemus. Intereſſe eos poſſe imo & debere: ſed rarenter, tunc videlicet, cum de reb. plane ſeriis gravibusq; agitur, & quæ tangunt univerſum ſtatum. Nam tunc ſane quidni audiantur? ſive ut robur & auctoritatem bonæ ſententiæ adferant; ſive ut reprimant coerceantq; in aliam ruentes. Nam quanquã illi rerum Civilium proprie non periti: tamen ſæpe etiam in iſtis ſaluberrime conſulunt, & Syrachides non falſo ſcripſit:*

Ecc. 37.

Viri ſancti ſupra Prudẽtes ſæpe ſapiunt.

Anima viri ſancti enunciat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo. *At ſemper tamen eos & adſiduè, etiam rebus conſiliisq; minoribus adhiberi non probem: nec id mihi aut ex illorum videatur, aut publico uſu. Diſtricti videlicet terrenis curis, cœleſtia illa deſerent; nec*

nec terrena ipsa (quippe aliud illorum munus) satis commode aut decore administrabunt.

Libertatem secundò.] *Magnum in Consilio atque utile munus, ut libera ei lingua. Solon olim recte :* Συμβούλευε μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ κάλλιστα: Consule non quæ suavissima, sed quæ optima sint. *Sic oportet. nam rara hæc nimis in Aulis Principum virtus. & vis scire* cujus rei inopia laborant magna fastigia ? quid omnia possidentibus desit ? ille qui verum dicat. *Certamen plerumque adulationis est ? & dant se non magno alicui solum, sed his qui magni apud magnum. Placentini aut Laudenses fere hoc totũ genus, pauci Veronenses. Inter hos tu esto : & scito libere te semper cum Rege loqui posse, sed non de Rege. Cum modestia tamen : ad quam Hephæstion ille tibi prait apud Curtium* : Libertatis quoque in admonendo (*Alexandrũ*) non alius jus habebat: quod tamen ita usurpabat, ut magis à rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur.

Tertiò Constantiam.] *Turpis enim*

Liberi & veraces cõsiliarii esse debent. Rara ea virtus. *Sene. 6. de Benef. cap. 30.* Adulatio regnat. Tẽperanda tamen libertas. Muta-

In consiliis turpis. Caroli V. jocus.

& fœda illa vacillatio sententiam mutantium, & certum signum non certæ mentis. Idq; cum singulis Consiliariis, tum magis Consiliis, vitandum. ne audiant illud, quod Carolus V. Imper. facete conjicere in Germanorum conventus solet. quos assimilabat viperis: quia (ajebat) ut istæ matres suas tollunt, sic illorum posteriora decreta, priora.

Fas aliquã do mutare cõsilia. De Rep. Lib. 10.

At non Rigorem.] *Consilia enim ad eventus & tempora accommodanda & sæpe inflectenda sunt: atque, ut Plato ait* χρὴ ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων, πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὐτοῦ πράγματα, ὅπῃ ὁ λόγος ἐρεῖ βέλτις' ἂν ἔχειν, ἀλλὰ μὴ προσπταίσαντας, καθάπερ παῖδας, ἐχομένους τοῦ πληγέντος, ἐν τῷ βοᾶν διατρίβειν: oportet, tanquam in talorũ jactu, ad id quod ceciderit, res suas aptare, quocunq; modo ratio id optimum esse dixerit, non autẽ, quasi pueros, ipsos quoque cadentes, firmiter eam rem tenere in quam impegeris, & clamando quiritandoque tẽpus cõsumere. *Consilia ergo nova pro rebus novis, aut ubi priora improspera.*

Sed cũ caussà.

5. De

Arte enim & flexu quodam opus

sæpe.

sæpe.] *Seneca apposite*: Huc illuc frænis leniter motis flectendus est animus, paucis sui rector optimus. *Plerique enim rectorum rectore alio egent, etsi palam habere eum spernunt. Callisthenes hic offendit, qui præter monita magni sui Doctoris, nimis apud Alexandrum abscisus & asper. Quæ debebat dicebat, sed non quomodo debebat, Arriani cautæ sententiæ ego accedo* : καὶ τούτων ἐγὼ ὅσα ἐς ὕβριν τὴν Ἀλεξάνδρου, καὶ ἐς σκαιότητα τὴν Καλλισθένους φέρουσα, οὐδὲν οὐδαμῇ ἐπαινῶ: ἀλλὰ τὸ καθ' αὑτὸν κοσμίως τίθεσθαι ἐξαρκεῖν φημὶ, αὔξοντα (ὡς ἀνυστὸν) τὰ βασιλέως πράγματα, ὅτῳ τις ξυνεῖναι οὐκ ἀπηξίωσεν. οὔκουν ἀπεικότως δι' ἀπεχθείας γενέσθαι Ἀλεξάνδρῳ Καλλισθένην τίθεμαι, ἐπὶ τῇ ἀκαίρῳ τε παῤῥησίᾳ, καὶ ὑπερόγκῳ ἀβελτερίᾳ: Ego vero nihil eorum, quæ vel ad Alexandri injuriam, vel ad Callisthenis morositatem pertinent, laudaverim. Sed illud ago & statuo, sufficere ut seipsum modeste habeat geratque, & Regis, quoad fieri potest, negotia promoveat is, quicumque adesse & servire illi in animum semel

Benef. cap. 25.

Reges leniter regendi.

Callisthenes præfractus.

Lib. 4. de Reb. Alex.

induxit. Nec immeritò gravem fuisse Alexandro Callisthenem, tum ob intempestivam libertatem, tum ob superbam stultitiam.

Regibus nõ frustrà obnitendũ. Epist. 7.

Quoties necessitas ingrueret, prudenter moderans.] *Praclarum hujus Pisonis exemplum, atque omnino imitandum. Plato ad Dionis Propinquos:* ταυτὸν δὲ καὶ περὶ πόλεως αὑτοῦ διανοούμενον χρὴ ζῆν τὸν ἔμφρονα. λέγειν μὲν, εἰ μὴ καλῶς αὐτῷ φαίνοντο πολιτεύεσθαι, εἰ μέλλοι μήτε ματαίως ἐρεῖν, μήτε ἀποθανεῖσθαι λέγων: Hoc eodem animo erga patriam suam affectum, vivere prudentem virum oportet. Dicere quidem, si quid non rectè administrari ei videatur: *sed ea lege*, si futurum putet, ut neque frustra dicat, neque dicendo vitæ periculum incurrat. *Quod tamen ita verum, nisi rex aut regnum periclitetur. Nam tunc nullum discrimen bonum consiliarium teneat, quin clamet.*

Consiliarii taciti sunto.

Quintò Silentium.] *Omnino servandum in Consilio, quod vim habere vis aut usum. Et servandum etiam tua consulentis caussa. quia* arduum nimis

est.

est, meruisse Principis secretum, ubi si quid cognoscitur, prodi, vel ab alio formidatur. *Alexander cum arcanas quasdam litteras Hephæstioni legisset, detractum annulum ori ejus admovit. quisque sibi id factum putet, & simul in Consilium lectus est, os sibi clausum à Principe signatumque. Persas cogita.* apud quos, *ait Ammianus*: nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos Silentii quoque colitur numen. *Etiam Romanos. quorum Curia, in tanto numero Senatorum, silentio sic undique clausa, ut* non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum. *Notabile illud de Eumene rege: qui cum Romam venisset, & regem Persen in Senatu accusasset, ac de toto bello cum patribus deliberasset*: in præsentia nihil, præterquam fuisse in Curia regem, scire quisquam potuit bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque responsa essent, emanavere. *Mira & diuturna silentii fides!*

Cassiod. 8. Var. ep. 10.

Sicut apud Persas. *Lib. 21.*

Sicut apud Romanos *Valer. 2. ca. 2.*

Liv. 42.

IN.

IN CAP. VI.

Diffidia in Consiliis mala. *Ann. 14.* DIscordia inter cõsuasores.] *Perniciosa semper, non aliter quàm si remiges & nautæ digladientur in una aliqua navi. Tacitus notat:* Julius Classicianus Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat. *Et semper ita evenit, ubi inter collegas æmulationes. Quid remedii? ut aut ponantur eæ, aut certè seponãtur. Aristidis exẽplo: qui Themistocli valde adversus, cum tamen una in legationem missi essent, & ad portam Vrbis venissent:* Adlim. Guriæ ponenda. Visne ô Themistocle, *inquit,* inimicitias paulisper hic deponamus, recepturi eas cum redierimus? *Sciebat scilicet rem communem, sine cõmunione animorum, nunquam rectè administrari.*

Avaritia arcenda. *Cic. pro Quinct.* Avaritia, sive rei suæ studium.) *Ah pestis?* Nullum enim est officiũ tam sanctum atque sollemne, quod non avaritia comminuere ac violare soleat. *Cavenda illa, & omnes ad eam caussæ. Ideo provide illi populi: quibus* legem fuisse, *Aristoteles ait,* ut qui agros,

grós, limitaneos hostibus haberent, non admitterentur ad Consilia belli gerendi, quasi ob privatæ rei adspectum suadere minus commode possent. *Nec Principi remedium hic aliud, quam ut ne natura tales eligat: & item ut prolixè cum electis agat, atq; omnia à se exspectent.*

Polit. 7. cap. 10.

Lex Thebanis, quæ vetuit.] *Videndum removendi à reipubl. administratione mercatores, caussa non una. Primum, quia consuetudine & inclinatione avari: ideoque facile publicam rem in suam vertant. Secundo, quia parum magnanimi aut splendidi: atque, ut Aristotelis verba usurpem:* ἀγεννὴς ὁ τοιοῦτος βίος καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος: parum generosa hæc ratio vitæ, & virtuti adversa. *Tertiò denique, qui in publica persona Auctoritatem id minuit: & ut Livius ait,* quæstus omnis indecorus Patribus est visus. *Ab hac sententia fateor me stare, præsertim in Regno. Ubi tamen aut rara nobilitas, aut plerique honestiorum amplexantur id genus vitæ: non nimis eos repellam. & scio Venetos, Florentinos, Genuates,*

Mercatores non apti ad consilia.

Caussæ.

7. Polit. cap. 9.

Lib. 21.

Interdū tamen admittendi.

Batavos sic usitasse, haud magno suo malo. Quinetiam olim dignitatem mercaturæ fuisse, *Plutarchus tradidit:* ut, quæ commoda ex regionibus barbaris afferret, amicitias cum dynastis conciliaret, & ad multarum rerum peritiam conferret. *Nota Princeps. & hoc genere hominum cum fructu sæpe utere, sive ad explorandum, sive ad ingressum & aditum aliquem apud longinquos & ignotos faciendum. Nonne hoc Lusitanis regibus limen ad Orientis regna & primus gradus?*

In Solone.

Usus eorum Principi.

IN CAP. VII.

FIducia.] *Noxia valde in consiliis, quia suas alienasque vires parum librat, & eventus omnes aptat ad sua vota. Princeps eadem sæpe fallit. qui natura magni, libenter audiunt hos magnanimos, &* spem magis ipsam, quam spei caussam intuentur. *Arcenda, videndumq; semper, ne illud audiamus: πρὶν ἐσφάχθαι, δέρεις:* Priusquã occideris, excorias. *Polybii sanum hic dogma jubẽtis: μηδέποτε βουλεύεσθαι*

Præsidentes, noxii.

Liv. 22.

Adag. Græcor.

Cum metu consulendũ.

Lib. 2.

περὶ τοῦ

περὶ τοῦ μέλλοντος, ὡς ἤδη γεγονότος, μηδὲ προκατελπίζειν βεβαιουμένους ὑπὲρ ὧν ἀκμὴν ἐνδεχόμενόν ἐστιν ἄλλως γίνεσθαι, νέμειν δὲ μερίδα τῷ παραδόξῳ πανταχῇ μὲν ἀνθρώπους ὄντας, μάλιστα δ' ἐν τοῖς πολεμικοῖς: Numquam de futuris rebus, tamquam jam factis deliberare, neq; præfidere constanter in iis, quæ aliter evenire nata sunt: sed partem aliquam inopinato eventui relinquere, cum ubique homines simus, maxime vero in rebus bellicis.

Imperii plerique stolidi. *Lib. 2.* Aut adulatores.

Cum sapientia non commiscetur.] *Non Hercules, cum sit imperitia ipsa proles. Thucydides*: Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει: Inscitia Fiduciam, Prudentia Cunctationem gignit. *sive ut Hieronymus transtulit*: Imperitia Confidentiam, Eruditio Timorem creat. *Cui apud reges adulatio etiam sæpe mixta: dum auribus illorum serviunt, & tam magnos validosq; eos faciunt, quam videri volunt. Talis Minio ille apud Antiochum: qui* ignarus omnium externorum, viresque æstimans regis ex rebus in Asia

Imperii plerique stolidi. *Lib. 2. Epist. ad Evag.* Aut adulatores. *Liv. 35.*

Asia Syriaq; gestis, *temerè eum impulit ad Romanum bellum. Accessit ejusdem ingenii nescio quis Alexander Acarnan*, *qui* tanquam non atrum bellandum necne esset, consuleretur, sed ubi & qua ratione bellum gereretur, victoriam se haud dubiam animo præponere affirmabat. *O pestilens genus, præsertim ubi Princeps ipse ad typum & fastu inclinat!*

Ibid.

Quando & quatenus cōsilia subita aut fortia utilia?

Consilia calida & audacia.] *Quæ tamen haud semper improba, ne erres. In communi quidem administratione rerum valde damnanda: at in novo aliquo aut subito discrimine, utiliter & necessario sæpe adhibenda. Doctor noster regulam hanc suggerit*: Cunctatione non opus, ubi perniciosior sit quies quam temeritas. *Imò ab eodem disces*: Inter ancipitia, deterrimum esse, media sequi. *Observa. quia plerique hic peccant, & in rebus afflictis, ut idem loquitur*, nec provident satis, nec audent.

Tacitus 1. Hist. *3. Hist.* *Ibid.*

Rebus extremis, media spernenda.

IN

In Cap. VIII.

Ego hic sisto Lector, & sunt mihi caussæ. Alias, ut spero, perficiam: si non, tu per te hæc talia nota & adjunge. nam specimen hic & exemplum vides. Sed Textum nostrum imprimis scrutare. nam, ut ille inquit, levium metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assidue plenius responsura fodienti.

Senec. epist. 23.

FINIS.

[illegible] per [illegible]

Cum [illegible] bethleem inde [illegible] mal

[illegible] ab omn[illegible]

[illegible]

[illegible] uidemus [illegible]

[illegible] audierunt [illegible]